

ACADEMIA PARISIENSIS ILLUSTRATA,

QUATUOR PARTIBUS DIVISA.

I[A] Continet Quæ ab anno MCCCIV. usque ad annum MDCXL. in Regio Navarræ Gymnasio gesta sunt.

II[A] Regiæ Navarræ Elogia.

III[A] Scriptores CXXXIV. Scriptorumque Vitam seu Elogium, cum Operum indice.

IV[A] Doctorum CLXIII. qui bene acta vita claruerint, Elogium.

Auctore JOAN. LAUNOIO, *Constantiensi, Paris. Theologo.*


TOMUS I.



PARISIIS,
Apud Viduam EDMUNDI MARTINI, & JOANNEM BOUDOT, via Jacobæa, sub aureo Sole.

M. DC. LXXXII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



SERENISSIMO PRINCIPI

LUDOVICO

GALLIARUM

DELPHINO



DEDICATIO *Historiæ Gymnasii, quod est tot Regium insignibus, quot Parisiense Navarricum, si cujusquam in nomine appareat, nonnisi in viri augusta dignitate præstantis nomine apparere debet. Id cum sit hujusmodi, tua mihi Serenitas*, PRINCEPS OPTIME, *con-*

festim occurrit vnica, cui Regiæ Scholæ Historia consecretur. Cur vero occurrat vnica, causæ suppetunt multæ, eæque ita singulares, vt vna sumpta in alium vix vllum convenire possint. Et primum quidem conditio ipsa Gymnasii, quod Ioanna Navarræ Regina, Philippi Pulcri conjux pientissima, testamento instituit, in quo scribendo & accurata illuxit diligentia, & probatissimi Testatricis mores tamquam in proprio speculo visuntur atque exornantur. Deinde non modo Philippus Pulcher, sed & vtriusque filii fundationem Gymnasii, vt publicum Regiæ pietatis monumentum, studiose libenterque comprobarunt: & cum ipsi postea fuerunt Reges Philippus V. & Carolus IV. benefactis auxerunt, laudibus cohonestarunt, & in sua fide ac clientela esse voluerunt. Tum quia cum nihil sit rebus in humanis firmum ac stabile, quando

Gymnaſium expertum eſt annorum vices, & ſenſit detrimenta temporum, adhibuerunt curam omnem Reges Carolus VII. Ludovicus XI. Franciſcus I. & Henricus II. vt illud nunc per ſeſe, nunc per Cardinalium & Senatus auctoritatem reſarciretur, inſtauraretur, & in priſtinum ſtatum aſſereretur. Sic Regibus enixe dantibus operam, Scholæ ſuæ vera ratio reſtituit ea, quæ conſuetudo vitioſa detraxerat, bellorum civilium atque externorum calamitas turbaverat, & vetuſtas longa conſumpſerat. Accedit quod Reges Gymnaſium ſuum dilexerunt eouſque, vt illius adminiſtrandi provinciam annis poſt fundationem plus minus triginta ei dederunt, quem vt ex ritu ſacro confeſſionem illorum audiret, optarunt ac ſelegerunt. In hac fundatione Regia id præ ceteris fundationibus proprium eſt ac peculiare, vt omnia & ſingula Gymna-

ſii loca, etiamſi quædam viderentur minutiora, concedantur ſolo Regum nomine, & obſignentur: ſed eo referente, quem ſummum poſt ſe Reges ipſi conſtituerunt gubernatorem ejuſdem Gymnaſii. Quo pacto Regibus tantum in amore ac deliciis fuit Gymnaſium, vt qui religioſe moderabatur eorum conſcientiam, idem moderaretur Gymnaſium & adminiſtraret. Neque hic ſiſtit ſe regius in Gymnaſium ſuum amor: nam vt in magna apud omnes eſſet gloria, fuere Reges, qui in eo de negotiis Regni gravioribus habendum eſſe conſilium duxerint; Theologorum actibus interfuerint, illorum Scholas frequentaverint, & totius majeſtatis ſuæ ſplendore colluſtraverint. Ineunte poſteriori ſæculo Ludovicus Borbonius Franciſci Borbonii & Mariæ Lucemburgicæ filius, ſe huic Collegio in diſciplinam tradidit, & ibi annorum haud multorum

ſpatio profecit eatenus, ut continuo Laudunenſis inſtitutus fuerit Epiſcopus, & brevi in purpuratorum Patrum ſocietatem intraverit. Tunc dubitari potuit, num Regii Sanguinis Princeps Cardinalitia dignitate decoraretur magis, quam illam decoraret. Scilicet dignitas hæc ante non ultra quam minoris regia nota hominibus impertiri conſueverat. Haud multo poſt medium ſæculum Henricus III. & Henricus IV. cum hic eſſet Princeps Borbonius, & ille Dux Andegavenſium, Scholam quæ jam pridem auguſta erat, celebri habitatione ſua fecerunt auguſtiorem, cum ſtudio doctrinæ atque humanitatis incumberent. Tunc Carolus IX. utrumque hoc in Palladis ſtadio decurrentem minime dedignatur inviſere, & inflammare ad exercitationem illam, quæ tantos, generis nempe ſui, Principes decebat. Omiſiſſe cetera, & hoc obſervaſſe uni-

cum, nempe vltimum ex Valesiorum, & primum ex Borboniorum ſtirpe Regem, ſtirpe, inquam, tua, PRINCEPS SERENISSIME, *in Navarræ ſtuduiſſe Gymnaſio; eſt ornamentum honoris, monumentum gloriæ, laudis inſigne & commendationis acceſſio, quæ Romani Oratoris ſtilum vinceret. Denique juvenilis, integra & florens ætas illa, in qua Serenitas tua,* PRINCEPS MAXIME, *ad humaniores informatur literas, dedicationem hujus Hiſtoriæ peculiari jure ſibi adſciſcit. Informatur enimvero ab eo Præceptore, quem eadem Regia Schola ad eaſdem literas & ſcientias altiores, Philoſophiam & Theologiam informavit quam pleniſſime, & in bonarum artium ſtudiis illuſtrem reddidit. Iacobum Benignum Boſſuetum intelligo, qui vt ſe totum & corpore & animo dederet muneri, quod illi Rex omnibus & civilis prudentiæ*

&

& artis bellicæ titulis par imposuit, vacaret, Condomiensi cessit Episcopatu. Et quamvis de vita & moribus Christianorum recte instituendis valde vtiliter concionaretur & egregie, concionari desiit. Tanta molis erat Franciæ Delphinum edocendum, optimisque disciplinis imbuendum suscipere. Atque hinc certa spes Gallis omnibus non potuit non injici, fore vt Serenitas tua, PRINCEPS AUGUSTISSIME, *sub Præceptore tanto discipula fortunam sortita, in virtutis & convenientissimarum artium magistram evaderet. Regem, eumque parentem sapientissimum ea non fefellit expectatio, qua de Serenitate tua & de illius Præceptore plenus erat. Vtriusque votis jam respondit Serenitas tua, & in dies ita respondere pergit, vt Latium ipsum, vbi nulla est peregrinitas aut barbaries, incolere videatur. Neque hoc tantum. Ad incorru-*

ptam Latini sermonis integritatem adjungit ceteras institutiones & doctrinas, quæ & vitæ & dignitati regiæ sic conveniunt, vt Minerva ipsa suffragium sponte daret suum. Beneficium hoc acceptum non immerito referendum est Scholæ Regiæ, quæ vt Serenitati tuæ, sic & plerisque superiorum Regum filiis Præceptores identidem administravit. Quid ergo commemorem Nicolaum Oresmium, qui Carolum V. quid Gerardum Machetum, qui Carolum VII. quid Ioannem Majorem, qui Ludovicum XI. quid Ioannem Hennuierium, qui Henricum II. quid Petrum Danesium, qui Franciscum II. quid Guillelmum Ruzæum, qui Carolum IX. quid Petrum Vallam primo, deinde Ludovicum Molinetum, qui Henricum III. liberalium artium studiis excoluit, perpoliit, & ad omne officii munus instruxit? Atque Præcepto-

res hi novem quamlibet egregii, sunt pars tantum aliqua florum, qui in terra apparuerunt tua, PRINCEPS POTENTISSIME. Præter morem, sed auspicato Petrus Daniel Huetus occurrit, homo & Latinis & Græcis ornatissimus doctrinis, & acri præditus ingenio, tunc ab Rege omnia circumspiciente lectus, qui absentis Præceptoris muneri satisfaceret: cum opus est, satisfacit cumulatissime. In partem Serenitatis tuæ, PRINCEPS EXCELSISSIME, educatricem, eamque potissimam, venit vir antiquæ nobilitatis & moris, vir nunquam silendus, vir nunquam sine laude nominandus, vir & ipse literate peritus, literarum & literatorum amantissimus, Carolus a Sancta-Maura, Dux Monthausserius, quem ars gubernandi, scientia Imperatorum, ratio & prudentia gerendæ Reipublicæ, gravissima auctori-

tas & amplitudo in tantum commendant, in quantum virtutes illæ omnes intelligi possunt. Universa sibi gratulatur Gallia, quod tam illustris Gubernator Serenitatem tuam ad præclarissima quæque majorum instituta, ad modestiam magnitudinemque animi, & ad heroicorum temporum & actionum contemplationem erudiat. Gubernator ac Præceptor usque adeo clari & eminentes viri suo quisque in munere ac penso, id apud omnes consequuntur, ut non immerito credatur, Serenitatem tuam, publicæ felicitatis spem certissimam, insignes Pii, Sapientis, Magni, Iusti titulos sibi aliquando vindicaturam esse, & novum quemdam alium, si Superis placet, addituram sine exemplo maximum. Hoc probe cum novisset pater Rex vigilans, & multum in futurum providus, eum Serenitatis tuæ Gubernatorem summum constituit,

qui velut ſedens in puppi, clavumque educationis, tantæ quippe rei, tenens proſpiciat, ne Serenitas tua jacturam adoleſcentiæ vllam faciat, & cunctos tenerioris vitæ ſcopulos evitet. Regia ſunt hæc omnia, & ideo digna, quæ dedicationi Hiſtoriæ, quam de Regio Navarræ Gymnaſio ſcripſimus, inferantur, & annis conſequentibus tranſſcribantur univerſis. Sed hac in tranſſcriptione monumentum, vt indicium hominis ſummiſſe ſe gerentis, ad memoriam obſequii erga Serenitatem tuam mei perpetuam collocare percupio,

AUGUSTÆ SERENITATI TUÆ

Deditiſſimus, devinctiſſimus & obedientiſſimus JOANNES DE LAUNOY, Pariſienſis e Regio Navarræ tuæ Gymnaſio Theologus.

tas & amplitudo in tantum commendant, in quantum virtutes illæ omnes intelligi possunt. Vniversa sibi gratulatur Gallia, quod tam illustris Gubernator Serenitatem tuam ad præclarissima quæque majorum instituta, ad modestiam magnitudinemque animi, & ad heroicorum temporum & actionum contemplationem erudiat. Gubernator ac Præceptor usque adeo clari & eminentes viri suo quisque in munere ac penso, id apud omnes consequuntur, ut non immerito credatur, Serenitatem tuam, publicæ felicitatis spem certissimam, insignes Pii, Sapientis, Magni, Iusti titulos sibi aliquando vindicaturam esse, & novum quemdam alium, si Superis placet, additutam sine exemplo maximum. Hoc probe cum novisset pater Rex vigilans, & multum in futurum providus, eum Serenitatis tuæ Gubernatorem summum constituit,

qui velut ſedens in puppi, clavumque educationis, tantæ quippe rei, tenens proſpiciat, ne Serenitas tua jacturam adoleſcentiæ vllam faciat, & cunctos tenerioris vitæ ſcopulos evitet. Regia ſunt hæc omnia, & ideo digna, quæ dedicationi Hiſtoriæ, quam de Regio Navarræ Gymnaſio ſcripſimus, inferantur, & annis conſequentibus tranſſcribantur univerſis. Sed hac in tranſſcriptione monumentum, vt indicium hominis ſummiſſe ſe gerentis, ad memoriam obſequii erga Serenitatem tuam mei perpetuam collocare percupio,

AUGUSTÆ SERENITATI TUÆ

Dedititiſſimus, devinctiſſimus & obedientiſſimus JOANNES DE LAUNOY, Pariſienſis e Regio Navarræ tuæ Gymnaſio Theologus.

INDEX CAPITUM.

PARTIS PRIMÆ LIBER I.

Quæ ab anno MCCCIV. vſque ad annum MCCCC. reperiuntur geſta, continens.



PARTIS PRIMÆ LIBER II.

Quæ ab anno MCCCC. vsque ad annum MD. reperiuntur gesta, continens.

PARTIS PRIMÆ LIBER III.

Quæ ab anno MD. vsque ad annum MDCXL. gesta sunt, continens.


CAP.

INDEX.

PARTIS SECUNDÆ LIBER UNUS

Regiæ Navarræ Elogia continens.

JOAN-



JOANNIS LAUNOII
CONSTANTIENSIS,
PARISIENSIS THEOLOGI,

PRÆFATIO

In Regii Navarræ Gymnasii Parisiensis Historiam.



N regio Navarræ Parisiensis Gymnasio cum alia sunt multa, tum res maxime quinque, quæ Historiam illius exigant. Regia institutio, regia quoque in Gymnasium cooptatio, demandata Parisiensi Rationum Curiæ redituum institutioni huic assignatorum cura, Pontificia de more confirmatio instituti Gymnasii, illustrium virorum educatio. Prima Gymnasii sic commendat originem, vt commendari magis non possit, cum in sæculo nihil sit majestate Regum excelsius. Secunda in Gymnasium cooptatio, quæ Regis solius fit nomine & auctoritate. Tertia Gymnasii

opportunitates ita cum regni opportunitatibus conjungit, vt quæ Curia ad publicorum regii status bonorum custodiam advigilat, hæc eadem ad bonorum Gymnasii curam advigilet, ne ea perperam administrentur. Hinc illi Curiæ accepti & expensi tabulæ & singula per tabulas descripta nomina quotannis examinanda & probanda offeruntur; & tum demum illorum exemplar autographo collatum in forulis ejusdem Curiæ reponi debet & reponitur. Quarta Gymnasium regium veneratione summa consecrat, cum in Ecclesia Mystagogus extet nullus, qui Romano Antistiti præponatur. Quinta denique ex prima, secunda, tertia & quarta tanquam rivus e fonte promanat. Vix enim fieri potuit vt in Collegio, quod pientissima Regina consentiente Rege & filiis fundavit; in quod Reges ipsi selectos ex diversis provinciis regni adolescentes edocendos admittunt; quod Parisiensis Rationum Curia præsidiis suis & diligentia sua circumclusum tenet, & ne quid in assignatis illi reditibus jacturæ capiat, eadem Curia studiose cavet; quod Romanus Pontifex ratum, fixum sanctumque habuit: adolescentes non educarentur liberaliter, & tandem in viros omni genere scientiæ ac virtutis illustres evaderent. Evaserunt plerique, & Collegium per orbem celebre reddiderunt. Uni ad Episcopatum eminentissimam Ecclesiæ dignitatem pervenere: alii Cardinales Romanæ Sedis effecti gravissimas legationes obiere: quidam interfuere Conciliis, ibique fortes se ac vegetos stitere: alii per varias regni plagas & civitates concionati sunt:

nonnulli edendis ad commodum publicum libris operam dedere. Illi vrbium & pagorum Ecclesias rexere: hi ab Episcopis evocati vicariam præfecturam exercuere: quidam Regum & Principum liberos ad politiores literas informarunt: nonnulli Regibus ab eleemosynis & confessionibus hoc munere defuncti sunt laudabiliter. Alii secesserunt in monasteria, quæ vel meliorem in statum reduxerunt ipsi, vel odore suarum virtutum impleverunt: nonnulli remanserunt in sæculo, & vitam privatam ad exemplar antiquæ probitatis expresserunt. His accedunt multi Reges, qui Collegium istud suum diversis identidem constitutis temperarunt, & hocce modo quanta in existimatione & pretio literas literatosque habuerint, ostenderunt. Accedunt etiam Sodalium & quorundam aliorum benefacta, quæ in luce collocari merentur. Hic est totius operis nostri conspectus, hæc perioche, hoc argumentum, quod prius delibandum fuit. Hoc qualecunque opus, vt vitetur confusio, dividam in partes quatuor, & primam in libros tres, quibus quidquid ad ipsum Collegium velut generatim sumptum pertinet, comprehendetur. Primus quæ ab anno Christi MCCCIV. vsque ad annum MCCCC. Secundus quæ ab anno MCCCC. vsque ad annum MD. Tertius quæ ab anno MD. vsque ad annum MDCXL. gesta sunt, explicabit. Altera pars librum continebit vnum, quo varia Collegii elogia hinc inde quæsita describentur. Tertia scriptores, scriptorumque vitam & operum indicem libris tribus exhibebit. Primus eos, qui primum

Collegii sæculum; secundus eos, qui secundum; tertius, qui tertium, & hujus excurrentis initium illustrarunt. Quarta demum totidem libris attinget Sodales alios, qui cum virtute & illustri quadam exercitatione memorata sæcula adæquarunt. Suum vnicuique constabit elogium breve, in quo vt & ceteris in rebus veritas sermonis elegantiam compensabit. Porro non omnes Collegii Socios attingam, quia quid singuli fecerint, qua ratione vixerint, vbi vixerint, ad cognitionem meam necdum pervenit. In magno præterea Collegio nusquam desunt, qui nihil memoria dignum gesserint, & quorum nomen debeat obrui silentio. In Romana Republica non omnes Scipiones fuerunt Africani, fuerunt & valetudinarii. Non indigemus exemplis Collegarum, qui desidia & otio torpuerint, sed qui piis exercitationibus atque exantlatis pro salute publica & Ecclesia Dei laboribus splenduerint. Debet posteritas contemplatione & imitatione majorum astringi, non relaxari; inflammari, non restingui. Ceterum de scribendi ratione præfari nonnihil oportet. Ego in orationis contextu refero verba ipsa, quibus ab Regina Collegium fundatur & instituitur, & quibus a Pontifice Collegium fundatum confirmatur; diversa Regum diplomata, Senatusconsulta & alia, quæ cum ad generalem, tum ad privatam Collegii rationem, administrationem & celebritatem pertinent. Testimonia quoque insero, quibus quidquid est in elogiis fidei, sustentatur. In Historia non tam quærendus est nitor sermonis, quam pondus auctoritatis. Car-

men quidem & Oratio summam, vt placeant, requirunt eloquentiam, non Historia, quæ quoquo modo scripta delectat, vt ait Plinius Junior. Qui eundem verborum tenorem servare, filum idem orationis retinere, atque ita Lectorum gratiam aucupari volunt, scriptorum testimonia vel apponunt ad margines, vel in calcem operis sui transferunt. Illorum factum & scribendi modum non redarguo, absit; sed non exequor: & cur non exequar, hæ me rationes impediunt. Dum ad margines apponuntur auctorum testimonia, tunc adversus librum fit alius liber: dum transferuntur in calcem operis, post librum fit quoque alius liber. Deinde si quis rei, quam legit, probationem videre cupit, ei versandæ semper erunt paginæ, revolvenda folia: quod laboris genus molestiam & negotium facessit. Tum hæc scribendi methodus annis abhinc centum inducta est, nec adeo recondita, vel tantum habet mysterii, vt non potuisset in antiquorum mentem facile venire. Ad imitandum mihi proposui Eusebium Cæsariensem Episcopum, cujus Historia ex variis auctorum, qui antea scripserant, fragmentis magna ex parte conficitur; & quo plura & majora sunt fragmenta, eo pluris & majoris æstimatur Historia. Si agendo quemadmodum agere constitui, decipior, his rationibus deceptus sum. Quidquid in causa, Eusebius ab hoc errore me defendet. Obstabit antiquitas ne me novitas incessat.



Marcus Tullius Cicero in libro II. de finibus.

Ex Annalium monumentis testes excitamus eos, quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis.



Caius Plinius Secundus in libri V. epistola VIII. ad Capitonem.

Mihi pulcrum imprimis videtur, non pati occidere quibus æternitas debeatur.






REGII NAVARRÆ GYMNASII PARISIENSIS HISTORIÆ PARS PRIMA IN LIBROS TRES DISTRIBUTA.

LIBER I.

Quæ ab anno MCCCIV. vſque ad annum MCCCC. reperiuntur geſta, continens.



CAPUT I.

Inſtitutum ab Joanna Navarræ Regina Collegium, & tempus inſtitutionis.

ANNUS circumagebatur Chriſti milleſimus treceenteſimus-quartus, cum Joanna Navarræ Regina, & Philippi Pulcri Regis vxor, teſtamento ſuo inſtituit Lutetiæ Collegium, quod recepto jam inde ab initio nomine Navarræ appellatur. Cui rei fidem facit certiſſimam diploma, quod tunc ea ſuper re confectum eſt:

Ioanna Dei gratia Franciæ & Navarræ Regina, Campaniæ Briæque Comitiſſa Palatina, ad perpetuam rei memoriam. Spiritus Domini replens orbem terrarum, provida ſummi Patris, cujus ſedes parata eſt in æternum, diſpoſitione, Studium Pariſius decore virtutum & exuberante gratiarum affluentia ſic ornavit, ſic & ipſe Oriens viſitavit ex alto, cuncta proſpiciens, vel in ipſo Studio plantaviſſe per ſuæ virtutem dexteræ videatur alterum voluptatis ſcholaſticæ paradiſum, in quo poſiti ſunt Schola-

res, ut illum custodiant, & per laboriosam operationem ferventis studii fructum vitæ producant ex ligno secus decursus aquarum sapientiæ salutaris plantato. Ad quam sapientiam, videlicet veri Regis Salomonis in sancta Ecclesia Catholica Filii Dei typum tenentis, nos ducta salubri Sabiæ Reginæ laudabili consilio dirigentes intima voti nostri in ejus honore, qui sapientiam præstat parvulis, de rerum nostrarum substantia & bonorum, interveniente carissimi domini nostri Regis ad hoc nobis auctoritatem præstantis, necnon Ludovici primogeniti nati nostri consensu, quandam in dicto studii paradiso fundare decrevimus Congregationem, ut ex vivido Congregationis illius humore per continuum studii disciplinam quæsito fons exeat aquæ vivæ, quæ velut Euphrates uberrimus filios Deo pariat adoptivos, & sicut alter Iordanis fluvius ad rigandam totius orbis superficiem, tam per vitæ munditiam, quam per veram doctrinam valeat derivare. Sicut igitur in domo Domini triplex status habetur, incipientium videlicet, & proficientium, ac etiam perfectorum; sic in Domo nostra Navarræ Parisius existente præmissam Scholarium congregationem ibidem perpetuo remanendam ordinamus, fundamus & creamus, & præcipimus ut Scholares de regno Franciæ triplicem statum habeant, & in triplici studeant Facultate; viginti scilicet in Grammatica, triginta in Logica & in Philosophia, & viginti in Theologia: quorum singuli, scilicet Grammatici quatuor solidos Parisienses per hebdomadam, Logici sex solidos Parisienses, & Theologi octo solidos Parisienses habeant in futurum, donec sibi videlicet Grammaticis de beneficio valoris triginta, Logicis valoris quadraginta, & Theologis valoris sexaginta librarum Parisiensium, vel amplius, per quemcumque contigerit provideri. Grammatici Doctorem in Grammatica bonæ vitæ & sufficienter instructum in Grammaticalibus, necnon Logici Magistrum in Artibus idoneum & expertum habeant. Qui Doctor & Magister Scholares suos non solum in scientia, sed etiam in conversatione laudabili, honestate vitæ & moribus, caritative & fideliter erudiant verbo pariter & exemplo. Ac ipsi, videlicet Doctor Scholaris Grammatici & Magister in Artibus bursam duplicem similiter pro salario suo percipient & habebunt. Volumus etiam & ordinamus ac statuimus, quod Decanus & Universitas Magistrorum Scholarium Theologicæ Facultatis Parisius actu regentium

gentium vel non regentium, seu illi ad quos ipsa Universitas, vel major pars Universitatis eligent dictæ Domui, cum & quotiens opus fuerit, de aliquo sæculari probo viro curam & administrationem Domus & Scholarium prædictorum gesturo, qui duplicem Theologi bursam habeat pro labore, provideat, quique Rectoris officio fungatur, & ipse cum dicta Universitate vel illis, quos ad hoc Universitas ipsa, vel major pars ejusdem deputaverit, de Magistro in Grammatica sufficienter instructo pro Grammaticis, & Magistro in Artibus pro Logicis & studentibus in Philosophia providebit; & recipiet cum eisdem pueros, necnon Scholares in Theologica Facultate, qui tales Scholares Theologi recipiantur in Domo, qui in Artibus cathedram meruerint ascendere magistralem, & alias habiles ad proficiendum in ipsa scientia. Et sint tales tam ipsi, quam alii inferiores Scholares recipiendi, de quibus verisimiliter præsumatur, quod non habeant unde per seipsos, aut per parentes eorum in studio sustentari valeant, sed existant pauperes bonæ vitæ. Et ne ipsi Scholares vagandi causam assumant, dum ipsi ad Ecclesiam suam parochialem vel aliam, ut audirent divinum Officium, se conferrent, occasionem quamlibet, in hac parte provideri cupientes, auferre statuimus, præcipimus & ordinamus, quod in domo prædicta sit publica Capella & communis, in qua duo Capellani perpetui per septimanam unus post alium die qualibet celebrabunt, & habebunt duos Clericos servitores in ipsa Capella, & custodes ejusdem. Qui Capellani videlicet singuli bursam Theologi, & quilibet Clericus Grammatici bursam habebunt, dictique Scholares ibidem tam dicti carissimi domini nostri, nostrorum, quam patris nostri & matris nostræ anniversarium solenniter anno quolibet facient; & alias pro ipso domino nostro, nobis & prædecessoribus nostris rogabunt, alias utinam acceptas preces & placabiles Deo fundant. Quos quidem Scholares, Magistros, Capellanos, Clericos, Rectorem ac Domum, dicti Decanus & Universitas Magistrorum Scholarium Theologicæ Facultatis, vel aliqui ex eisdem, quos ipse Decanus & Universitas, seu major pars Universitatis ad hoc deputaverint, semel in anno cum diligentia visitabunt, & compotum administrationis bonorum Domus a Rectore recipient & exigent, necnon de conversatione Scholarium & Magistrorum suorum ibidem morantium, cum ipso Rectore aliquibus probis viris de domo solerter

inquirent. Et si sint aliqui, de quibus nulla vel modica spes haberi valeret, quod in sua Facultate possent proficere, & de circumstantiis universis Domus & Scholarium se fideliter informabunt, & ea quæ corrigenda repererint, diligenter corrigent, punient, deponent, mutabunt ea quæ reformatione digna invenient tam circa Domum, quam personas ejusdem fideliter reformabunt: nec tam in receptione Scholarium, Magistrorum, Rectoris, aut aliarum quarumlibet personarum, quam in correctione earum ducentur acceptione personæ, vel patriæ, vel favore quocunque; sed Deum habentes solum præ oculis, juxta merita cujuslibet instantis recipi ponderabunt in eorum conscientia. Necnon facta propter quæ aliqui deberent corrigi vel mutari, videbunt; & tunc facient absque scrupulo odii, quod consonum fuerit rationi; & hoc fideliter se facturos jurabunt coram Cancellario & Præposito Parisiensi, qui pro tempore fuerint; & juramentum quolibet anno renovabunt. Si vero aliqui ex Theologicæ Facultatis Scholaribus affectu devotionis inducti se vellent ad Sacerdotium facere promoveri, placet nobis, quod bursæ suæ titulum istud fiat; & quandiu Scholaribus ipsis placuerit, sic promoti in Domo remaneant, percepturi beneficium bursæ suæ, donec sibi alias provisum fuerit, ut est dictum. Si etiam aliqui ex aliis Scholaribus inferioribus, dummodo tres in numero non excedant, se humiliter ad Sacerdotium facere promoveri ad titulum bursæ suæ voluerint, placet nobis quod hoc fiat, & promotus ad Sacerdotium bursam Theologi, quæ prima vacaverit, habeat & percipiat, donec sibi alias sit provisum, ut superius est expressum. Cum per hoc non intendamus Theologorum Scholarium numerum quomodolibet augmentari, sed sic promotus in cedentis & decedentis Scholaris Theologi locum succedat: & promoti ipsi cum aliis Capellanis dictæ Capellæ celebrare, & divinis vacare Officiis teneantur. Statuimus nihilominus & præcipimus, quod omnes Scholares festivitatibus solennibus & diebus solennibus ad Capellam conveniant ordinate ad pulsationem campanæ, Matutinas, Missam & alias canonicas horas dicturi. Quod si aliquis absens a Capella, postquam dictum fuerit Gloria Patri, *primum ab hebdomadæ bursa privetur; & si plus deliquerit, se ab illis quomodolibet absentando gravius puniatur, dummodo infirmitate detentus, vel occupatus aliis negotiis, ad quæ se de Magistri sui licentia diverterit, non existat. Ad cu-*

jus Domus fundationem & ordinationem, ne Studium Scholarium prædictorum labatur, eandem Domum pro ipsis Scholaribus dotamus & ditamus duobus millibus librarum Turonensium annui & perpetui reditus assidendi ubi melius & utilius poterit, vel a testamenti nostri executoribus acquirendi de fructibus & expletis Comitatus Campaniæ & Briæ tam in præsenti fundatione, quam pro alia dicti testamenti nostri executione complenda per triennium immediate post decessum nostrum levandis: volentes, quod si duo millia librarum annui reditus assideantur in aliquo certo loco, vel pluribus in regno Franciæ, viginti quatuor millia librarum Turonensium, aut pro qualibet summa centum librarum, duodecies centum libræ de dictis fructibus & expletis levandis, ut præmittitur, deducantur; & sic deductio talis fiat pro assisiæ quantitate: quem reditum dicti Scholares percipient, & habebunt in futurum perpetuo, pacifice & quiete absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, & absque præstatione financiæ cujuscunque. Si vero (solutis bursis Capellanorum, Magistrorum, Rectorum & Scholarium prædictorum, ac expensis deinceps faciendis pro sustentatione ædificiorum, quæ de nostro ante omnia construi & ædificari & ordinari honorifice volumus & præcipimus) aliquid superesset; ex eo Grammaticæ, Logicæ, Philosophiæ & Theologiæ libri emantur, qui ad communem usum Scholarium in domo ponantur, & alias in usus pauperum Scholarium; vel si forsan sufficeret in futurum, in augmentum numeri Scholarium convertatur. Volumus etiam, præcipimus & ordinamus, quod si ante decessum nostrum ædificia dictæ Domus & ordinari propter hoc modo debito non valerent, executores nostri de dictis fructibus & expletis, aut aliis bonis nostris ædificia ipsa fieri, construi & ordinari faciant, ita quod Capella ordinetur in loco congruo, & libri, vestimenta ac supellectilia de nostro emantur. Grammatici Scholas, aulam & dormitorium, coquinam & alias officinas per se habeant; & Logici similiter habeant ædificia sua per se; ac Theologi per se soli, secundum eorum cujuslibet conditionem & statum. Infirmaria pro Scholaribus infirmis vel male dispositis ordinetur; & Rector seu Provisor domus prædictæ habeat ædificium suum solus; & duo Capellani prædicti, ac duo Clerici Capellæ prædictæ, similiter ædificium aliquod habeant, ut liberius divinis obsequiis possint assiste-

re & vacare. Et si forte in præscriptis institutione & statutis aliqua addenda, corrigenda, aut etiam declaranda fuerint, volumus, & tenore præsentium ordinamus, quod per executores nostros addi, corrigi & declarari valeat, prout eisdem executoribus pro dictæ Domus utilitate & commodo ac animarum dicti domini nostri & nostræ remedio & salute videbitur melius expedire. Et illa, quæ per eosdem executores in præfatis institutione & statutis addita, correcta & declarata fuerint, tantam habere volumus & præcipimus roboris firmitatem, ac si essent in præsentibus scripta specialiter & expressa: in quorum omnium testimonium & munimen præsentibus nostrum fecimus una cum sigillis prædictorum domini nostri Regis & Ludovici primogeniti nati nostri sigillum apponi.

Nos vero Philippus Dei gratia Francorum Rex ad petitionem carissimæ consortis nostræ prædictæ, cui auctoritatem ex certa scientia faciendi omnia præmissa & singula præstitimus & præstamus, ipsi ordinationem & præsentem dictorum Scholarium fundationem servare & compleri facere promittimus bona fide: tamque laudabile præfatæ carissimæ consortis nostræ propositum confoveri volentes, præmissa omnia concedimus, approbamus, & nostrum eisdem benevolum impartimur assensum. Concedentes etiam, quod dicti Scholares prædictum annuum reditum duorum millium librarum Turonensium assidendum eisdem vel acquirendum pro eis, ut præmittitur, tenere & percipere libere, pacifice, perpetuo & quiete valeant absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, & absque præstatione financiæ cujuscumque, nostrum fecimus apponi sigillum.

Et ego Ludovicus primogenitus prædictorum domini nostri Regis & dominæ Reginæ, cujus ordinationi & prædictæ Domus fundationi meum consensum præbeo & assensum, & per juramentum meum ad sancta Dei Evangelia præstitum, præmissa omnia & singula facere observari & compleri, nec contravenire solenniter promitto, & ad majorum certitudinem rei hujus meum præsentibus sigillum apponere dignum duxi. Actum apud Boscum Vicennarum in festo Annuntiationis dominicæ anno Domini MCCCIV.

Philippus Dei gratia Francorum Rex universis hæc visuris, salutem. Noverint universi, quod nos carissimo Ludovico nostro

& carissimæ consortis nostræ Francorum Reginæ primogenito consentiendi & præstandi assensum suum omnibus his, quæ in ordinatione, institutione & fundatione super testamento ipsius consortis nostræ confectis plenius continentur, quibus præsentes nostræ literæ sunt annexæ, & faciendi promissiones quascumque, præstandi juramentum de prædictis omnibus & singulis tenendis & servandis, & de non veniendo contra prædicta, vel aliqua eorundem, auctoritatem, plenamque & liberam potestatem alias, & nunc etiam duximus concedendam ad supplicationem & humilem requisitionem ipsius primogeniti nostri. Idem Ludovicus primogenitus noster præfatus propter hoc in nostra præsentia constitutus omnia & singula in dictis ordinatione, institutione & fundatione contenta, visa & lecta ab eo & plenius attenta, voluit, eisque omnibus & singulis suum expresse consensum præbuit & assensum, eaque omnia & singula sub juramento corporaliter ab eo præstito, tactis sacrosanctis Evangeliis, tenere firmiter, servare fideliter, & nullo tempore contravenire promisit. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Datum apud Vicennas vltima die Martii anno Domini MCCCIV.

Hæc sunt tria diplomata. Unum Jōannæ Reginæ, alterum Philippi Regis Joannæ conjugis, tertium Ludovici vtriusque filii primogeniti. Diplomate primo fundatur Collegium, secundo & tertio confirmatur quicquid ab Regina instituitur & fundatur.

Nunc erroris convincuntur, qui anno MCCLXXXVI. fundatum esse Collegium memoriæ prodiderunt, Paulus Æmilius, scriptor Chronici de Regibus Francorum vsque ad Henricum II. Gilbertus Genebrardus & alii, qui fidem illis adhibuerunt. Ego Æmilii hallucinationem capere non possum. hic enim in Navarræ Collegium se receperat, vt Historiam Francorum scriberet, ibique annos plures commoratus est. Ceteri re haud expensa vlterius ad Æmilium sese aggregarunt.



CAPUT II.

Reginæ obitus, defensio, commendatio.

REGINA ex eo morbo non convaluit, in quo testamentum condidit, & Navarræ Domum in Gymnasium converti voluit. Migravit IV. Nonas Aprilis in Castro Vicennarum, & pridie easdem apud Franciscanos Parisienses sepulturam accepit. Sandionysiani Monachi conceptam inde offensionem non dissimularunt, rem perinde atque exempli mali foret, in Monasterii præjudicium deputari conquesti sunt, sed frustra, vt exitus probavit: nec fuisset frustra, si potuissent impedire, ne suprema Reginæ voluntas executioni mandaretur. Tunc Eremita nescio quis asseruit, Guischardum Trecensem Episcopum Reginæ necem machinatum esse, maleficio certam quandam expressisse imaginem, quæ dum pungeretur, Regina quoque pungeretur. Hac ex causa conjectus est in carcerem Episcopus, & amissa illius bona omnia: & quamvis criminis tanti convinci non potuerit, Trecensi Episcopatu abire coactus fuit, in alium a Pontifice translatus, rogante cum primis & postulante Enguerrano Marinio, qui plurimum apud Regem valebat. Quicquid hic de morte Reginæ referimus, id Joannes Victorinus æqualis testatur in libro ms. qui *Memoriale Historiarum* inscribitur. Fictum ab impostore crimen vera quidem, sed injustissima pœna excepit, quæ stolidæ aulicorum credulitati tribuenda est. Ad me quod attinet, ego vehementer suspicor, Marinium odisse Trecensem Episcopum, & tali vsum esse artificio, vt acceptam ab eo injuriam vlcisceretur: & si vera est suspicio, injuriam injuria vltus est.

Regina ipsa, quæ caste integreque vixerat, detrimenta temporum sensit. Ævi progressione excitatus est flagitii rumor, qui quamvis ἀδέσποτος & sine auctore fuerit, credulos tamen invenit, & suspectam illius vitam reddidit.

Dissipatum falso rumorem Robertus Guaguinus in historia compressit. Adscribo verba ex libro VII. *Fuerunt quoque insignibus feminis sua fata; nam uxores filiorum Philippi tres adulterii insimulatæ sunt.* Et quibusdam interpositis: *Ob hanc impudicitiam insignium mulierum natam fabulam reor, quæ de Ioanna Philippi Pulchri uxore a rerum imperitis memorari solet, eam videlicet aliquot Scholasticorum concubitu usam, eosque ne pateret scelus, protinus extinxisse, & in Sequanam amnem de cubiculi sui fenestra abjecisse; sed unum tantum Ioannem Buridanum eo periculo forte liberatum, & propterea sophisma ab eo editum esse: Reginam interficere nolite, timere bonum est. Fuit siquidem Buridanus Ioanna posterior, quippe qui Philippo Valesio regnum moderante, cum liberalium Artium nominatissimus Professor esset, multa & in rationali & morali Philosophia scripsit, dum Parisinæ Ecclesiæ Fulco præsidebat anno Christianæ resurrectionis* MCCCLVII. *Nec commeruit præclara mulier hujusmodi vitio taxari, cujus liberalitate & misericordia erga pauperes exhibet testimonium, Navarræ apud Parisios Collegium exstruendo, ubi Scholasticos incolere perpetuo instituit, designatis triplici ordine Præceptoribus, qui Grammaticam Dialecticamque adolescentes docerent, qui item Philosophiam interpretarentur. Addidit & Theologos, qui omnes anniversariis proventibus præditi literarum studio se perpetuo accommodarent, hisque commune Sacellum exstruxit, præpositis ad rem divinam Sacerdotibus.*

Diluto crimine, quo falsus rumor Reginam asperserat, reliquum est modo, ut ad eam addamus elogium Joannis Ravisii Textoris. Hoc extat in libro de claris Mulieribus, qui Lutetiæ editus est anno Christi MDXXI. Elogii titulus: *De illustrissima & miræ sanctitatis femina D. Ioanna Francorum Regina regalis Collegii Navarræ fundatrice.*

Quæsierunt multi veterum rerum satis curiosi scrutatores, quænam fuerit & quibus orta parentibus Regina illa, quæ Navarriense Gymnasium totius Academiæ Parisiensis memoratissimum prima instituerit, ibique numerosam Scholasticorum turbam constitutis vectigalibus annuis jusserit enutriri. Paucique adhuc reperiuntur, qui anxietatem illam & vulgi contentionem dirimerent. Præterea utile mihi visum est subjicere, quod hac de re scriptum apud antiquos inveni. Ut ergo paucis absolvam, hi-

storia ipsa ad hunc modum se habet : Henricus Campaniæ Comes & Rex Navarræ in uxorem duxit filiam Roberti Comitis Artisii, & fratris beati Ludovici. Decessit is Henricus anno christianæ salutis MCCLXXII. *Moriens nullos omnino reliquit liberos præter filiam unicam, adhuc infantulam & in cunis vagientem, nomine Ioannam, quam patre orbatam superstes mater duxit ad Philippum Regem Franciæ, ejus nominis tertium, & filium beati Ludovici, ejusque fidei puellulam commisit. Ille (vt erat benivola & Francis peculiari natura) pupillam inter proprios liberos carissime & pro dignitate sanguinis, quo erat orta, jussit educari. Quinetiam vbi adolevit, adultam copulavit filio suo primogenito Philippo Pulchro anno salutis* MCCLXXXIV. *qui patri mortuo suffectus est heres anno Domini* MCCLXXXV. *Habuit autem ex ea indolis generosæ liberos tres masculos, qui continua serie principati sunt Francis. Primus appellatus est Ludovicus Hutinus, secundus Philippus Longus, tertius Carolus, ejus nominis quartus, cognomento Pulcher. Qui tres seriatim sibi successerunt in administratione regni Franciæ & Navarræ. Habuit etiam ex ea filiam speciosa & eleganti forma, Isabellam nomine, quæ nupsit Eduardo II. Angliæ Regi. Habita demum tam eximia prole, mortua est prædicta Ioanna in Luco Vicennarum prope Parisiorum Luteciam anno salutis* MCCCIV. *circa initium Aprilis, præcessitque mortem mariti sui Philippi Pulchri annis* XII. *Defunctæ corpus asportatum est Luteciam, ibique inhumatum in æde Fratrum Minorum. Vivens multa & præclara suæ virtutis reliquit monumenta. Instituit enim & fundavit Parisiis Gymnasium illud celebratissimum Campaniæ, cui frequentior vulgi appellatio Navarræ nomen indidit. Iussit præterea ibidem edoceri & suis sumptibus nutriri* LXX. *stipendiarios, quos hodie Bursarios vocant: viginti, qui darent operam Grammaticæ; triginta, qui Dialecticæ & philosophicis disciplinis; viginti, qui sacris Literis & Theologiæ. Grammaticis præfecit suo edicto virum & doctrina celebrem & probis moribus, qui omnium eminentissimos erudiret : eumque vocari voluit Magistrum Grammaticorum. Et ne is tanto labori solus non sufficeret, Collegam eidem adjunxit, auctoritatis paulo minoris, æqualis tamen provinciæ, ad erudiendos juniores stipendiarios, seu, vt hodie vocant, Bursarios : atque hunc Submagistrum appellari jussit. Iussit insuper, vt prædicti Magi-*

ster

ster & Submagister vigintique Bursarii haberent tres famulos ad ministerium aulæ, qui nutrirentur mensæ reliquiis & fragmentis. Quod ad Collegium triginta Dialecticorum spectat, eisdem præesse voluit virum verbo & opere potentem, eumque Magistrum Dialecticorum dici. At ex eo fundationis tempore, quoniam ille unus Magister non videbatur omnibus satisfacere posse, postea designatus est ibidem Submagister, unus ex triginta stipendiariis ejus Communitatis, utilitatis juxta & laboris particeps. Ad ministerium prædictorum triginta Bursariorum constituit sex famulos, qui fragmenta colligerent, & iisdem vescerentur. Eadem lege usa est munificentissima illa Regina in Theologorum contubernio: virum enim constituit morum sanctitate & doctrina eminentissimum, qui non Theologis tantum præesset, at etiam Gymnasii totius communis esset oculus, diceretur que magnus Magister. Cujus pariter & aliorum viginti Theologorum aulico ministerio addixit sex famulos, qui quod superesset ex epulis, haberent sibi & comederent. Fundavit insuper & instituit in eodem Gymnasio laudabile Sacellum, omnibus habitatoribus commune: in quo ut frequentiora essent sacrificia, & melius observata religio, constituit quatuor Presbyteros, & Clericos totidem, quibus negotium esset quotidie horas obire canonicas, & duas Missas nullo non die decantare, alteram remissa voce, alteram erecta. Item constituit virum fidelem & honestum, qui promus esset & condus, colligeretque reditus & proventus dicti Gymnasii, & quotannis fidelissime ratiocinaretur super acceptis & expositis. Hunc autem Provisorem Domus dici voluit, cui & potestatem reliquit constituendorum & ponendorum in tribus prædictis Communitatibus famulorum, nutriendorum ex reliquiis: ea tamen lege, ut alii prædictarum Communitatum Magistri famulum suum alternatim ponerent. Præter superiores illos Reginæ alumnos designatus est januæ Custos, qui exeuntes & introeuntes exploraret diligentissime, ut in hunc diem hactenus semper factum est. Ceterum ne quid deesset prædictis stipendiariis, quod ad honestum & sufficientem victum conduceret, legavit eis bis mille libras (ut hodie fertur) annuatim percipiendas a quatuor quæsturis ordinariis Campaniæ & Briæ per prædictum Provisorem ad communem omnium utilitatem. Malignantis esset naturæ, qui Reginam hanc illustrissimam plenis buccis non

attolleret, si cognosceret & haberet præ oculis, quantum universæ Gallorum Reipublicæ contulerit, quantum bonas juverit disciplinas femina illa & herois præstantissima, nunquam satis laudata, dum celeberrimum illud omnis disciplinæ receptaculum & emporium prima constituit. Et post alia, quæ ad tempus aliud spectant: *Atque tanta illa Reipublicæ commoditas uni Ioannæ venit adscribenda. Porro ut alia quædam ex infinitis ejus virtutibus testimonia proferamus: condidit etiam laudabile Cœnobium prope muros Castri Theodorici, ubi constituit sanctimoniales feminas, Ordinis beati Augustini. Ei autem Cœnobio (cui cognomen de Barra postea inditum est) prædicta Ioanna dedit corpus beatæ Petronillæ filiæ sancti Petri. In cujus rei memoriam voluit cor suum post mortem eo deferri; reliquum vero corpus in ædem Franciscanorum Parisiensium, ut jam prius dictum est.*

Sit tibi pro meritis decus immortale, Ioanna,
Et requies animæ sit sine fine tuæ.

Hæc Textor, in quibus si consideretur Gymnasium, & ad Reginæ testamentum, & ad hujus executionem respectum habuit, quomodo omnia recte quadrant & conveniunt.

Anonymus quidam Poeta rem eandem oratione stricta descripsit;

Pro regno duplici meruit satis inclyta dici
Indole præclara illustris Regina Ioanna:
Francorum domina, Regi Pulchro sociata,
Dote Navarrigenas rexit gentes alienas.
Nam Henrico vere unica Regis nata Navarræ,
Campanæ Comitis, tandem huic successit in illis.
Tota Briæ strata, simul & Campania lata,
Atque Palatina sibi tunc est, non peregrina.
Gestu morosa fuit, & vultu speciosa,
Prudens, robusta, constans & provida, justa,
Casta fide plena, speque absque pietatis habena,
Compatiens animo, suspirans cordis ab imo,
Pauperibus cunctis dans, doctis atque peritis,
Viribus & totis divinis dedita notis,
Sub pede mundana calcans quasi stercora vana:
Quæ licet exuta membris jam sit resoluta,
Factaque terra cinis, velut exigit ultima finis.

Terris defuncta vivit per ſecula cuncta,
Hæcce Regina, per quam vrgente ruina,
Crevit Pariſia declinans Philoſophia,
Cujus ſunt geſta ſcriptis aureis redigenda.
Nam præ matronis virtutum dedita donis,
Digna Dei thronis templum hoc ſtatuit Salomonis,
Auſtri Regina Ludovico munera trina,
Addens mirifica, nec pridem talia viſa,
Quæ redolent, plane ſunt. Nam tria Lilia vere,
Lilia Francorum, liliis decorans fere morum.
Namque & Grammaticos ſtatuens ætate pudicos,
Dotat vicenos binos, addendo Magiſtros,
Mores egregios qui ſpargant ſchemate fultos,
Extrema vt medio forti ſolidentur aſylo,
Machina perpetuo quo duret temporis ævo.
Tricenos artes hoc addidit ad liberales,
Pro quibus appoſuit Doctorem, qui bene præſit.
Exhinc & numerum bis denum Theologorum
Dat lumen fidei ſatius ſplendore diei:
Illuſtrans mundum, nulli eſt id in orbe ſecundum.
Datque hic Doctorem, hinc & Proviſoris honorem.
Præclarum reliquis hoc templum dum tenet, vt ſcis,
Dat liliis formam, celſam his adhibenda coronam.
Quatuor altari celebrare tot his famulari
Vult hoc in templo plano virtute profundo,
Omnibus his victum, veſtitum dans ſatis amplum.
Nam bene ſi penſes, bis mille libras Turonenſes
Cenſus perpetui anno quolibet accipiendi
Dat, quibus hinc vivant, & in ævum mœnia ſiſtant.
Siſte, Domus, donec fluctus formica marinos
Ebibat, & totum teſtudo perambulet orbem.
Regi cælorum grata extitit, & Liliorum
Philippo Pulchro, donec fuit arta ſepulchro.
Hujus facta bona teſtantur chronica vulga.
Sed ſi alia indocta fuit, aſpice, non fuit ipſa.
Annis triginta tribus extat corpore vincta,
Vixit cum Rege Chriſti ſub nobile lege,
Viginti adde dies ter tres, hinc tres quoque menſes.

C ij

Transit ab hoc regno, deinceps fruitura superno,
Anno milleno trecentenoque quaterno.
Cara Deo & munda sub Aprilis luce secunda,
Æde Vicenarum letum gustavit amarum.
Corpus delatum fuit, & tandem tumulatum,
Parisii medium capiens chorum in æde Minorum.
Fletibus & lacrymis petimus, si flecteris vllis,
Rex Regum Domine, Reginæ tu miserere.

In hoc elogio quærenda non est carminis elegantia, sed veritas simplex, quæ Historiæ ornamentum est præcipuum.

Anonymo Poetæ adjungam Claudium Espencæum & Papyrium Massonum, qui brevius elogium conscripsere. Ille sermone III. de libris Francicis sic scribit: *Vidit idem inclyta illa virago & magnifica heroina Ioanna Literas Reipublicæ igne, quod aiunt, & aqua magis necessarias, quæ insigni liberalitatis exemplo quatuor Studiosorum ordinibus provocandis alendisque Navarram nostram justis quidem tunc proventibus locupletavit: structuris certe adeo amplis erexit, vt ad justæ magnitudinis vel vrbem condendam, vel vniversalem Scholam sustinendam satis esse putari non injuria possit.*

Hic libro III. Annalium de rebus Francorum in Philippo Pulcro: *Biennio ante vxorem duxerat Ioannam heredem Henrici Regis Navarræ, Comitisque Campaniæ. Hæc est illa Ioanna, cui regia Schola Navarrorum originem suam; & Literæ, quia earum Professores dilexit, immortalem gloriam debent.*

Sic assertum tempus, quo Joanna ex hac hominum colluvione ad superos, vt pie credimus, discessit. Sic asserta conjugalis castitas, quæ incertis adulterii suspicionibus lacessita fuerat. Sic asserta commendatio, quæ justos rerum æstimatores habuit.



CAPUT III.

Testamenti Reginæ curatores octo. Executio in iis quæ spectant ad Collegium.

REGINA ut Collegium fundaret, legavit Domum suam Navarræ dictam, quæ Portæ sancti Germani Pratensis adjacebat; & quia tunc ferme temporis abiit e vita, exstructum Collegium videre non potuit: exstruendum reliquit octo curatoribus, quos exequendo testamento præfecit. Ii sunt Stephanus Archiepiscopus Senonensis, Ægidius Abbas sancti Dionysii, Guido Castillonus Comes sancti Pauli & Buticularius Franciæ, Martinus Bachambreus Campaniæ Cancellarius, Simon Festuca Vindocinensis, Archidiaconus in Ecclesia Carnotensi, Theologus a consiliis secretis; Frater Durandus Confessarius, Enguerranus Marinius Eques & Chambellanus Regis, Frater Joannes Grangerius Eleemosynarius. Ex his duo, ceteris assentientibus, exstruendi Collegii onus susceperunt, Ægidius Abbas Sandionysianus, & Simon Festuca, qui postea Meldensis factus est Episcopus. Navarræ Domum & quæ ad eam spectarent, vendiderunt, & compararunt locum in quo nunc situm est Collegium: mutatum in loco, nihil in appellatione loci mutatum. Comparatus locus ex venditæ Domus nomine deduxit nomen, vocatus est Navarræ Domus, Navarræ Collegium, perinde ac si in propria Navarræ Domo ædificatum esset Collegium. Quicquid testamentarii curatores laboris insumpserint ac diligentiæ, Gymnasium, prout Regina decreverat, ædificatum ante & numeris absolutum suis non fuit, quam annus millesimus trecentesimus decimus-quintus excurreret. Testis est testamenti executio, quam instrumentum publicum ita repræsentat:

In nomine Domini, amen. Nos Simon miseratione divina Meldensis Episcopus, & Ægidius eadem miseratione Abbas sancti Dionysii in Francia, executores testamenti claræ memoriæ do-



minæ Ioannæ, quondam Franciæ & Navarræ Reginæ, notum facimus tam præsentibus quam futuris, quod cum dicta domina Regina in suo testamento seu ultima voluntate ordinaverit, creaverit, fundaverit & instituerit quandam Domum seu Congregationem Scholarium in Studio Parisiensi ibidem remanendam; volueritque & præceperit, ut Scholares ipsi recipiendi de regno Franciæ, triplicem statum habeant, & in triplici studeant Facultate: viginti videlicet in Grammatica, triginta in Logica & Philosophia, ac viginti in Theologia. Quorum singuli, scilicet Grammatici quatuor solidos Parisienses per hebdomadam, Logici sex solidos Parisienses, ac Theologi octo solidos Parisienses habeant in futurum, donec sibi videlicet Grammaticis de beneficio triginta librarum valoris, Logicis quadraginta, & Theologis valoris sexaginta librarum Parisiensium per quemcunque contigerit provideri. Et quod Grammatici Doctorem in Grammatica, bonæ vitæ & sufficienter instructum in Grammaticalibus; necnon Logici Magistrum in Artibus idoneum & expertum habeant: qui Doctor & Magister Scholares suos non solum in scientia, sed etiam in conversatione laudabili, honestate vitæ & moribus, caritative & fideliter erudiant verbo pariter & exemplo. Volueritque & ordinaverit, quod in Domo prædicta sit publica Capella & communis, in qua duo Capellani perpetui per septimanam unus post alium die qualibet celebrabunt, & habebunt duos Clericos servitores in ipsa Capella, & custodes ejusdem. Qui Capellani videlicet singuli bursam Theologi, & quilibet Clericus Grammatici bursam habebunt. Quodque sit in dicta Domo deputatus aliquis Scholaris, probus vir, curam & administrationem Domus & Scholarium prædictorum gesturus, qui duplicem Theologi bursam habeat pro labore, qui Provisoris officio seu Magistri fungatur, prout hæc & alia multa in ordinatione facta super institutione dictorum Scholarium sigillis domini Philippi Regis nuper defuncti, & dictæ dominæ Reginæ, ac domini Ludovici ipsorum primogeniti, nunc Regis Franciæ, sigillata plenius continentur. Dictaque domina Regina voluerit, ordinaverit, ac etiam præceperit, quod si aliqua in dictis ordinatione, institutione & fundatione & aliis in suis testamento & codicillis contentis essent declaranda, augmentanda, ordinanda & corrigenda, quod per suos executores vel duos eorum possent declarari, augmentari,

ordinari, institui & corrigi. Et quod ea quæ per suos executores essent ordinata, correcta, declarata, instituta vel augmentata, tantum habeant & haberent roboris & firmitatis, ac si essent omnia & singula in suis testamento & codicillis contenta, prout hæc in tribus clausulis in suis testamento & codicillis contentis plenius continentur, quarum prima talis est:

Auxquels executeurs nous donnons plein pouvoir de corriger & de declarer ce qui sera douteux & obscur és choses dessusdites.

Secunda clausula in codicillis contenta talis est: Et nous voulons ensur que tout, que s'il i a aucune chose à adjouster, corriger, ordonner & declarer en l'institution de la Maison des Echoliers & de l'Hospital, que nous ordonnons & commandons en nostredit testament estre fait de nos biens; que nosdits executeurs puissent adjouster, corriger & amander ce qui leur semblera que bon soit. pour le profit de la Maison & de l'Hospital, & pour le salut de nostre ame. Et voulons & commandons, que tout ce que lesdits executeurs commanderont, adjousteront, declareront & corrigeront sur ce & sur toutes les autres choses contenuës en nostredit testament ou derniere volenté, de laquelle chose faire nous leurs donnons plein pouvoir, soit tenu & accompli & fermement gardé ainsi comme si nous-mesmes l'avions fait & ordonné.

Tertia autem clausula in institutione & ordinatione dictorum Scholarium contenta talis est: Et si forte in præscriptis institutione & statutis aliqua addenda, corrigenda, aut etiam declaranda fuerint: volumus & tenore præsentium ordinamus, quod si per executores nostros addi, corrigi & declarari valeant, prout eisdem executoribus pro dictæ Domus utilitate & commodo, ac animarum dicti domini nostri & nostræ remedio & salute, viderint melius expedire; & illa quæ per eosdem executores in præfatis institutione & statutis addita, correcta & declarata fuerint, tantam habere volumus & præcipimus roboris firmitatem, ac si essent in præsentibus scripta specialiter & expressa. Et cum nobilis & potens Princeps dominus Guido, Comes sancti Pauli & Buticularius Franciæ, coexecutor nostri dicti testamenti, omnia & singula, quæ per nos in receptione Magistrorum & Scholarium dictæ Domus ac quarundam institutionum, ordinationum &

declarationum super præmissis hactenus per nos facta, rata habuerit, atque grata acceptaque omnia & singula, quæ per nos in præmissis ordinanda, declaranda, augmentanda & corrigenda, voluerit & approbaverit & ratificaverit, quantum sua interest, prout in suis literis continetur, quarum tenor talis est:

A tous ceux qui ces presentes lettres verront: Gui de Chastillon, Comte de saint Paul & Bouteiller de France, executeur avec autres du testament de Dame de bonne memoire Madame Ieanne, jadis Roine de France & de Navarre, salut en nostre Seigneur. Sçaichent tuit, que nous en tant comme à nous est comme executeur, voulons, approuvons & ratifions l'ordonnance & la declaration, que honorables Peres en JESUS-CHRIST *Monseigneur Simon par la grace de Dieu Evesque de Meaux, & Gilles par celle mesme grace Abbé de saint Denis en France, executeurs avec nous dudit testament, ont faites tant comme executeurs en l'Hostel des Escholiers de ladite Dame, fondé à Paris, tant en l'institution des Maistres & des Escholiers & des Chapellains & Clercs de ladite Maison. Quant en autres choses selon la teneur des lettres pendens d'iceux honorables Peres, & voulons, approuvons & ratifions tout ce qu'ils voudront ordonner, declarer, adjouster & corriger des ores, droict ou temps à advenir, en l'ordonnance des choses contenuës audit testament, selon ce qui leurs semblera que bon soit à faire: & l'aurons & avons, tant comme en nous est, ferme & estable. En tesmoing de ce nous avons mis en ces presentes lettres nostre seel, donné l'an de grace* MCCCXV. *le Samedi veille saint Thomas l'Apostre.*

Nos autem Episcopus Meldensis & Abbas sancti Dionysii in Francia, auctoritate & potestate nobis per dictam dominam Reginam concessis; de voluntate etiam & assensu prædicti domini Comitis sancti Pauli, coexecutoris nostri: pensata utilitate dictæ Domus, considerataque intentione dictæ dominæ Reginæ, de bonorum & peritorum virorum consilio, supplicationi humili dictorum Scholarium annuentes, quæ nobis humiliter supplicarunt, quod juramenta præstita & præstanda de observandis nostris infrascriptis institutionibus & statutis non præjudicent eorum juramento, vel juramentis Universitatis Parisiensis, vel alicui Facultati ejusdem præstitis vel præstandis; sed salva penitus remaneant & illæsa. Vna cum supradictis ordinamus & statuimus,

quod

quod in dicta Domo ponatur quidam idoneus Grammaticus bonæ vitæ, qui Submagister vocabitur ad instruendum juniores in primitivis scientiæ Grammaticæ: qui quidem Submagister bursam unius Scholaris in Artibus habebit.

Statuimus etiam, quod ibidem ponatur unus Magister in Theologia idoneus pro Scholaribus Theologiæ in Facultate Theologiæ instituendis: qui Magister in Theologia viginti solidos Parisienses habebit qualibet septimana, & tenebitur legere in Domo prædicta.

Statuimus etiam, quod Magister & Scholares scientiæ Grammaticæ tres Beneficiarios habeant, qui eligentur & ponentur ibi per Provisorem dictæ Domus & per Magistrum in Grammatica: Magister vero & Scholares scientiæ Logicæ, sex, qui similiter ponentur per Provisorem prædictum & Magistrum in Artibus: Magister autem & Scholares in Theologia, sex, qui similiter ponentur per Magistrum in Theologia & Provisorem prædictum. Ad augmentationem vero Officii seu cultus divini, statuimus & ordinamus, quod una cum duobus Clericis & duobus Capellanis in dicta Capella Domus per dictam dominam Reginam institutis, alii duo Capellani & alii duo Clerici instituantur, quorum quilibet bursam habeant, sicut habent alii Capellani & Clerici per dictam dominam Reginam, ut prædicitur, instituti: qui quidem quatuor Capellani & quatuor Clerici infra porprisium dictæ Domus in domibus pro ipsis ordinatis vel ordinandis, & non alibi, morari tenebuntur, & suam facere mansionem, ut promptius & magis competenter dictæ Capellæ deservire valeant, & divina Officia melius exercere. Si vero dictam Domum inhabitare noluerint, & ad Missas & horas diei & noctis continuam facere residentiam, ut decebit, a bursis dictæ Domus sint privati, & per alios idoneos Magister in Theologia & Provisor dictæ Domus Capellæ competenter faciant deservire, quandiu ipsos a Capella & Domo contigerit absentari, ne dicta Capella a suis obsequiis quomodolibet defraudetur. Præfati vero quatuor Capellani & quatuor Clerici singulis diebus festivis & non festivis, Matutinas, Vesperas & alias horas canonicas in dicta Capella, quæ ad honorem beati Ludovici Confessoris est fundata, cantare, & duas Missas celebrare diebus singulis tenebuntur, videlicet diebus dominicis & festivis, quibus non legitur in Scholis, unam Mis-

ſam ſtatim poſt Primam, & aliam ſtatim poſt Tertiam: ad quas Miſſas, horas, Matutinas & Veſperas tenebuntur dicti Capellani & Clerici intereſſe in ſuperpelliciis ſuis, & habebunt almucias. Et habebunt Theologi & Artiſtæ, Magiſtri eorum, Proviſor, necnon Magiſter. & Submagiſter in Grammatica, ſuperpellicia & almucias: pueri vero in Grammatica capita nuda. Et ſi ſine cauſa rationabili defecerint, Capellanis pro quibuſlibet Matutinis, magna Miſſa & Veſperis ſolvere tenebuntur quatuor denarios, & pro qualibet hora aliarum horarum duos denarios; Clerici vero ad pœnam dimidiam tenebuntur in utilitatem ſervientium & præſentium convertendam.

Scholares vero alii ad Veſperas primas, videlicet in diebus Sabbati & in vigiliis feſtorum communium, Matutinas & magnam Miſſam diebus dominicis & feſtivis ſub pœna ſex denariorum quilibet tenebitur. Ad Veſperas vero diebus dominicis & feſtivis non tenebuntur, niſi eis placuerit intereſſe, ut poſſint dicti Scholares ſermonum collationibus eſſe præſentes, ſalvo tamen, quod diebus dominicis mortuorum Vigiliis interſint, & in Miſſa in craſtino pro ſalute animæ fundatricis: ad quæ non tenebuntur illi, quibus incumbet legere, vel actus communes Domus & utilitatem Societatum publice exercere; & interſint in ſuperpelliciis & almuciis, & chorum ad Matutinas, ad Miſſam, ad Veſperas ſupradictas infra primum Gloria Patri, *intrent ſub pœna quatuor denariorum pro qualibet negligentia vel defectu. Quæ quidem Miſſæ tam de beata Virgine, de tempore & de feſtis, quam pro defunctis & aliis ſecundum dies & tempora ad uſum Pariſienſis Diœceſis ordinata celebrabuntur, prout utilius & melius ad honorem Dei, beatæ Virginis & omnium Sanctorum, necnon ad ſalutem animarum Regis & Reginæ prædictorum & parentum ſuorum fieri poterit & debebit. Item ſtatuimus & ordinamus, quod in dicta Domo Scholarium ſeu in Capella, in loco ſecuro ſit quædam arca, in qua ſint tres clauſuræ, & in qualibet clauſura unum foramen, & tres claves, quarum unam habeat Magiſter in Theologia, aliam Magiſter in Artibus, & aliam Proviſor dictæ Domus. In qua arca reſiduum burſarum quod remanebit propter abſentiam Scholarium a Domo, ponetur qualibet ſeptimana per dicta foramina a Magiſtris cujuſlibet Facultatis, qui jurabunt hæc fideliter ſe facturos.*

Dicta vero arca bis in anno aperietur, & videbitur quid est ibi de residuo, videlicet in festis Purificationis beatæ Virginis, & in festo beati Ludovici Confessoris, in cujus honore dicta Capella est fundata & erit, præstante Domino, dedicata. Præsentibus Magistris & Scholaribus dictæ Domus, vel majori parte eorundem, quod residuum, convertetur in emptionem librorum & aliorum necessariorum dictæ Domus, quantum ad id extendere poterit se facultas. Provisor autem dictæ Domus semel in anno in crastino beati Ludovici reddet computum de expensis, misiis ac receptis per ipsum factis, præsentibus Gubernatoribus dictæ Domus, vel mandato eorundem, qui hic inferius nominantur, præsente etiam Magistro in Theologia vocato ad hoc, & præsente aliquo de Camera Compotorum Regis Parisius, quem Magistri dictæ Cameræ deputabunt ad requisitionem Magistri in Theologia dictæ Domus, qui propter hoc adire tenebitur in dicta Camera in vigilia dicti festi, vel ante. Qui deputatus pro labore suo, audiendo, videndo & examinando dictum compotum, habebit XL. solidos Parisienses de reditibus dictæ Domus: & bona fide promittet in dicta Camera, præsente dicto Magistro in Theologia, se habere fideliter in præmissis, & quod secretum dictæ Domus non revelabit cuiquam. Illud vero quod erit residuum de dictis reditibus, seu aliunde, in augmentationem redituum dictæ Domus convertetur.

Magistri autem supradicti, Provisor, Capellani & Clerici, de terra Campaniæ vel de provincia Senonensi assumantur, si reperiantur idonei. Si vero ibidem Magister in Theologia idoneus non inveniatur, de loco propinquiori dictarum terræ & provinciæ de natione Gallicana assumetur; & similiter alii Magistri assumentur eodem modo.

Scholares autem tam in Grammatica & Logica, quam in Theologia de terris infra scriptis assumentur: videlicet de terra Campaniæ, quæ fuit dictæ dominæ Reginæ fundatricis, de cujus terræ bonis dicta Domus Scholarium est fundata, quindecim Scholares assumentur, videlicet quatuor in Grammatica, septem in Artibus, & quatuor in Theologia. De provincia vero Senonensi extra terram Campaniæ, assumentur duodecim Scholares, videlicet tres in Grammatica, sex in Artibus, & tres in Theologia. De provincia autem Remensi, extra terram Campaniæ, in

& de regno Franciæ existente, assumentur decem Scholares, videlicet tres in Grammatica, tres in Artibus, & quatuor in Theologia. De provincia autem Turonensi assumentur undecim, videlicet tres in Grammatica, quatuor in Artibus, & quatuor in Theologia. De provincia Bituricensi assumentur sex Scholares, videlicet duo in Artibus, duo in Grammatica, & duo in Theologia. De provincia Rotomagensi assumentur decem, videlicet tres in Grammatica, tres in Artibus, & quatuor in Theologia. De provincia Lugdunensi, de terra tamen in & de regno Franciæ existente, assumentur duo, videlicet unus in Artibus, & alius in Theologia. De provincia Burdegalensi, de terra tamen in & de regno Franciæ existente, assumentur duo Scholares, videlicet unus in Artibus, & alius in Theologia. Necnon de provincia Narbonensi, de terra tamen in & de regno Franciæ existente, assumentur duo, videlicet unus in Artibus, & alius in Theologia.

Præfati Doctores in Theologia, Logica seu Artibus & in Grammatica, de nutritis in Domo prædicta, si qui fuerint, vel dum fuerint ad hoc sufficientes & idonei, eligantur, & in eadem Domo nutriti in præmissis aliis præferantur. Cum vero in Facultate Theologiæ locum vacare contigerit, sufficientior de Logicis seu Artistis in loco prædicto ponatur, si ad hoc per Provisorem & Magistrum in Theologia idoneus judicetur.

Similiter cum in Logica seu Artium Facultate locus vacaverit, in eodem ponatur magis sufficiens de Grammaticis dictæ Domus, si reperiatur sufficiens & idoneus, alias de locis superius declaratis: & sic de gradu in gradum ascendent.

Postquam vero Theologus Licentiam in Theologia obtinuerit, cum effectu Domum exire simpliciter teneatur, & sibi alibi providere: & jurabit se non differre seu prolongare receptionem seu susceptionem Magisterii prædicti ob causam prædictam.

Magistri autem & Submagister, prædicti Scholares, etiam Provisor, Capellani & Clerici dictæ Domus, quando locus vacaverit, ponentur per nos Episcopum Meldensem & Abbatem sancti Dionysii supradictos, quandiu nos vitam duxerimus in humanis: uno tamen nostrum defuncto, succedet in locum ejus Magister in Theologia dictæ Domus, qui pro tempore fuerit, una cum Episcopo Meldensi vel Abbate S. Dionysii, qui pro tempore fuerint.

Nobis autem de medio sublatis, ponentur per Episcopum Meldensem, Abbatem sancti Dionysii, Magistrum in Theologia dictæ Domus, qui pro tempore fuerint, & per Cancellarium Parisiensem, necnon & per Decanum Communitatis seu Congregationis Magistrorum Theologicæ Facultatis, vel per majorem partem eorundem, aliis tamen vocatis & absentibus vel nolentibus interesse: hoc salvo, quod nunquam dicti Magistri & Scholares, Capellani & Clerici, quando locus vacabit ibidem, in absentia & sine Episcopo Meldensi & Abbate sancti Dionysii, qui pro tempore fuerint, vel speciali mandato ipsorum, vel alterius eorundem ponentur ibidem. Nos autem Episcopus Meldensis & Abbas sancti Dionysii supradicti, quandiu vixerimus, Gubernatores dictæ Domus vocabimur; & similiter Episcopus Meldensis, Abbas sancti Dionysii, Magister in Theologia dictæ Domus, Cancellarius Parisiensis & Decanus dictæ Facultatis, qui pro tempore fuerint, Gubernatores dictæ Domus vocabuntur.

Magistri vero, Provisor & Scholares, & alii qui jam per nos sunt ibidem instituti, remanebunt usque ad sua tempora, nisi evidens defectus in ipsis appareat, propter quem secundum ordinationem a Domo expelli debeant, ordinatione super numero Scholarium cujuslibet provinciæ facta, ut prædicitur, vel alia quacunque contraria non obstante.

Præterea statuimus & ordinamus, ac etiam declaramus, quod omnes Socii de Domo, cujuscunque Facultatis existant, honeste se habeant in gestu & habitu, nullus caligas habeat nisi nigras, nullus sotulares deferat laqueatos, nullus comam nutriat, nec habeat calamistrum, nec cucusam, sed tonsuram rotundam deferat, & coronam satis largam.

Item jurabunt, quod ipsi Gubernatoribus dictæ Domus & Magistro in Theologia & aliis Superioribus suis honorem deferent, & sibi obedient in licitis & honestis.

Item qualibet Societas in qualibet comestione parva vel magna benedictionem solitam facient, & in fine agent gratias, & dicent unam orationem de Defunctis pro anima fundatricis, Regis Philippi & parentum suorum.

Item quia ex comestionibus in cameris sæpe gravatur Societas, & studium multipliciter impeditur, nullus comedat in camera, nisi infirmus fuerit vel minutus, vel honestum hospitem habeat

extraneum, non morantem Parisius, nisi de licentia Magistri in Theologia dictæ Domus. Et tunc de clamoribus & altis vocibus abstineant, ne contingat Socios a suis studiis impediri. Et tunc de communi non habeant nisi panis solitam portionem. Sed si hospes supervenerit, poterit comedere cum Sociis, ita tamen quod ille qui eum ducet, solvet pro eo secundum qualitatem bursæ: sic quod nullo modo gravetur Societas propter ipsum. Sed si hospes fuerit persona notabilis, poterit Socius ipsum festinare in camera, & ducere secum aliquos de Sociis, vt sibi faciant solatium & honorem, qui de penu solitam habeant portionem. Si quis vero minutus fuerit, poterit per tres dies comedere in sua camera, & poterit vocare aliquem Socium, vt sibi societatem faciat: & habebunt suam integraliter portionem, ita tamen quod propter eorum servitium non impediatur servitium Sociorum.

Si quis autem sine causa rationabili in camera sua comederit, pro qualibet vice solvet duos denarios, qui de bursa sequentis septimanæ deducentur convertendi in vsum & commodum prædictorum. Sed infirmis non est lex posita, fas sit sibi secum habere vnum Socium, qui sibi faciat solatium & juvamen: & dictus Socius debitam habeat portionem. Quæ autem sit portio vnius Socii, dispensatoris arbitrio relinquatur.

Si autem quis ab extra venerit, & sex diebus comederit, solvet bursam similiter cum excessu; si quinque diebus, bursam cum medietate excessuum; si quatuor, bursam sine excessu; si tribus vel minus diebus comederit, habebitur sicut hospes.

Item quilibet Socius habeat signum proprium in pannis suis lineis vnicum & ab aliis diversum, notum famulis qui habent dictos pannos recipere & distribuere, vt possint sine errore distribuere cuilibet suos. Dicentur etiam qualibet die dominica post Vesperas & alias horas canonicas Vigiliæ de Defunctis, & Missæ in crastino, quibus omnes Scholares interesse similiter tenebuntur sub pœna superius declarata.

Item nullus extraneus recipiatur in bursa, nec in Domo jaceat vltra sex dies sine prædicti Magistri in Theologia licentia.

Tenebitur etiam quilibet Grammaticus, Logicus & Theologus non Sacerdos, dicere vel dici facere quatuor Psalteria anno quolibet, vel duo ad minus, pro anima fundatricis: & quilibet

Sacerdos in suis Missis de ea orationem facere specialem.

Item jurabunt, quod secreta Domus & Sociorum nulli extraneo revelabunt.

Item nullus extraneus intersit compotis, Congregationibus vel specialibus tractatibus Sociorum, prænominatis duntaxat personis exceptis: nec coram extraneis aliquid, quod ad speciale convitium Sociorum pertineat, proponatur.

Item nullus Socius in villa jaceat, nec de nocte tarde ad Domum veniat, sub pœna duorum solidorum, nisi causam habeat rationabilem, quam dicto Magistro in Theologia per suum juramentum tenebitur fideliter assignare.

Item nullus Socius vas aliquod Communitatis extra Domum mittat sine ejus ad quem vasorum custodia pertinuerit, licentia speciali.

Item vt vagandi tollatur omnis occasio, a festo sancti Remigii vsque ad festum sancti Ioannis Baptistæ nullus Scholaris villam exeat sine causa rationabili, quam Magistro in Theologia tenebitur per juramentum suum fideliter assignare.

Item quælibet Societas habebit Beneficiarios, vt superius est declaratum, qui in eodem morentur Hospitio, si possit fieri bono modo: & similiter comedent, & beneficia eis communiter distribuentur, nec vnus alii præferatur. Et sint boni pueri, habiles in vita & moribus, & ad proficiendum bene dispositi: & tenebuntur interesse Missis & Vigiliis, sicut Socii de Domo; & qui defuerint, punientur.

Tenebuntur autem dispensatores & famuli omnium Societatum per juramenta sua, omnia fragmenta de cameris & mensis omnibus fideliter colligere, & dictis Beneficiariis integraliter conservare.

Item Magister & Submagister, qui recipientur ad informandum pueros Grammatos, jurare tenebuntur, quod dictos pueros instruent fideliter in Domo, scientia & moribus sine affectione qualibet personarum.

Item quod fidele testimonium perhibebunt de conditionibus bonis vel malis suorum Scholarium, & eorum sufficientia vel insufficientia ad audiendum Logicam, quotienscunque a prædicto Magistro in Theologia dictæ Domus fuerint requisiti.

Item jurabunt, quod bursas Scholarium facient fideliter, &

cibos & potus eis distribuent fideliter: & si quod bursarum residuum fuerit, reservabunt fideliter convertendum in eorum commodum, ex Provisoris Domus consilio, nihil sibi simpliciter retiniendo.

Item nullum puerum dimittent ire solum; sed si viderint quod habeat necessitatem exeundi, dabunt sibi bonum puerum socium, non suspectum: nec frequenter dabunt eundem, sed mutabunt eos sæpius, ne conveniant in aliquod turpe factum.

Item quod diligenter audient lectiones, materias & usus, & talia secundum ordinationem cujuslibet, prout est in Scholis Grammaticalibus consuetum.

Item non permittent pueros loqui communiter in alio idiomate quam Latino.

Item inquirent diligenter quantum quilibet habeat in reditibus, & Magistro in Theologia fideliter revelabunt.

Item omnes tenebuntur scire & dicere horas beatæ Virginis & Vigilias de Defunctis.

Item omnes habeant habitus, videlicet tabaldos seu houssias longas de bruneta nigra, & colorem prædictum mutare non poterunt, quousque in Artibus determinaverint; competenter & absque habitu prædicto nec soli exire Domum quomodolibet permittantur.

De Artistis autem statuimus, ordinamus & declaramus in hunc modum. Primo jurabit quilibet, quod fideliter dicet quantum habeat de reditibus suis patrimonialibus sive Ecclesiasticis, quotienscunque a prædicto Magistro fuerit requisitus.

Item nullus habitum deferat, nisi tabaldum seu houssiam longam de bruneta, antequam determinaverit.

Item illi qui determinaverint, cappam habeant de perso vel alio uno & eodem colore honesto, quandiu fuerint in Artibus, nisi prius audierit per quatuor annos, & sufficiens secundum Magistri conscientiam judicetur.

Item si quis infra septimum annum a tempore suæ receptionis, non mereatur in Artibus obtinere Licentiam, de rigore exeat a Domo, & bursa privetur perpetuo, nisi sit propter infirmitatem vel aliud impedimentum legitimum excusatus.

Item si quis præsumpserit de gratia Licentiam obtinere a Domo, & bursa sit simpliciter privatus: & antequam aliquis in Artibus

bus

bus incipiat, studeat libros Logicales & naturales legere laudabiliter, & arguendo & respondendo communiter approbari, nisi Domum exire intendat, & ad Facultatem aliam se transferre.

Item quia in dicta Domo recipiuntur Scholares sub titulo paupertatis, ut superfluarum expensarum amoveatur occasio pro Determinatione vel Licentia: nullus Scholaris invitet ultra sex vel octo extraneos sine dicti Magistri licentia speciali.

Item in qualibet quindena in hieme, in qualibet septimana in æstate fiat communis collatio, & disputatio de aliqua quæstione de Grammatica, sive Logica: & illi qui fuerint ad respondendum habiles, respondeant quilibet in suo ordine, sicut Magister voluerit quæstionem assignare: & ille qui respondere debebit, habeat per duos dies ad minus quæstionem, ut ad respondendum magis provisus sit, & audiatur pacifice sine omni protervia & clamore; & die qua in Domo disputabitur, Magister in Domo legere minime teneatur.

Item nullus Scholaris in Faculetate Artium antequam determinaverit, præsumat per vicos discurrere, nec solus incedere; sed habeat honestum socium, & licentiam accipiat a suo Magistro, ut Domui nullum scandalum oriatur.

Item nullus Medicinam aut Decretales audiat, quandiu bursas perceperit ante dictas.

Item quilibet per suum juramentum pacem & tranquillitatem Domus & famam Domus & Sociorum tenebitur observare.

Item si quis verba opprobriosa vel contumeliosa alii dixerit, punietur in una bursa; & si assuetus fuerit in talibus, puniatur.

Item nullus in mensa loquatur, nisi verba honesta & salutaria, & illa submisse, clamoribus omnibus prætermissis.

Item loquatur communiter Latinum, ut per assuetudinem promptius & magis congrue proferant & loquantur.

Item illi qui fuerint in eadem lectione, lecta lectione conveniant, & eam referant pacifice; & ille qui eam melius poterit repetere, audiatur. Ultra hoc tenebitur specialiter Magister in Artibus, qui fuerit pro tempore, per juramentum suos Scholares fideliter instruere, respondendo ad dubia quæ a suis Scholaribus proponentur, diligenter audire lectiones Scholarium studentium in Facultate Artium, & eos fideliter instruere in vita pariter

& doctrina, & Disputationes audire pacifice, & respondentem dirigere; & finita Disputatione, partem quæ sanior sibi videbitur & verior, tenere, & ad eam rationem vel rationes aliquas assignare. habere

Tenebitur etiam aliqua hora diei aliquem librum, quem major pars elegerit Sociorum, & quod docebit omnes fideliter, affectione cujuscunque nationis vel personæ simpliciter circumscripta.

Item jurabit, quod fidele testimonium perhibebit de vita & moribus & sufficientia suorum Scholarium, quotienscunque a suis Superioribus fuerit requisitus: & si quos indisciplinabiles vel incorrigibiles, vel non proficientes, quod absit, repererit, eis similiter revelabit.

Item tenebuntur dicti Artistæ sermonibus & collationibus, quas in vigiliis festorum in Domo fieri contigerit, interesse.

Item in festis sancti Nicolai & beatæ Catharinæ nullum ludum inhonestum faciant, nec Domum exeant, nec extraneos recipiant nec admittant.

De Theologis autem statuimus & ordinamus ac etiam declaramus, quod primo jurabit quilibet, quod dicet fideliter quantum habeat in reditibus patrimonialibus sive Ecclesiasticis, quotienscunque a suis Gubernatoribus fuerit requisitus.

Item quilibet Theologus sit ita diligens, quod disponat se taliter, quod infra sex annos possit per Parochias prædicare communiter, & infra annum VII. *inclusive ad legendum cursus de Biblia, & arguendum in Disputationibus communibus, & ad legendum Sententias infra annum* X. *& si quis in hoc defecerit, Domus beneficio sit privatus. Et si forte, quod absit, contigerit, quod aliquis timore amissionis bursæ se vellet ingerere ad aliqua præmissorum improvisus, insufficiens vel indignus, non permittetur ad talia propter vitandum Domus scandalum, nisi a magis provectis Sociis de Domo reputaretur sufficiens & idoneus ad præmissa.*

Item postquam alicui provisum fuerit de competenti Beneficio, propter quod merito debeat bursas Domus dimittere, tenebitur per juramentum suum infra duos menses, postquam percipere inceperit fructus Beneficii, cameram simpliciter dimittere & exire, ut subrogatus Socius locum habeat, nisi super hoc cum eo dispensetur de gratia speciali a Gubernatoribus dictæ Domus vel a majori parte eorundem.

Item a festo sancti Remigii vsque ad festum Pentecostes magna comestio fiet post Vesperas, ne Socii a lectionibus impediantur.

Item in qualibet comestione magna legatur de Biblia, & lector Bibliæ in aula in septimana qua legere debuerit, in festis de aliquo sermone provideat ad festum pertinente, quem quandiu dixerit, nullus audeat impedire.

Iurabunt etiam, quod statuta Domus, consuetudines & regulas pro posse inviolabiliter observabunt, & famam & pacem & honorem dicti Magistri in Theologia custodient, nec contra eum modo quolibet facient nec machinabuntur, nisi evidens defectus appareat in eodem, & quod sibi obedient in honestis & licitis.

Item quod officia ad quæ eos eligi contigerit, fideliter exercebunt, & bona Domus custodient, administrabunt & procurabunt, prout sua intererit, & pacem & concordiam cum Sociis inviolabiliter observabunt.

Item in vigiliis festorum solennium immediate post Vesperas tenebitur quilibet Theologus in suo ordine aliquam collationem de festo facere in Ecclesia vel in Capitulo, ad quam tenebuntur omnes Scholares & Socii interesse.

Ea tamen quæ eis vel aliis videbuntur honesta & utilia statuenda, poterunt ea statuere: quæ tamen donec a Gubernatoribus approbata fuerint, non habebunt alicujus roboris firmitatem.

Theologi vero prædicti Scholares habitus, videlicet tabaldos seu houssias longas, habeant cujuscunque coloris voluerint, honesti tamen ac unius & ejusdem; & Baccalarii cappas rotundas ejusdem coloris: & absque habitu prædicto Domum exire non præsumant. Quod si fecerint, pro qualibet vice de duobus solidis punientur, ni forte ipsis extra villam contigerit equitare.

Præfati vero Magistri & Scholares omnes tenebuntur interesse apud sanctum Dionysium die obitus seu anniversarii serenissimæ memoriæ defuncti Philippi Regis, vel illa die qua celebrabitur ejus anniversarium: & in crastino beati Andreæ Apostoli tenebuntur dictum anniversarium in sua Capella Parisius celebrare, Vigilias ante Vesperas die sancti Andreæ prædicta solenniter decantare: & etiam dicti Capellani & Clerici cum aliis Magistris & Scholaribus in die anniversarii prædicta apud sanctum Dio-

E ij

nsium similiter interesse. Similiter die obitus dictæ dominæ Reginæ, vel illa die qua celebrabitur ejus anniversarium in Domo Fratrum Minorum Parisius, tenebuntur ibidem personaliter interesse, & die crastina in sua Capella Parisius dictum anniversarium solenniter celebrare.

Anniversaria vero patris & matris dictæ dominæ Reginæ etiam celebrabunt diebus, quibus in Ecclesia beati Stephani Trecensis consuetum est celebrare.

Item prædicti Magistri & Scholares, necnon Capellani & Clerici in quatuor festis annualibus, & in festis beatæ Virginis, beati Ioannis Baptistæ, beati Nicolai & beati Ludovici, & in quatuor anniversariis prædictis, videlicet in Vigiliis & festis prædictis in simul & in eodem loco comedere tenebuntur, & tunc pro qualibet die & vigiliis ultra bursas solitas sexaginta solidos Turonenses habebunt in pitantiam convertendos.

Declaramus insuper, quod præfati Magistri Scholares, Capellani & Clerici, quorum interest, & prout ad quemlibet pertinuerit, quod ipsi habitus suos prædictos habeant cum effectu infra festum beati Ioannis Baptistæ sub juramento præstito vel præstando.

Magistri vero & Scholares, Capellani & Clerici prædicti in receptione sua specialiter jurabunt ordinationes & statuta prædicta inviolabiliter observare.

Statuta autem in ultima voluntate dictæ dominæ Reginæ contenta, quæ non sunt tenore præsentium correcta, declarata & mutata, tenere vel inviolabiliter observare permittent, quousque per nos aliud fuerit ordinatum. Necnon jurabunt jura Domus servare, defendere & pro viribus procurare, & alia quæ circa hæc fuerint facienda, antequam de bursis gaudeant, vel recipiantur in Domo. De pecunia autem, quæ de pœnis prædictis habebitur, ordinabunt secundum quod de bursis Scholarium absentium a villa seu a Domo superius extitit ordinatum. Provisor autem seu Procurator prædictus de reditu duarum millium librarum Turonensium dictæ Domui assignato tenebitur providere Capellæ prædictæ de cera, oleo, chordis, vestimentis Ecclesiasticis, superpelliciis & aliis necessariis quibuslibet, necnon domos prædictas & ædificia necessaria pro dictis Scholaribus facere ædificari & reparari, quando & quotiens fuerit opportunum, & de expensis

& misis propter hoc factis in suis compotis annis singulis reddere rationem.

De residuo vero duarum dictarum millium librarum Turonensium, bursis prædictis & aliis misiis & expensis necessariis persolutis, ementur libri Theologiæ, Philosophiæ & Grammaticæ usque ad sufficientiam Scholarium prædictorum, quibus sufficienter provisis, ementur reditus ad augmentationem numeri Scholarium prædictorum.

Et ut melius prædicta in memoriam habeantur, prædictæ ordinationes & statuta quater in anno quolibet, videlicet in vigilia Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes & omnium Sanctorum legentur in Capitulo dictæ Domus, præsentibus Magistris, Scholaribus, Capellanis & Clericis supradictis, qui omnes interesse personaliter tenebuntur: & qui absentes fuerint, nisi ex causa rationabili, solvent unam bursam pro emenda; & tunc fiet ibi sermo per Magistrum in Theologiæ Facultate, vel per alium competentem: quo sermone finito, forenses tenebuntur exire. Et tunc si quæ statuenda fuerint pro Domus utilitate & Scholarium statuentur, quæ tamen non habeant roboris firmitatem, donec a suis Gubernatoribus fuerint approbata.

Gubernatores vero per se, ut deputatos ab eisdem seu a majori parte ipsorum, quolibet anno in festo beati Ludovici vel circa dictam Domum & personas dictæ Domus visitabunt, & corrigent corrigenda, & emendabunt emendanda: & tunc si qui de prædictis Magistris, Scholaribus, Capellanis & Clericis amoti seu defuncti, vel promoti ad majora fuerint, loco ipsorum secundum ordinationes prædictas alios subrogabunt.

Nos autem Episcopus & Abbas prædicti retinemus potestatem addendi, corrigendi, ordinandi & declarandi circa præmissa & qualibet præmissorum, si prout & quando nobis visum fuerit expedire. Post hæc vero coram nobis in Capitulo Domus dictorum Scholarium propter hoc specialiter congregati vir venerabilis & discretus Magister Alanus Gonterii Doctor & Magister in Theologia, Ioannes de Messo, Magister Laurentius de Monteforti, Magister Petrus de Compenies, Gaufridus de Columbariis in Vindocinis, Magister Ioannes de Vemartio, Guillelmus de Corbolio, Magister Thomas de Canaberis, Magister Petrus de Rogeriis, Magister Ægidius de Pertico, Ioannes de Lagenaco

Castro, Magister Petrus de Villari-Bello, Ioannes de Assiaco, Ægidius de Villiaco, Ioannes de Meldis, Magister Ioannes Barbe, Henricus de Silvanecto, Magister Nicolaus de Pavelione, Magister Ioannes de Charconville, omnes prædicti Scholares in Theologia.

Item Studentes in Artibus seu Artium Facultate, videlicet Magister Ioannes de Gendino Magister Artistarum, Iacobus de Congiaco, Ioannes de Venderio, Ioannes de Cailliaco, Ioannes de Gravia, Theobaldus de Bannote, Ioannes de Chenengis, Ioannes de Crenaio, Ioannes de Chailliaco, Ioannes de Gemula, Ægidius de Ulcheio, Philippus de Belloforti, Guido de Divione, Ioannes de Bolonia de sancto Audomaro, Guillelmus Bernardi, Ægidius de Autissiodoro, Ioannes de Bermo, Stephanus Ogerii, Ioannes Godelli, Albicus de Roiciaco, Ioannes de Vemurtio, Petrus de Lyeiis, Simon de Compendio, Petrus de Capella domini Galterii, Ludovicus de Moreto, Petrus de sancto Ionio, Robinus de Aneto, Ioannes Maillard, Dionysius Mahatel, Ægidius de Dulendio, omnes Scholares in Logica seu Artium Facultate.

Necnon in Grammaticis Ioannes de Rotuleto Magister, Ægidius de Moreto Submagister in Grammatica, Remigius de Sommavera, Dionysius de Canda, Guiotus de Ibernali, Remigius de Corbolio, Ioannes de Posterna, Guarinus de Aloiaco, Ioannes Olearii, Guido de Noa, Ioannes de Moreto, Petrus de Bello-Marchiso, Stephanus de Lingonis, Bartholomæus de Lingonis, Garnotus de Ferrariis, Garinus de Moreto, Reginaldus de Moreto, Gillotus Artuarii, Simon de Petra-Ponte, omnes Grammatici.

Item domini Guillermus de Atainvilla, Guillelmus de Athiliaco, Ioannes Mignon & Ioannes de Maleconeo, Capellani dictæ Domus.

Item Guillermus de Insulis, Ioannes de Roavilla, Stephanus Vincentii de Grossibus, & Stephanus de Capella Reginæ, Clerici Capellæ dictæ Domus; necnon Magister Philippus de Valle, Provisor dictæ Domus.

Omnia & singula supradicta eodem modo, & prout superius sunt expressa, tactis sacrosanctis Evangeliis, juraverunt se inviolabiliter observare, facereque fideliter & implere, aut Domum

prædictam exire infra dies XV. *a data præsentium computandum: rogantes te, Tabellio publice, vt tu nobis de præmissis facias publicum instrumentum.*

Acta fuerunt hæc Parisius in Capitulo Domus prædictorum Scholarium, præsentibus religioso viro Fratre Petro de Scora, Monacho sancti Dionysii, dominis Gammero de Blesis, & Guillermo Curato de domno Martino in Bria, Meldensis Diœcesis, dicti Episcopi Capellanis, necnon & Ioanne Gaullault, ipsius Episcopi Clerico, testibus ad hæc vocatis specialiter & rogatis. In quorum omnium præmissorum testimonium & munimen, nos Episcopus & Abbas prædicti sigilla nostra vna cum signo Notarii publici infrascripti duximus præsentibus literis apponenda. Datum anno Domini MCCCXV. *die* III. *mensis Aprilis, videlicet die Sabbati post Dominicam, qua cantatur* Isti sunt dies.

Et ego Guido Gerardi, Clericus publicus, auctoritate sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac sacri Imperii nomine Notarius, Indict. XIV. anno prædicto, secundum morem Gallicanum, & dictis die & mense, præmissis omnibus & singulis supradictis, dum sic agerentur & fierent, præsens interfui vna cum testibus supradictis: ea in hanc publicam formam redegi & publicavi, meo solito signo signavi, rogatus in testimonium præmissorum.

Hæc sunt statuta, hæ leges, quibus testamentarii curatores temperandum esse Collegium censuerunt. Si quis autem Reginæ fundationem & curatorum executionem penitus inspexerit, Gymnasium eo in statu esse comperiet, vt ad illud constituendum, suisque muniendum edictis, & Reginæ munificentia, & curatorum prudentia contendisse videantur: ex vtroque larga est materia, quæ panegyricos plures exigeret. Non est hic locus dandæ laudationis, sed scribendæ historiæ, quæ tamen sua simplicitate Reginam & testamentarios illius curatores in cælum vsque tollit & commendat.

Interea dum hæc agerentur, condita est Basilica, cujus fundamenta anno Christi MCCCIX. jacta sunt pridie Idus Aprilis. Propter portam Basilicæ majorem hujus rei testis legitur hæc inscriptio: *Anno Domini* MCCCIX. *Sabbato duodecima Aprilis, videlicet Sabbato post* Quasimodo, *reveren-*

dus Pater dominus Simon Festu, Dei gratia Meldensis Episcopus, executor excellentissimæ dominæ dominæ Ioannæ Franciæ & Navarræ Reginæ, posuit & situavit primum lapidem in introitu Ecclesiæ seu Capellæ Congregationis Scholarium de Navarra, quam dicta domina in sua vltima voluntate Parisius in Monte sanctæ Genovefæ instituit & ordinavit, præsentibus Milone Cancellario, Guillelmo de Ferrariis Officiali Meldensi, Radulpho de Prell' Clerico domini Regis, & Magistro Petro de Valle-Reinfredi Latomo ac pluribus aliis. Hic commode intelligenda sunt hæc verba : *Congregationem Scholarium Regina in vltima voluntate sua instituit in Monte sanctæ Genovefæ.* Nam Regina domum suam, quæ ad Portam sancti Germani erat, dedit, vt ex ea Collegium fieret. Locus hic repertus non est idoneus, emptus alius in Monte sanctæ Genovefæ, vbi suprema Reginæ voluntas impleta est.

In parte infima hujus portæ majoris tres sunt statuæ, quibus inscriptiones totidem subjiciuntur: sancti Ludovici statuæ, quæ medium locum tenet, *Ludovicus decus regnantium*: Philippi Pulcri statuæ, quæ ad dextrum latus erecta est, *Philippus Pulcher hujus Domus fundator egregius:* Joannæ Reginæ statuæ, quæ ad sinistrum, *Ioanna Franciæ ac etiam Navarræ Regina, hujus Domus quondam fundatrix inclyta anno Domini* MCCCIV. Sic lapideæ statuæ tres & inscriptiones totidem eminentia propylæi loca condecorant, & triadem Principum sempiternæ per id signorum genus gloriæ commendant.

Popularis rumor alias fuit, Franciscanos sodales habitasse regionem in qua Navarræ Gymnasium consistit, secessisse vt in ea collocaretur, & tandem illuc translatos esse vbi Cœnobium videmus. Hunc rumorem exposuisse, vt fabulosum dissipasse est. Regina obiit anno MCCCIV. & tunc in Franciscanorum Cœnobio sepulta est, nimirum annis ante vndecim, quam Collegium pateret. Deinde nullus est auctor æqualis aut tempore proximus apud quem talis rerum conversio habeat vllum sui testimonium. Non est necesse aliquid fingere, quo initia hujus Collegii augustiora reddantur. Splendorem præ se fert suum, eumque maximum, quem regiæ personæ tres, Joanna Franciæ & Navarræ,

varræ Regina, Philippus Pulcher Joannæ conjux, & Ludovicus vtriusque major natu filius, longe lateque diffundunt.



CAPUT IV.

Joannes XXII. facti ab Regina testamenti executionem confirmat.

ETSI Meldensis Episcopus & Sandionysianus Abbas nihil obliti sunt eorum omnium quæ ad legum Collegii firmitatem & constantiam spectant, iidem tamen rem vtilem & proficuam facere sibi visi sunt, si quicquid ab illis executioni mandatum fuerat, ab Romano Pontifice confirmari curarent. Biennio post curarunt, & Pontifex ita confirmavit: *Ioannes Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Excelsus & pius Dominus, qui hominem paulo minus creaturæ coæquatum angelicæ condidit, præclarum sibi conferens intellectum, vt sereni luminis acie penetraret arcana cælestium, & inluminati profunditate pectoris scientiarum notitiam obtineret: cum post vetiti fructus edulium sic ejus ingenium hebuisset, vt quod prius perspicaci capiebat intuitu, obstante postmodum nubilo humanæ caliginis, non posset libere intueri; sua gratia benignitatis immensa nolens, quod creatura tam nobilis quam ad imaginem suam similitudinemque formaverat, ignorantiæ cæcitate vilesceret, & temperans quodammodo circa ipsam gratiose per accidens, quod annexum naturæ mortiferi gustus extitit perceptione deperditum, rudem hominem scientiarum artiumque decrevit dogmatibus instruendum, vt tali dono dato divinitus ad sacrarum peragatur altitudinem Scripturarum, de visceribus literæ eliciatur vivificans Spiritus, eruditi virtutum dona percipiant, & per spiritualem doctrinam operibus pietatis armati, caritatis studio mundi, fortitudine auctoritatis erecti, tanquam civitas supra montem posita, per vitæ laudabilis exempla refulgeant, & tanquam accensa lucerna super candelabrum luceant omnibus per doctrinam. Per hos namque viros industrios, decoros, scientia & virtutibus insignitos orthodoxi Reges fulciuntur consiliis, & sta-*

biliuntur in regnis; & ideo ipsis cedit ad gloriam Studiorum extollere disciplinam, vt fortes consiliis, & singula consulta prudentia dirigentes, sub pacis Principe glorioso regnent & imperent in suo culmine majestatis. Hæc igitur claræ memoriæ Ioanna Franciæ & Navarræ Regina, virilem & inclytum animum gerens in pectore muliebri, studio caritatis accensa, pia meditatione considerans & attendens, quod ad Studium Parisii, in quo fons scientiarum irriguus viros in lege Domini eruditos, viros præpollentes dogmatibus, viros virtutibus præcellentes ab antiquo produxit, & propagatione quasi naturali producit perutiles Ecclesiæ generali, multi de diversis partibus confluunt ad hauriendum aquam salutaris sapientiæ, quorum interdum aliqui depressi paupertatis inopia, dociles & habentes animum ad studendum, propter carentiam victualium a studio subtrahuntur: volens in eis sibi fructus misericordiæ comparare, ac abundantius seminare in terris quod copiosius messura est in cælis, in extremo posita, in suo vltimo testamento, ad id claræ memoriæ Philippi conjugis & Ludovici primogeniti sui Regum Franciæ expresso accedente consensu, voluit, ordinavit & mandavit expresse, quod in Domo sua Navarræ Parisius existente ad similitudinem Domus Domini, in qua triplex status habetur, incipientium videlicet, proficientium, ac etiam perfectorum, Scholarium Congregatio ibidem perpetuo remansura, quam ibi ordinabat, fundabat atque creabat, recipiendum de regno Franciæ triplicem statum habeat, dictique Scholares in triplici studeant Facultate, viginti videlicet in Grammatica, triginta in Logica & Philosophia, & viginti in Theologia, in hujusmodi Facultatibus Grammaticæ atque Logicæ Doctores seu Magistros sufficientes & idoneos habituri, singulis eorum singulas provisiones in dicto testamento expressas per hebdomadem constituit. Quodque tales Scholares Theologi recipiantur in Domo, qui in Artibus cathedram meruerint ascendere magistralem, vel alias sint habiles ad proficiendum in ipsa scientia, & tales tam ipsi quam alii inferiores Scholares recipiendi in Domo prædicti, de quibus verisimile præsumatur quod non habeant unde per seipsos vel per parentes eorum in studio valeant sustentari, sed existant pauperes bonæ vitæ. Quodque sit in dicta Domo Capella publica & communis, in qua duo Capellani perpetui & duo Clerici, qui eisdem Capellanis deservient in Missarum solenniis,

& alia divina Officia celebrabunt, prædictis Capellanis & Clericis provisionibus congruis similiter constitutis. Voluit & statuit dicta Regina, quod Scholares prædicti tam ejusdem Philippi Regis conjugis & suum, quam parentum suorum anniversarium solenniter anno quolibet celebrabunt, & alias pro ipsis Rege & Regina eorumque prædecessoribus preces placabiles Deo fundent: & tam circa visitationem Domus prædictæ, & recipiendum & exigendum computum bonorum administrationis dictæ Domus a Rectore ipsius, necnon inquisitionem habendum de conversatione Scholarium & Magistrorum ibidem morantium, si sint aliqui de quibus nulla vel modica spes haberi valeat, quod in sua possint proficere Facultate, necnon circunstantiis universis, & etiam circa correctionem & reformationem eorum quæ correctione & reformatione fuerint digna; quam circa receptionem Scholarium, Magistrorum & Rectoris, & aliarum quarumlibet personarum, ad promotionem & subrogationem in locum eorum qui de præfatis personis de dicta Domo recesserint vel decesserint, faciendum; necnon circa divina Officia, ad quæ certis festivitatibus & diebus dominicis dicti Scholares convenire & interesse tenentur, & alia plurima circa gubernationem Domus prædictæ & personarum recipiendarum, in qua provida & salubria statuit, etiam ordinavit: volens nihilominus, quod venerabilis frater noster Episcopus Meldensis, & dilectus filius Abbas monasterii sancti Dionysii, Parisiensis Diœcesis, & nobilis vir Guido, Comes sancti Pauli, quos executores ejusdem constituerat testamenti, & si forte in institutione, statutis & ordinationibus supradictis aliqua forent addenda, corrigenda aut etiam declaranda, adderent, corrigerent & declararent, sicut eis pro dictæ Domus utilitate & commodo & animarum dicti Regis Philippi & suæ remedio & salute viderent melius expedire. Et illa quæ per eosdem executores in præfatis institutione, ordinationibus & statutis addita, correcta & declarata essent, tantam voluit habere & præcepit roboris firmitatem, ac si essent in dicto testamento suo scripta specialiter & expressa, prout hæc omnia & singula in testamento dictæ Reginæ plenius continentur. Porro præfati Episcopus & Abbas executores testamenti prædicti, cum consensu dicti Comitis sancti Pauli executoris eorum, postquam dicta Domus juxta laudabilem dispositionem ejusdem Reginæ constructa

F ij

extitit & dotata, utilitatem dictæ Domus & profectum studentium in eadem, ac intentionem ejusdem Reginæ, quæ eis addendi, corrigendi & declarandi omnia super præmissis statuta & ordinata per eam liberam, ut præmittitur, tradidit facultatem: attenta meditatione pensantes ordinaverunt, statuerunt & addiderunt, quod in dicta Domo ponatur quidam idoneus Grammaticus bonæ vitæ, qui Submagister vocabitur ad instruendum in primitivis scientiæ Grammaticæ juniores, bursam unius Scholaris in Artibus habiturus. Addiderunt etiam, quod unus Magister idoneus in Theologia ponatur ibidem pro instruendis Scholaribus in Theologica Facultate, qui XX. solidos Parisienses habeat qualibet septimana, qui in Domo prædicta legere teneatur: quodque Magistri & Scholares scientiæ Grammaticæ tres Beneficiarios habeant; Magistri vero & Scholares Logicæ & Philosophiæ, sex; Magistri autem & Scholares in Theologia, sex, ponendos ibidem per dictarum Facultatum Magistros & Provisorem Domus ejusdem.

Ad augmentationem vero Officii seu cultus divini statuerunt, quod una cum duobus Capellanis & Clericis duobus institutis in dicta Capella per dictam Reginam, duo alii Capellani & alii duo Clerici instituantur in ea, similem bursam cum dictis Capellanis & Clericis per dictam Reginam institutis, ut præmittitur, habituri. Qui quidem quatuor Capellani & quatuor Clerici infra pourprisium dictæ Domus, in domibus pro eis ordinatis vel ordinandis & non alibi commorentur, & suam faciant mansionem, ut promptius & competentius dictæ Capellæ deservire valeant in divinis. Si vero dictam Domum inhabitare noluerint, & ad Missas & horas diei & noctis continuandas facere residentiam, ut decebit, a bursis dictæ Domus sint privati, & per alios idoneos Magister in Theologia & Provisor dictæ Domus eidem Capellæ competenter faciant deserviri, quandiu ipsos a Capella & Domo contigerit absentari, ne dicta Capella suis obsequiis quomodolibet defraudetur. Præfati vero quatuor Capellani & totidem Clerici singulis diebus festivis & etiam non festivis Matutinas, Vesperas & alias horas canonicas in dicta Capella, quæ ad honorem beati Ludovici Confessoris est fundata, cantare & duas Missas celebrare singulis diebus tenebuntur, videlicet diebus dominicis & festivis, quibus non legitur in Scholis, unam

Missam statim post Primam, & aliam statim post Tertiam: ad quas Missas, horas Matutinas & Vesperas dicti Capellani & Clerici interesse in suis superpelliciis teneantur, & habeant almucias; & etiam Theologi & Artistæ & Magistri eorum, Provisor, necnon Magister & Submagister in Grammatica superpellicia & almucias habebunt. Pueri vero in Grammatica capita nuda gerant, & si sine causa rationabili defecerint, sicut plus vel minus deliquerint, personarum consideratione habita, plus vel minus pro Superiorum suorum arbitrio puniantur. Alii vero Scholares ibi existentes ad Vesperas primas, videlicet in diebus Sabbati & vigiliis festorum communium; ad Matutinas autem & magnam Missam diebus dominicis & festivis interesse teneantur. Ad Vesperas vero diebus dominicis & festivis non tenebuntur, nisi eis placuerit interesse, ut tunc possint dicti Scholares sermonum collationibus esse præsentes: salvo tamen, quod diebus dominicis intersint Vigiliis Defunctorum & Missæ in crastino, quæ celebrabuntur pro sa[illegible]imæ fundatricis; atque illi quibus incumbet legere, vel actus communes Domus & utilitatem Societatum publice exercere, minime tenebuntur; & intersint in superpelliciis & almuciis, & chorum ad matutinas horas, Missas & Vesperas supradictas infra primum Gloria Patri *intrent, alioqui pro qualibet negligentia vel defectu Superiorum suorum arbitrio corrigantur. Quæ quidem Missæ tam de beata Virgine, de tempore & de festis, quam pro Defunctis & aliis, secundum dies & tempora celebrabuntur ad usum Parisiensis Ecclesiæ ordinata, prout utilius & melius ad honorem Dei, beatæ Virginis & omnium Sanctorum, necnon ad salutem animarum Regum & Reginæ prædictorum & parentum suorum fieri poterit & debebit.*

Statuerunt etiam executores prædicti, quod in dicta Domo Scholarium seu in Capella, in loco secreto sit quædam arca habens tres seras, & singulæ singula foramina habeant, & claves singulas & diversas, quarum unam habeat Magister in Theologia, aliam Magister in Artibus, & aliam Provisor dictæ Domus: in qua arca residuum bursarum, quod remanebit propter absentiam Scholarium a Domo, ponetur qualibet septimana per dicta foramina a Magistris cujuslibet Facultatis, qui jurabunt hoc fideliter se facturos. Dicta vero arca bis in anno aperietur, ut

videbitur quid sit ibi de residuo supradicto, præsentibus Magistris & Scholaribus dictæ Domus, vel majori parte ipsorum: quod residuum convertetur in emptionem librorum & aliorum necessariorum Domus prædictæ, quantum ad id facultas hujusmodi extendetur. Provisor autem dictæ Domus semel in anno, in crastino videlicet festivitatis beati Ludovici, reddet, computet de expensis & misiis receptis per ipsum factis, præsentibus Gubernatoribus dictæ Domus, vel mandato ipsorum qui hic inferius continentur, præsente etiam Magistro in Theologia vocato ad hoc, & præsente aliquo de Camera Compotorum Regis Parisius, quem dicti Magistri dictæ Cameræ deputabunt ad requisitionem Magistri in Theologia dictæ Domus, qui propter hoc ipsos adire tenebitur in dicta Camera in vigilia dicti festi, vel ante. Qui quidem Computarius deputatus pro labore suo audiendo & videndo, examinando dictum compotum, habebit XL. *solidos Parisienses de redditibus Domus: & bona fide promittet in dicta Camera, præsente dicto Magistro in Theologia, se in præ[illegible] fideliter habiturum, & quod secretum dictæ Domus cuiquam minime revelabit. Illud vero quod erit residuum de dictis reditibus seu aliunde, convertetur in augmentationem redituum dictæ Domus. Cum vero in Facultate Theologiæ locum vacare contigerit, sufficientior de Artistis seu Logicis ibidem in loco prædicto ponatur, si ad hoc per Provisorem & Magistrum in Theologia idoneus judicetur: & similiter cum in Logica seu Artium Facultate locus vacaverit, in eodem ponatur Magister sufficiens de Grammaticis dictæ Domus, si sufficiens & idoneus reperiatur ibidem; & sic de gradu in gradum ascendent.*

Postquam vero Theologus Licentiam in Theologia obtinuerit cum effectu, Domum exire simpliciter teneatur, & sibi alibi providere: & jurabit ob causam prædictam se non differre receptionem seu susceptionem Magisterii prædicti, nec etiam prolongare. Magistri autem & Submagister prædicti, Scholares etiam, Provisor, Capellani & Clerici dictæ Domus, quando vacabit, ponantur per præfatos Episcopum & Abbatem, qui nunc sunt, quandiu vitam duxerint in humanis. Uno autem ipsorum defuncto, succedet ad locum ejus Magister in Theologia dictæ Domus, qui pro tempore fuerit, una cum præfato Episcopo vel Abbate qui superstes extiterit ex eisdem.

Dictis autem Episcopo & Abbate qui nunc sunt, sublatis de medio, per successores eorum, videlicet Episcopum Meldensem & Abbatem sancti Dionysii qui erunt pro tempore, necnon Magistrum in Theologia dictæ Domus, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, ac Decanum Communitatis seu Congregationis Magistrorum Theologicæ Facultatis, vel per majorem partem eorundem quinque proxime prædictorum, aliis tamen ex eis vocatis, sed absentibus vel nolentibus interesse, hujusmodi peragantur: hoc salvo, quod nunquam dicti Magistri & Scholares, Capellani & Clerici, quando locus vacabit ibidem, in absentia & sine Episcopo & Abbate prædictis qui erunt pro tempore, vel speciali mandato ipsorum vel alterius eorundem, ponentur ibidem. Dicti vero Episcopus & Abbas Gubernatores dictæ Domus, quandiu vixerint, vocabuntur: & similiter successores eorum Magistri in Theologia dictæ Domus, Cancellarius Parisiensis & Decanus dictæ Facultatis Theologicæ, qui pro tempore fuerint, Gubernatores dictæ Domus vocari debebunt.

Præterea dicti Episcopus & Abbas præmissis de consensu dicti Comitis sancti Pauli, coexecutoris ipsorum, quod omnes Socii de Domo cujuscunque Facultatis existant, honeste se habeant in habitu & in gestu: nullus caligas habeat nisi nigras, nullus sotulares deferat laqueatos, nullus comam nutriat, nec habeat calamistrum nec cucusam, sed tonsuram rotundam & coronam deferat satis largam. Qualibet præterea Societas in qualibet comestione parva vel magna benedictionem solitam faciat, & in fine agat gratias, & dicet Orationem de Defunctis pro animabus dictorum Regum, fundatricis & parentum suorum. Et quia ex comestionibus in cameris sæpe gravatur Societas, & studium multipliciter impeditur, statuerunt, quod nullus in camera comedat, nisi infirmus fuerit vel minutus, vel honestum hospitem extraneum Parisius non morantem habeat, nisi de ipsius dictæ Domus Magistri in Theologia licentia speciali: & tunc a clamoribus & altis vocibus abstineant, ne contingat Socios a suis studiis impediri; & tunc etiam de communi non habeant nisi panis solitam portionem. Addiderunt etiam executores prædicti, quod dicantur die qualibet dominica post Vesperas & alias horas canonicas Vigiliæ pro Defunctis & Missæ in crastino, quibus omnes Scholares interesse similiter tenebuntur; & quod quilibet Gramma-

ticus, Logicus & Theologus non Sacerdos dicere vel dici facere quatuor Psalteria anno quolibet vel duo ad minus pro anima fundatricis, & quilibet Sacerdos in suis Missis de ea specialem orationem facere teneatur; & quod Grammatici dictæ Domus deferant habitus condecentes, videlicet tabaldos seu houssias longas de bruneta nigra, dictumque habitum mutare nequeant, quousque in Artibus determinaverint competenter: & absque prædicto habitu nec soli exire Domum quomodolibet permittantur.

De Artistis etiam statuerunt, quod eorum quilibet dicet fideliter quantum habeat in reditibus sive patrimonialibus, sive Ecclesiasticis, quotienscunque a dicto Magistro in Theologia fuerit requisitus: nullusque eorum habitum deferat, nisi tabaldum seu houssiam longam de bruneta nigra, antequam determinaverit; & illi qui determinaverint, cappas deferant de perso vel alio uno & eodem colore honesto, quandiu fuerunt in Artibus studentes seu Logicæ Facultate; nullusque determinet in Artibus, nisi prius audiverit per quatuor annos, & sufficiens secundum Magistri conscientiam judicetur. Si vero aliquis infra VII. annum a receptionis suæ tempore computando non mereatur in Artibus Licentiam obtinere, a dicta Domo recedat, & provisionis ipsius beneficio privetur perpetuo, nisi propter infirmitatem vel aliud legitimum impedimentum excusetur.

De Theologis vero dictæ Domus statuerunt, quod quilibet eorum fideliter referet per proprium juramentum, quantum habeat in reditibus patrimonialibus sive Ecclesiasticis, quotienscunque ab ipsius Domus Gubernatoribus fuerit requisitus; quodque quilibet Theologus sit ita diligens & ad studium taliter se disponat, quod infra sex annos possit per Parochias prædicare communiter, & infra annum VII. inclusive ad legendum cursus de Biblia, & arguendum in Disputationibus communiter, & ad legendum Sententias infra annum decimum idoneus censeatur: & si quis in hoc defecerit, Domus beneficio sit privatus. Et si forte, quod absit, eorum aliquis timore amissionis beneficii dictæ Domus, improvisus, insufficiens vel indignus se vellet ingerere ad aliqua præmissorum, propter vitandum Domus scandalum minime permittatur, nisi a magis provectis Sociis dictæ Domus reputaretur sufficiens & idoneus ad præmissa. Et quod postquam alicui provisum fuerit de beneficio competenti, propter quod merito debeat provi-

provisionem dimittere dicta Domus, tenebitur per juramentum suum infra duos menses, postquam percipere inceperit fructus hujusmodi Beneficii, cameram dimittere simpliciter & exire, ut subrogatus Socius obtineat locum ejus, nisi a Gubernatoribus dictæ Domus vel majori parte eorundem, cum ipso super hoc de speciali gratia dispensetur. Quodque in vigiliis festorum solennium immediate post Vesperas, tenebitur quilibet Theologus in suo ordine aliquam collationem de festo facere in Ecclesia vel in Capitulo, ad quam tenebuntur omnes Scholares & Socii interesse. Dicti quoque Theologi Scholares habitus, videlicet tabaldos seu houssias longas, habeant cujuscunque voluerint coloris, honesti tamen ac unius ejusdemque; & Baccalarii cappas rotundas ejusdem coloris: & Domum exire absque prædicto habitu non præsumant. Omnes etiam præfati Magistri & Scholares die obitus sui sive anniversarii dicti Philippi Regis, vel illa die qua ejus anniversarium celebrabitur, teneantur apud monasterium sancti Dionysii interesse, & in crastino beati Andreæ Apostoli dictum anniversarium in sua Capella Parisiensi debeant celebrare, Vigiliis ante Vesperas die sancti Andreæ prædicti solenniter decantatis. Et etiam dicti Capellani & Clerici cum aliis Magistris & Scholaribus in die prædicti anniversarii apud sanctum Dionysium teneantur similiter interesse. Similiter die obitus ejusdem Reginæ vel alia die qua ejus anniversarium debuerit in domo Fratrum Minorum Parisius celebrari, teneantur ibidem personaliter interesse, ac sequenti die in sua Capella Parisius dictum anniversarium solenniter celebrare.

Anniversaria vero patris & matris ejusdem Reginæ etiam celebrabunt diebus, quibus in Ecclesia sancti Stephani Trecensis consuetum est dicta anniversaria celebrari. Dicti quoque Magistri & Scholares, necnon Capellani & Clerici in quatuor annualibus, necnon in beatæ Mariæ virginis, beatorum Ioannis Baptistæ & Nicolai & Ludovici festivitatibus, in quatuor quoque anniversariis prædictis, videlicet in vigiliis atque festis, simul & in eodem loco comedere tenebuntur: & tunc pro qualibet vice, die & vigiliis ultra provisiones solitas, sexaginta solidos Turonenses habeant in pitanciam convertendos.

In dicto quoque anniversario Philippi Regis, dicti Magistri, Scholares, Capellani & Clerici in vigiliis & in die apud sanctum

Dionysium, & etiam apud Fratres Minores Parisius, necnon in vigilia & in die anniversarii ejusdem Reginæ interesse in superpelliciis & almuciis, illi videlicet quibus deferre almucias superius injungitur, teneantur. Quibus quidem præmissis, additionibus, ordinationibus & statutis factis per prædictos Episcopum & Abbatem de consensu & voluntate expressa dicti Guidonis Comitis sancti Pauli, coexecutoris eorum, dilecti filii nobilis viri Philippi Comitis Pictaviensis, ac hujusmodi Reginæ Franciæ & Navarræ tunc regentis intervenit consensus expressus. Quare pro parte dictorum Regentis & executorum, Gubernatorum, Magistrorum quoque & Scholarium dictæ Domus, per dilectum filium Magistrum Alanum Gonterii, Doctorem & Magistrum in Theologia Scholarium dictæ Domus, ad præsentiam nostram propter hoc specialiter destinatum, fuit nobis humiliter supplicatum, ut præmissis omnibus & singulis apostolicæ confirmationis robur adjicere curaremus. Cupientes igitur, ut Domus ista virtutum Domus suavitatis & gratiæ, Domus fontes scaturiens doctrinarum, rudes erudiens, & reddens debiles virtuosos, & viros efficiens virtutum varietate fœcundos, validis stabilita radicibus, inconcussa persistat & laudabilibus proficiat incrementis: præmissa omnia & singula superius enarrata, per dictam Reginam tam pie, tam provide tamque laudabiliter ordinata, ad id dictorum Philippi conjugis & Ludovici primogeniti ejus Regum Franciæ, ut præmittitur, expresso accedente consensu, quæ per dictos executores non sunt immutata vel correcta; necnon & alia prælibata per dictos viros Episcopum & Abbatem, executores, de ipsius Comitis sancti Pauli, coexecutoris eorum, expresso consensu, addita, correcta & declarata, prout ex voluntate & ordinatione dictæ Reginæ poterant, & eis facere competebat, prout sunt expressim contenta: præsentibus rata habentes & firma, illa ex certa scientia, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: non intendentes per hæc alia non contenta præsentibus, quæ per dictos executores præmisso testamento circa hoc sunt addita, correcta vel etiam declarata, revocare, vel eisdem executoribus vel aliis futuris Gubernatoribus dictæ Domus potestatem adimere vel concedere, vel eis quomodolibet derogare, quominus possint præmissa per eos addita & statuta, ut præmittitur expresse, præsentibus non inserta facere observari, & in posterum in illis & in aliis,

qui non refragentur, præsentibus addere, corrigere & declarare, prout eis ex potestate ipsis super hoc tradita competit, & utilitati Domus ejusdem viderint expedire. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenioni VIII. *Calendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo*, qui annus Christi fuit millesimus trecentesimus decimus-septimus.

CAPUT V.

Quid Bursa, quid Bursarii significent. Philippus V. Rex nonnullas Collegii leges exponit.

SIc ergo molis fuit tantæ regium a fundamentis excitare Collegium, institutionibus bonis munire, & diplomate Pontificio confirmare, ut hæc omnia prius absoluta non fuerint, quam anni tredecim effluxerint. In Collegio triplex ordo est juvenum qui literis incumbunt, vini Grammaticæ, nonnulli Philosophiæ, alii Theologiæ; quibus pro qualibet septimana certum quoddam stipendii genus assignatur. Stipendium dicitur bursa, nomine tunc communi iis omnibus, qui pecuniæ summam aliquam pro laboris mercede vel pro victu acciperent: quare stipendiarii seu qui stipendium seu pecuniam illam accipiunt, dicuntur Bursarii. Bursa & Bursarii non antiquæ, sed recentioris Latinitatis sunt nomina, quæ ad vitia sermonis pertinent, sed quibus posterior assuefacta est ætas. Qui dicuntur Bursarii, dicuntur quoque Socii, quod societatem invicem habeant, simul versentur, simul vivant, simul maneant. Communitas quælibet suos nanciscitur Magistros, quorum qui Theologos Scholares ex officio docet, toti præterea Gymnasio præest, & ad custodiam legum advigilat: leges exequitur, nullam tamen legem ferre potest: jus istud reservatur iis qui speciali titulo Gubernatores Collegii vocan-

tur. Ibi sunt Meldensis Episcopus, Abbas sancti Dionysii, Cancellarius Parisiensis, Decanus Facultatis Theologiæ, seu pars major illius.

Verum quo in sensu capiendæ sint nonnullæ Collegii leges, Philippus V. Rex Francorum sic exposuit anno Christi MCCCXXI.

Philippus Dei gratia Francorum Rex, dilectis & fidelibus nostris Abbati sancti Dionysii in Francia, & Magistro Nicolao Decano sancti Quintini, Gubernatori Domus Scholarium per inclytæ memoriæ carissimam dominam & genitricem nostram fundatæ Parisius, salutem & dilectionem. Dictæ Domus, ut decet & tenemur, honestatis & prosperitatis augmentum, eamque juxta votum ac sanctam intentionem dictæ dominæ nostræ laudabiliter dirigi & regulari magno desiderio affectantes vos, ad quos regimen & dispositio Domus & personarum ejusdem tam ex statutis & ordinationibus ejusdem dominæ nostræ, quam executorum suorum, ad requestam nostram per Apostolicam Sedem confirmatis, pertinent & pertinere noscuntur: attente requirimus, vobis nihilo minus mandantes, quatenus ad correctionem & directionem eorum quæ circa statum dictæ Domus & personarum ejusdem corrigenda & dirigenda dicuntur, & per inquestam tueri per vos, ut audivimus, nuper factam digna correctione adinventa; sic taliter procedatis, quod de vestris diligentia & providentia circumspecta circa tam pium & laudabile opus exhibitis, & quotiens opus fuerit, diligentius exhibendis possitis & debeatis merito commendari. Illa insuper, quæ per vos juxta præcipue gentium nostrarum deliberationem & maturum consilium, de mandato nostro alias super hoc vobis facto pro dictæ Domus reformatione in melius facta & ordinata dicuntur, & quæ nobis relata inferius inseruntur, plenius declarata faciatis celeriter executioni debite demandari, atque inviolabiliter observari, attentius provideri, quod in hoc instanti festo beati Dionysii circa quod Parisius Studii vigor incipere consuevit, de prædictis dictæ Domus Scholaribus, aut de aliis quibuscunque, illi duntaxat ad dictæ Domus beneficium reassumantur & admittantur de cetero, qui per inquestam factam a vobis aut faciendam veri & boni Scholares & bene morigerati, pacifice & ad proficiendum habiles extiterint, fuerintque reperti, sicut fuit intentionis & voluntatis dictæ dominæ nostræ

fundatricis: expellentes eos qui contentiosi, pacis turbatores, bellicosi, diffamati, non proficientes seu inobedientes reperti fuerint, vel arma deferentes, aut dictæ Domus statuta servare non volentes. Et juxta ordinationem Domus ejusdem, similibus & ceteris vestibus indui renuentes, a dicta Domo & a totali ipsius beneficio fore volumus totaliter alienos, & omni semota totaliter affectione patriæ & personæ, cum fallere non deceat in Cleri Domo ac bonorum & pauperum societate, manere, ne illos inficiant in aliquo vel conturbent: dictisque Domo & Domus beneficio eosdem absque omni alio processu volumus omnino privari, cum in his processus ordinarius fieri non debeat, cum ejectionem & retentionem Scholarium prædictorum & omnium dictæ Domus beneficia percipientium, ipsius Domus Gubernatorum conscientiis dicta domina nostra fundatrix ipsorum, ex tenore ordinationis suæ factæ super hoc reliquisse noscatur. Volumus insuper & præcipimus, quod sicut Domus dicta est una, quod unum solum ingressum seu portam habeat, & illum seu illam ceteris aliis clausis faciatis tam de die quam de nocte per Portarium, qui ad hoc deputatus dicitur, cum diligentia custodiri. Ceterum illas ordinationes quæ per vos nuper factæ dicuntur, ut audivimus, prout hic sequuntur, videlicet quod nullus in dicta Domo de numero Scholarium Theologorum existens Parisius in Artium Facultate lectiones suas resumere præsumat; & si hoc faciat, alienus a Domo existat, & alter loco ipsius subrogetur, cum nonnunquam & contra fundatricis mentem hoc fuisse factum noscatur: item quod nullus ab homine seu a canone excommunicatus publice, quandiu in dicta excommunicatione extiterit, bursas Domus percipiat; & si infra tempus sibi a Magistro Domus seu Gubernatoribus constitutum absolutionem non obtinuerit, elapso termino, privatus existat beneficio dictæ Domus, & locus ipsius alteri assignetur: item quod nullus in Domo vel extra Domum cum armis incedere, aut cum armatis in quocunque loco se adunare ad bellandum præsumat; & si faciat, a dicta Domo totaliter expellatur: item quod nullus extraneus bursas Domus non habens, in Domo cum dictis Scholaribus, saltem Artistis & Theologis, remaneat, cum ad hoc multæ dissensiones possint evenire, & jam evenisse dicantur: item quod nullus Scholarium de numero prædictorum existens suis seu alterius expensis Parisius extra Domum maneat; & si

fecerit & ad Domum infra tempus sibi a Magistro præfigendum non redierit, bursis perpetuo careat, & loco ipsius alius subrogetur: item quod domus dictorum Scholarium superfluæ, ruinosæ & supra vicos, locentur aut concedantur ad censum, prout utilius fieri poterit, ut exinde dictæ Domus reditus & augmentari valeant, & sumptus ipsas retinendo vitari: item quod certus locus bene ædificatus pro decenti habitatione in Theologia Magistri dictæ Domus & successorum suorum, & qui ad hoc inter domos prædictas convenientior reperiri poterit, assignetur; tanquam justas & rationabiles volumus & laudamus, ac etiam tenore præsentium approbamus, & eas una cum statutis & ordinationibus aliis per dictam carissimam dominam nostram dictæ Domus fundatricem & ejus executores factis & ad requestam nostram per Sedem Apostolicam ex certa scientia confirmatis, volumus & præcipimus ab omnibus dictæ Domus beneficia recipientibus integraliter observari, & illas observare nolentes a Domo, ut præmissum est, totaliter expelli. Nec volumus, prætextu quarumcunque literarum a nobis sub quacunque forma verborum impetratarum, vos vel quoscunque alios dictæ Domus regimen obtinentes, induci quomodolibet ad faciendum contra ordinationes præmissas, cum illas desideremus ab omnibus illæsas in sua firmitate teneri. Insuper, cum ut dicti Scholares curis secularium negotiorum præpediti non existant, & liberius literarum studiis in Artibus Scholasticis insistere valeant, in dicta Domo Provisor esse debeat, ad quem receptio & administratio bonorum & redituum omnium in solidum pertinere noscantur, sicut plenius in præmissis dictæ carissimæ dominæ nostræ & ejus executorum statutis & ordinationibus dicitur contineri. Damus gentibus nostris Compotorum tenore præsentium in mandatis, quatinus si eis per dictas ordinationes constiterit ita esse, illi qui per vos Abbatem & Decanum dictæ Domus Gubernatores, Provisor constitutus fuerit, de reditibus ad dictam Domum pertinentibus, debitis & arreragiis faciant integraliter responderi, & per nostros Thesaurarios & Receptores absque alterius exspectatione mandati, plenam satisfactionem fieri de eisdem; necnon de omnibus his, in quibus constiterit dictæ Domui non teneri, ut exinde valeant librorum, utensilium & aliorum necessariorum pro Domo munitiones haberi, & dictæ Domus ædificia, quæ in locis multis magna & necessaria reparatione indigere di-

cuntur, celeriter reparari. Volumus insuper illos omnes a Domo prædicta amoveri, qui contra ordinationes prædictas carissimæ dominæ nostræ & ejus executorum per vos positi in ea sint reperti, & in locis illorum alios subrogari, nisi adeo sint bene proficientes & boni, quod in perceptione beneficii dictæ Domus suis exigentibus meritis ceteris aliis debeant anteferri. Hæc autem omnia, ut superius sunt expressa, in prædicta Domo convocatis & adunatis dictis Magistris, Scholaribus, Capellanis & Clericis per vos volumus & præcipimus publicari, & celeriter executioni debitæ demandari: ad dictas executionem & publicationem faciendas dilectos fideles Clericos Magistros Petrum de Condeto, Ioannem Gaulardi & Præpositum Parisiensem nostros specialiter evocari, quibus tenore præsentium damus in mandatis, quod vobiscum personaliter assistant, quoties opus fuerit, tam in publicatione quam in executione prædictis. Volumus insuper & præcipimus, quod si aliquem aut aliquos Scholares novos in dicta Domo in aliquibus locis vacantibus seu vacaturis subrogari contingat, vel aliquem seu aliquos de Grammatica ad Logicam, seu de Logica ad Theologiam transferri, seu ad aliquod officium seu Magisterium in dicta Domo assumi, quod meliores & habiliores ad hoc, nonobstantibus quibuscunque precibus, etiam nostris seu quibusvis aliis, assumantur, sicut mens fuit dictæ dominæ nostræ, ut in ejus statutis & ordinationibus noscitur plenius contineri, & ad hoc vos adstringi voluit vestris propriis juramentis. In quorum testimonium, & ut robur obtineant firmitatis, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Datum apud Confluentum prope Carerias die XXI. *Augusti anno* MCCCXXI. Hæc Philippus Rex V. Francorum, quibus nihil est ad testificandam illius erga Collegium benevolentiam memorabilius.

Porro interciderunt Commentarii, quibus quid ab anno Christi MCCCXXI. gestum sit usque ad annum MCCCXXXI. cognoscatur. Tumultuariæ quædam chartæ dumtaxat remanserunt, in quibus vel nulla vel certe pauca memoratu digna occurrunt: nomina cum primis Theologorum qui ad Ecclesiasticas dignitates pervenerunt. Sed de iis erit alibi dicendi locus.



CAPUT VI.

Refertur Senâtusconsultum, in quo præscripta ab Regina Collegii institutio confirmatur, vis a testamentariis executoribus illata reprimitur. Meldensis Episcopus de gubernatione Collegii dejicitur, & in ejus locum Senonensis Archiepiscopus sufficitur.

ANNUS excurrebat millesimus tricesimus primus, cum gravis quædam in Collegio emersit controversia. Hujus causa & sedatio narrantur in diplomate & Senatusconsulto, quod insequitur: *Philippus Dei gratia Francorum Rex, universis præsentes literas inspecturis, salutem. Notum facimus, quod cum Decanus & Magistri Theologicæ Facultatis, Magistri & Scholares Universitatis Parisiensis, Picardiæ & Normaniæ nationum, in Curia nostra conquerendo fecissent proponere, quod licet inclytæ recordationis carissima domina Ioanna, quondam Franciæ & Navarræ Regina, Campaniæ Briæque Comitissa Palatina, pro animæ suæ remedio, in suo testamento seu sua vltima voluntate certam Domum Parisius fundasset & ordinasset, quæ Domus Scholarium Navarræ nuncupatur, sub certis modo & forma & numero Scholarium, qui de regno Franciæ solum essent oriundi; & inter cetera ordinaverit dicta Regina salubri & caritativo consilio, nationum, personarum certarum vel locorum nullam habens affectionem singularem vel respectum, sed solum quod de dicto regno oriundi habiliores ad doctrinam recipiendam & meliores caperentur & reciperentur in eadem; & quod Decanus & Universitas Magistrorum Theologicæ Facultatis actu Parisius regentium vel non regentium, seu illi quos ad hoc ipsa Universitas vel major pars ipsius Universitatis elegerit dictæ Domui, cum & quotiens opus fuerit de aliquo sæculari probo viro curam & administrationem Domus Scholarium prædictorum gesturo providere, qui Rectoris seu Magistri fungeretur officio; & ipse cum dicta Universitate vel illis, quos ad hoc dicta Universi-*

tas

tas vel major pars ejuſdem deputaverit, de Magiſtro in Grammatica ſufficienter inſtructo pro Grammaticis, & Magiſtro in Artibus pro Logicis & Studentibus in Philoſophia providebit, ac recipiet cum eiſdem pueros, necnon Scholares in Theologica Facultate, certum etiam numerum Capellanorum & Clericorum in Capella dictæ Domus Scholarium inſtituendo: quos quidem Scholares, Magiſtros, Capellanos, Clericos, Rectorem ac Domum, dicti Decanus & Univerſitas Magiſtrorum, Scholarium Theologicæ Facultatis, vt qui ex eis aut majori parte ipſorum deputati fuerint, ſemel in anno cum diligentia viſitabunt; & compotum adminiſtrationis bonorum Domus a Rectore recipient, exigent & corrigent, Scholares & Magiſtros punient, deponent ſeu mutabunt, ſufficienter de eorum converſatione informati; nec in receptione Scholarium, Magiſtrorum, Rectoris aut aliarum quarumcunque perſonarum vel in correptione earum ducentur acceptione perſonæ vel patriæ, ſeu favore quocunque; ſed Deum ſolum habentes præ oculis juxta merita cujuſlibet inſtantis recipi ponderabunt in eorum conſcientia; necnon propter quæ aliqui corrigi deberent vel mutari, videbunt, & abſque ſcrupulo cujuſlibet odii facient quod conſonum fuerit rationi: quod facturos ſe fideliter jurabunt coram Cancellario & Præpoſito Pariſienſi, qui pro tempore fuerint, dictoque juramento anno quolibet revocato, prout hæc & plura alia tam circa inſtitutionem, receptionem vel mutationem Magiſtrorum, Rectoris & Scholarium prædictorum, quam gubernationem & adminiſtrationem dictæ Domus in dictis teſtamento & codicillis dicebant plenius contineri: Nihilominus quondam Epiſcopus Meldenſis & Abbas ſancti Dionyſii in Francia, pro tempore executores præfatæ Reginæ, contra intentionem & voluntatem in dictis teſtamento & codicillis contentas, eas penitus ſubvertendo & mutando, certam ordinationem fecerant inter alia continentem, quod Magiſtri, Proviſor, Capellani & Clerici in dicta Domo recipiendi & ponendi, vt præfertur, ſolum de Campania vel de provincia Senonenſi, ſi reperirentur idonei, alias de loco propinquiori dictæ terræ & provinciæ, de natione Gallicana, aſſumentur; Scholares & Magiſtri de certis & diverſis provinciis ſub certo & limitato numero, de qualibet provincia etiam ordinaverunt recipi & admitti. Item etiam ordinaverunt ſe vocari Gubernatores dictæ Domus, ac plura alia circa redditionem

H

compotorum & administrationem dictæ Domus, & quod Magister & Scholares, Provisor, Capellani & Clerici dictæ Domus, quando locum vacare contingeret, solum per ipsos Meldensem Episcopum & Abbatem, qui tunc temporis vitam ducebant in humanis, ponerentur. Quibus sublatis de medio, per eorum successores Episcopos & Abbates pro tempore, Magistrum in Theologia dictæ Domus, Cancellarium Parisiensem & Decanum Theologicæ Facultatis: hoc expresse reservato, quod nunquam dicti Magistri, Scholares, Capellani vel Clerici ibidem in absentia & sine Episcopo Meldensi & Abbate sancti Dionysii, qui pro tempore fuerint, vel speciali mandato ipsorum, vel alterius eorumdem ponerentur ibidem, prout in eorum ordinatione plenius dicebant contineri. Per quæ poterat evidenter apparere, ipsos contra mentem ipsius testatricis ordinasse prædicta: quod tamen facere non poterant, visis dictæ testatricis testamento seu etiam codicillis. Quare petebant per Curiam nostram pronunciari ac etiam declarari dictam ordinationem seu ultimam voluntatem Reginæ prædictæ, ut claram & rectam ac justam servari debere, ordinationem per dictos executores factam revocari ac etiam annullari, plures ad dictum finem proponendo rationes dilectis & fidelibus Consiliariis nostris: Archiepiscopo Senonensi & Abbati sancti Dionysii, necnon Magistris, Scholaribus nationis Gallicanæ e contrario proponentibus, quod ordinatio per dictos executores facta teneri & custodiri debebat ac etiam observari, nonobstantibus rationibus propositis ex adverso, præsertim cum dicti executores haberent plenariam potestatem declarandi, augmentandi, ordinandi & corrigendi ordinata per dictam Reginam in testamento seu codicillis suis prædictis, quodque dicta ordinatio alias fuerat per carissimum dominum nostrum Regem Carolum filium præfatæ Reginæ approbata, ac etiam confirmata, plures alias ad dictum finem proponentibus rationes: parte vero adversa e contra replicante, quod si præfata Regina suis dictis executoribus potestatem concesserat declarandi, augmentandi, ordinandi & corrigendi in suis testamento seu codicillis per ipsam ordinata, hoc solum esse poterat, si aliqua contenta in dictis testamento seu codicillis, declaratione, augmentatione, ordinatione vel correctione indigerent. quod dicere non poterat pars adversa, cum ordinata in dictis testamento seu codicillis suis & essent clara, certa & liquida, ac etiam sufficienter

ordinata. Auditis igitur prædictis partibus, ac rationibus hinc inde propositis, visisque & diligenter consideratis contentis in dictis testamento seu codicillis, necnon mente & intentione præfatæ Reginæ & ordinatione per dictos executores facta, attentis etiam quibusdam literis nostris gentibus Parlamentum nostrum tenentibus missis, quibus eisdem mandabatur, ut vocatis dictis partibus, visisque testamento seu ordinatione præfatæ Reginæ, & aliis quibuscunque ordinationibus tam per dictos executores quam alios factis, ordinarent, juxta ipsius Reginæ voluntatem, quod esset rationabiliter faciendum, prout in eisdem continetur. Habitaque super his plenaria deliberatione Consilii, per Arrestum Curiæ nostræ dictum fuit, quod ordinatio per dictos executores facta, quatenus tangit receptionem Magistrorum, Scholarium & Rectoris seu Gubernatoris dictæ Domus, Capellanorum & Clericorum deservientium in eadem, qui de certis provinciis & partibus regni nostri & sub certo & limitato numero solum recipi debebant & admitti, ac etiam redditionem compotorum administrationis dictæ Domus, non tenebit nec servabitur, ac etiam penitus perpetuo revocamus & annullamus: hoc tamen expresse reservato, quod jam per eos recepti Magistri, Scholares & etiam Gubernator instituti in dicta Domo remanebunt. Et per Arrestum dictum fuit, quod ordinatio præfatæ Reginæ tam in testamento quam codicillis prædictis in omnibus suis partibus perpetuo tenebit & inviolabiliter observabitur: hoc addito, ut quotienscunque Magistros, Scholares, Capellanos vel Clericos, ac etiam Gubernatorem in dicta Domo recipere vel mutare aut corrigere juxta ordinationem præfatæ Reginæ contigerit; cum dictis Decano & Magistris in Theologia, ac etiam Gubernatore dictæ Domus electo, ut præfertur, vocabuntur Archiepiscopus & Abbas supradicti & eorum successores, qui in dicta mutatione seu correctione adesse poterunt, vel alios idoneos mittere loco sui, qui juramentum quod præstare debent dicti Decanus & Magistri, præstabunt, juxta ordinationem Reginæ prædictæ: videlicet quod personas idoneas non habita consideratione vel affectione patriæ vel nationis cujuscunque eligent & recipient. Et idem circa mutationem & correctionem prædictorum præstabunt juramentum, & omne aliud quod præstari ordinavit testatrix antedicta: & illi Magistri, Scholares, Gubernator, Capellani seu Clerici in dicta Domo re-

manebunt, qui ab ea parte eligentur seu nominabuntur, cum quæ dicti Archiepiscopus & Abbas seu deputati ab eisdem, vt præfertur, concordabunt. Illis vero Archiepiscopo & Abbate non vocatis, non poterunt Magistri, Scholares & Gubernator, Capellani vel Clerici recipi vel admitti, corrigi vel mutari in Domo prædicta. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Parisius in Parlamento nostro die prima Iunii anno Domini MCCCXXXI.

Descriptum Senatusconsultum ad hæc capita revocari potest. Et primo quidem breviter recensetur Collegii totius institutio, quatenus suprema Reginæ voluntate præscribitur. Deinde proponitur, quo modo testamentarii curatores Reginæ testamento vim intulerant: quod in optandis Magistris, Provisore, Capellanis & Clericis majorem Campaniæ & Senonensis provinciarum, quam aliarum regni provinciarum rationem habuerant: quod seipsos gubernando Collegio ita præfecerant, vt sine consensu Decani & Magistrorum Theologicæ Facultatis, quos Regina Collegii Gubernatores constituerat, partes suas obire possent, Decanus & Magistri non possent sine Meldensis Episcopi & Sandionysiani Abbatis, qui pro tempore in humanis agerent. Tum auditis vltro citroque rationibus decernitur, vt seposita personarum acceptione institutio Reginæ executioni mandaretur, & Collegii Gubernatores, juxta illius præscriptum, munere suo defungerentur. Postremo Meldensis Episcopus de Collegii gubernatione dejicitur, & in locum illius Senonensis Archiepiscopus subrogatur. Meldensis Episcopus vocatur Durandus Parisiensis, ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui ex Aniciensi ad Meldensem translatus fuerat Ecclesiam: Senonensis Archiepiscopus Guillelmus Brossia nuncupatur.





CAPUT VII.

Refertur Theologicæ Facultatis de visione beatifica determinatio, cui quidam e regio Navarræ Collegio interfuerunt.

CIRCA hoc tempus Joannes XXII. Pontifex, qui Sedem Avenioni regebat Apostolicam, docuit animas cælo receptas divinam essentiam non intueri de facie, nec prius intuituras esse quam resurrexissent mortui, & generale celebratum esset judicium. Quæstio hæc multorum animos in Gallia turbavit, aliis a Joannis parte, aliis contra stantibus; sed horum longe major erat numerus. Philippus Rex Parisienses Theologos in Castello Vicennarum convocavit, & jussit, vt quid ea super re censerent, literis mandarent. Parisienses Theologi Philippo morem gesserunt: sed quoniam inter eos quidam e Navarræ Collegio, & inprimis Cancellarius Parisiensis, eluxerunt, determinationem ab illis factam referre operæpretium esse duxi. sic autem se habet:

Serenissimo Principi ac domino domino Philippo Dei gratia Regi Francorum illustri, sui devoti Capellani ejusdem miseratione, Petrus Patriarchă Hierosolymitanus, Petrus Archiepiscopus Rotomagensis, Guillelmus Bernardi Cancellarius Parisiensis, Ioannes de Blangiaco Archidiaconus Vulcassini in Ecclesia Rotomagensi, Nicolaus de Lira Ordinis Fratrum Minorum, Ioannes de Mentheno Ordinis sancti Benedicti, Matthæus de Archis, Petrus de Palma Prior provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum in Francia, Ioannes de Caricampo Ordinis Cisterciensis, Petrus de Casa Prior generalis Fratrum beatæ Mariæ de Carmelo, Simon de Meneniis, Guillelmus de Castro Reginaldi Ordinis Prædicatorum, Germanus Celati, Iarinus de Gyaco Ordinis Prædicatorum, Guillelmus de Brena Ordinis Minorum, Guillelmus Calcot Ordinis Prædicatorum, Oliverius Saladini, Gerardus de Pergamo Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Petrus de Verberia

Ordinis Vallis Scholarium, Nicolaus de Alexandria Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Petrus Herse Ordinis Carmelitarum, Nicolaus Boneti Ordinis Fratrum Minorum, & Durandus de Aureliaco Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magistri, cum sui humillima recommendatione per temporalis regni regimen sic transire, ut perveniat ad perpetui regni culmen.

Placuit vestræ regiæ majestati nos dominica quarta Adventus Domini in vestro manerio in nemore de Vicenis, ad sui præsentiam convocare, nosque requirere, quod vellemus corporale juramentum præstare, quod super petendis a nobis de statu animarum sanctarum a corporibus exutarum, veritatem quam sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujuscunque velamine diceremus, assistentibus vestræ regiæ Celsitudini excellentibus Principibus dominis Philippo Dei gratia Rege Navarræ, Ioanne primogenito vestro Normaniæ, Ludovico Borbonesii Ducibus, Carolo germano vestro Alenconii, Guidone Blesensium Comitibus, ac reverendis Patribus dominis Guillelmo Auxitano Archiepiscopo, Guillelmo Parisiensi, Andrea Atrebatensi, Guillelmo Convenarum, Petro Rutenensi, Rogerio Lemovicensi, Bernardo Aniciensi, Ioanne Nivernensi Episcopis, Guillelmo Electo Ebroicensi, Petro Cluniacensi, Guidone sancti Dionysii, Petro sancti Germani de Pratis, Hugone Corbeiensi Abbatibus, & aliorum tam Clericorum quam Baronum & militum Consiliariorum vestrorum, religiosorumque & secularium multitudine copiosa. Præfato autem juramento per nos præstito, duæ nobis fuerunt proposita quæstiones. Prima utrum animæ Sanctorum in cælo existentes videant divinam essentiam facie ad faciem ante resurrectionem corporum & ante judicium generale. Secunda, utrum visio quam nunc de essentia divina habent, evacuabitur in die extremo judicii, alia succedente. Et quia, Princeps serenissime, vos ut dominum nostrum carissimum, fundatorem & guardiatorem Parisiensis Studii & nostræ ibidem Theologicæ Facultatis, Regemque præcellentem revereri tenemur, & vestris jussionibus obedire: attendentes specialiter id quod ab ore vestro ibidem audivimus, quod in hac materia quærebatis, quod tangere posset sanctissimum Patrem & dominum nostrum dominum Ioannem divina providentia sacrosancta Romanæ ac universalis Ecclesiæ summum Pontificem, cujus sumus devoti servi & filii; quinimo sicut filius

ejus devotissimus honorem suum in his & aliis zelabatis: advertentesque, quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia Sanctitas sua dixit, non asserendo seu opinando protulerit, sed solummodo recitando: considerantesque quod juxta Principis Apostolorum doctrinam de ea quæ in nobis est, fide & spe parati esse debemus omni poscenti nos reddere rationem sigillatim, quod sentiebamus, super petitis respondimus, & omnes in eam sententiam convenimus, quod a tempore mortis Domini nostri JESU-CHRISTI, *per quem pretium redemptionis humani generis extitit persolutum, omnes animæ sanctorum Patrum, quas ibi Salvator noster ad inferos descendens eduxit de limbo, ceterorumque fidelium animæ quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile, vel quæ pœnæ in purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam & claram, beatificam, intuitivam & immediatam divinæ essentiæ & benedictissimæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, quam Apostolus primæ ad Corinth.* XIII. *capite nominat visionem faciei ad faciem, sicut assumptæ, ipsa deitate beata perfecte fruuntur, & jam quod crediderunt videntes, quod speraverunt tenentes, non in spe, sed in re sunt beatæ; quodque dicta visio quam nunc habent, resumptis corporibus minime evacuabitur, alia succedente, sed ipsamet in eis cum sicut eorum vita æterna perpetuo remanebit. Et quia, Princeps inclyte, postmodum in die sancti Ioannis Evangelistæ nos fecistis Parisius congregari, & ibidem fuimus vestro nomine requisiti, ut illud quod die dicta dominica quarta Adventus in vestra præsentia dixeramus, redigeremus in scriptis nostris ibidem sigillis appensis, licet supplicavissemus, quod de his quæ jam dixeramus, dignaretur vestra Celsitudo regia contentari, vel quod sicut quilibet sigillatim responderet, ita in scriptis redigeret sigillatim: tamen nolentes vestris jussionibus contraire, præsentes literas sub appensione sigillorum nostrorum in præmissorum testimonium regali excellentiæ duximus concedendas. Et nos Guillelmus le Petit, Henricus de Haercés Minister principalis Ordinis Fratrum Minorum in Francia, Ægidius de Pertico, Ioannes de sancto Dionysio Ordinis sancti Benedicti, Guillelmus Herces Pœnitentiarius Parisiensis, & Robertus de Bardis, in eadem Facultate Theologiæ Doctores, qui in dicta quæstione facta in nemore Vicenarum præsentes non fuimus ex causis legitimis impediti,*

postmodum in aliis congregationibus vestro nomine requisiti, præmissis quæstionibus consimiliter cum præfatis Patribus & Magistris per omnia respondemus, & idem quod ipsi dixerunt in prædicta materia, credimus & sentimus. In cujus rei testimonium sigilla nostra vna cum sigillis eorum præsentibus literis duximus apponenda. Datum Parisiis apud sanctum Maturinum in nostra Congregatione generali Magistrorum in Theologia regentium & non regentium II. *die Ianuarii anno Domini* MCCCXXXIII. Hæc acta sunt biennio postquam Philippus eam Navarræ Collegio libertatem restituit, quam Regina testamento suo caverat, & quam illius curatores testamentarii valde diminuerant. Guillelmo Bernardo Parisiensi Cancellario, aliisque Sociis, qui in illo cœtu dixerunt sententiam, suum in libro tertio constabit elogium. Philippus igitur Rex, cognomento Longus, Guillelmus Bernardus aliique Collegæ in causa fuerunt, cur determinatio ad totam Theologiæ Facultatem pertinens, in partem Historiæ Collegii venerit.



CAPUT VIII.

Mittuntur Romanam in Curiam Socii quidam, qui vt aliis Ecclesiastica conferantur beneficia, curent. Senatus semel atque iterum statuit vt bursæ convenienter regiæ Collegii fundationi vacent. Magistri & Scholares Philippi Longi Regis exequias pro more prosequuntur vsque ad Sandionysianum monasterium.

QUÆ ab anno Christi MCCCXXXIII. vsque ad annum MCCCL. gesta sunt, complector. Multitudo Gubernatorum Collegii, quos Regina instituerat & Reges confirmaverant, illorum votis non respondit: sperabant, vt quo plures essent, iique magna dignitate præditi, eo magis ad gloriam Gymnasii vtilitatemque advigilarent. Sperare quidem id poterant, si modo inter se concordarent: sed nunquam

quam aut raro concordarunt. Quod cum viderent Reges, atque inprimis Philippus, de quo mentionem superiori cap. fecimus, Collegio aliter prospiciendum esse censuit. nam sublatis tot Gubernatoribus, vnum constituit: eumque, cui Reges arcana conscientiæ ex religione committerent, Confessarium recepto apud Theologos nomine vocamus. Hoc novum Regis Edictum ex vsu potius quam ex scripto deprehendi, quamvis scriptum fuisse non dubitem; sed diploma in manus meas nondum venit, nisi forsan perierit, aut in forulis adhuc quorundam Regis armariorum delitescat. In veteribus schedis ad annum MCCCXLII. nactus sum, eum qui Regi erat a confessionibus, Collegium invisisse & statuisse nonnihil, quamvis quid rei foret, minime declaretur. Hoc quoque tempore inveni, Collegium suos Avenione in Curia Romana habuisse nuncios, qui Domus & Sociorum opportunitatibus providerent. Schedarum seu commentariorum Collegii verba sic adscribo:

Stephanus de Bricuria, nuncius Collegii in Curia Romana. Hoc eodem anno, scilicet MCCCXLII. *Petrus de Brena, nuncius apud Avenionem.*

Ioannes de sancto Medardo & Ibannes de Alba Petra, nuncii in Curia Romana pro vtilitate Domus & promotione Sociorum anno MCCCXLIX. Hi quandiu versabantur in Curia, pensione stata, quam bursam appellant, fruebantur. Neque enim rationi fuisset consentaneum, vt qui pro ceteris laborabant, sibi quidquam deperiisset.

Huc spectant Senatusconsulta duo, quibus apparet, Socios loco & bursis cedere oportere, cum ad designatos in institutione Collegii reditus pervenerunt. Primum est ejusmodi: *Cum nos per literas nostras Magistro Ioanni de Venelim habenti bursas in Domo de Navarra Studentium in Artium Facultate concesserimus bursas dictas Theologorum vacantes in Domo prædicta, pro eo quod Magister Ioannes de Vemars, seu Magister Dionysius de Cauda bursas Theologorum habentes in Domo prædicta, reditus ascendentes summam sexaginta librarum & amplius obtinere dicuntur, contra ordinationem carissimæ dominæ nostræ quondam Franciæ & Navarræ Reginæ, fundatricis dictæ Domus, qua cavetur, vt si habentes bursas in prædicta Domo Theologorum*

reditus aliunde habeant sexaginta librarum valorem habentes; bursas Artistarum quadraginta librarum, vel bursas Grammaticorum habentes, triginta libras reditus obtineant, priventur dictis bursis, & alii subrogentur loco sui: nosque bursas Artistarum, quas dictus Magister Ioannes de Venelim obtinebat, concessimus Ioanni Chacart bursas Grammaticorum habenti in Domo prædicta; ac bursas & locum Grammaticorum, quas dictus Ioannes Chacart, ut præfertur, obtinebat, Guillelmo Gaucherii Parisius studenti concessimus de gratia speciali, prout per literas nostras super dictis collationibus factas apparebat: & ob hoc prædictus Guillelmus Gaucherii in Curia nostra coram dilectis & fidelibus pro nobis Parisius præsidentibus peteret, ut cum dicti Magistri Ioannes de Vemars, ac Dionysius de Cauda bursas Theologorum habentes, reditus valentes sexaginta libras & amplius, contra ordinationem prædictæ testatricis, obtinerent & habeant, sicque vacet locus bursarum Theologorum, locumque habeant collationes bursarum prædictis Magistro Ioanni de Vendim ac Ioanni Chacart, ut præmittitur, factæ, quod per dictam Curiam declararetur, bursas & locum Grammaticorum dictæ Domus, quas dictus Ioannes Chacart obtinebat, ad ipsum Guillelmum pertinere, ac eidem debere liberari & tradi virtute collationis nostræ super hoc factæ: dictis vero Magistris Ioanni de Vemars ac Dionysio de Cauda dicentibus, quod licet forsan reditus valentes sexaginta libras annuatim tenerent & haberent, non tamen valebant dictam summam portatam in Studio Parisiensi, licet forsitan in loco quo situantur, valere possent dictam summam, quod tamen non confitebantur; quodque ordinatio prædictæ testatricis intelligi debebat, si reditus ante dicti, & per quos privari poterant dictis bursis, valerent dictas summas libere in Studio Parisiensi, non autem in locis, quibus essent situati: dicto vero Guillelmo contrarium asserente & dicente dictam ordinationem debere intelligi, si reditus valerent dictas summas, etiam solum in locis quibus essent situati, licet Parisius tantumdem in Studio non valerent, & quod alias sic fuerat per sententiam gentium Requestarum hospitii nostri declaratum: Quibus partibus super hoc auditis, ac etiam dictam ordinationem super hoc per nostram Curiam declarari, & eisdem jus fieri in præmissis, visisque dicta ordinatione & literis prædictis per Curiam nostram extitit declaratum, quod si qui bursas

habentes in Domo prædicta, reditus habeant valentes summas in dicta ordinatione declaratas & expressas, ut superius est dictum, etiam in loco seu locis quibus fuerunt situati, licet tantum vel dictam summam seu summas non valeant in Studio, vacabunt bursæ habentes reditus antedictos, procedentque dictæ partes juxta tenorem gratiæ nostræ prædictæ. Pronunciatum XII. *Aprilis anno Domini* MCCCXXXIX. *ante Pascha.*

Alterum sic se habet:

Cum per Arrestum certum latum in Curia nostra inter Guillelmum Gaucherii ex parte una, & Magistrum Dionysium de Cauda studentem in Domo de Navarra Parisius in Theologica Facultate, & quosdam alios ex altera, declarata quadam clausula quondam ordinata per carissimam dominam nostram Ioannam Franciæ & Navarræ Reginam super statuta Scholarium per prædictam Reginam in dicta Domo fundatorum, qua cavetur, ut si Scholares in Facultate Theologica studentes, reditus valentes sexaginta libras; studentes in Philosophia, quadraginta libras; vel in Grammatica, triginta libras habentes, bursis dictæ Domus priventur, & ponantur alii eorum loco, prout in dicta ordinatione seu clausula plenius continetur: videlicet quod dicti reditus valeant dictas summas in locis quibus situantur, licet tantum non valeant portati in Studio Parisiensi; & quod inter prædictos reditus valentes dictas summas in locis, privari debeant dictis bursis, prout in dicto Arresto plenius continetur; prædictusque Guillelmus proponeret, quod dictus Magister Dionysius diversa ac plura beneficia tenebat & possidebat valentia in locis quibus erant situata, summam sexaginta librarum & amplius, propter quod dicebat, quod privari debebat secundum declarationem prædictam bursis Theologorum, quas tenebat in Domo prædicta, sicque per consequens ipsius locum & bursas habere debebat Magister Simon de Venelim studens in Philosophia in dicta Domo, ac bursas dicti Magistri Simonis Ioannes Chacart studens in Grammatica & habens bursas Grammaticorum dictæ Domus, ipseque Guillelmus bursas Grammaticorum dicti Ioannis Chacart, prout eisdem per ordinem per nostras literas collatæ fuerant dictæ bursæ: dicto vero Magistro Dionysio dicente, quod licet plura beneficia, videlicet tria, haberet in diversis locis, quæ valerent & ascenderent ad dictam summam sexaginta librarum & amplius in locis qui-

bus erant dicta beneficia situata, tamen eisdem in dictis locis valere non poterant dictam summam. Nam prout dicebat, dicta beneficia & quodlibet eorundem residentiam personalem requirebant, ipsoque in aliquo eorum residentiam etiam faciendo de beneficio illo, in quo residentiam faceret, nec etiam de aliis beneficiis habere vel percipere poterat quoquomodo summam sexaginta librarum taxatam per ordinationem prædictam, nec etiam ipso in Scholis existente. sicque prædicta declaratio facta per Arrestum prædictum nullo modo ipsum comprehendere poterat in aliquo casuum prædictorum, quare privari nec debebat bursis Theologorum, quas in Domo prædicta habebat: dicto Guillelmo replicante & dicente, quod dicta tria beneficia in locis quibus situantur, valebant residentibus dictam summam & amplius, ut etiam confessus fuerat dictus Magister Dionysius, & licet forsitan ipso in aliquo ipsorum residendo ab ipso beneficio & aliis habere non posset dictam summam tantum, tamen valebunt in locis, quibus situantur, residentibus. hoc quoque sibi imputari debebat, quod tot beneficia obtinebat, quare aliis ipsa habentibus valerent dictam summam & amplius; & quod prædicta clausula & declaratio habere locum debebant & habebant contra ipsum, & compelli per Arrestum ad dimittendum dictas bursas, & locum habere collationes eidem Guillelmo & aliis nominatis per ordinem per nos factæ. Quibus partibus auditis, visisque Arresto & ordinationibus prædictis, attentis etiam confessionibus prædicti Magistri Dionysii, consideratis rationibus hinc inde propositis, dictum fuit per Arrestum, quod licet beneficia quæ dictus Magister tenet in diversis locis, eidem non valeant dictam summam sexaginta librarum pro eo quod in eis omnibus simul facere non valet residentiam personalem, quia tamen valent in locis quibus situantur, dictam summam, privabitur dictis bursis Theologorum dictæ Domus, & juxta tenorem ordinationis & Arresti prædictorum admittentur prædicti Magistri Simon, Ioannes Chacart ac Guillelmus per ordinem ad bursas & loca eisdem per nos collata, prout in literis super collatione prædictorum eis factis continetur, nonobstantibus rationibus propositis per Magistrum Dionysium prædictum: & compelletur dictus Magister Dionysius dimittere dictas bursas. Pronunciatum XX. *die Maii anno Domini* MCCCXL.

In his duobus Senatusconsultis objiciunt se tria. In primis

literæ, quibus quælibet ſtata penſio ſeu, vt aiunt, burſa confertur, Regis nomine ſcribuntur, non eorum qui gubernando Collegio præficiuntur. Deinde Reges & Senatus omnino volunt, vt conſtitutiones Reginæ ad amuſſim obſerventur. Tum plane decernunt, ſtatam penſionem ſeu burſam vacare, adepto ſacerdotio vel patrimonio reditus talis, qualis in inſtitutione Collegii æſtimatur, neque requiri vt ea ſit æſtimatio, quæ Lutetiæ in ipſamet Academia, ſed iis in locis vbi ſacerdotium aut patrimonium conſiſtit, habeatur.

Philippus Rex V. anno MCCCL. migravit e vita XI. Calend. Septembris: migrationis locus Novigentum, quod Regis dicitur, in pago Carnotenſi. Sexto poſt migrationem die Magiſtri & Scholares Collegii omnes Philippi exequias ad monaſterium Sandionyſianum proſecuti ſunt, vt ab initio mos obtinuit. Scholæ regiæ Proviſor rationem reddit ſumptuum, quos tunc eam ob cauſam fieri decuit.



CAPUT IX.

Nicolaus Oreſmius per aliquot annos tenuit Collegii Magiſterium, de quo cum factus eſſet Rotomagenſis Eccleſiæ Decanus, ex fundatricis edicto dejicitur per Senatuſconſultum quod recenſetur. De rebus geſtis beati Ludovici collatio inſtituitur, quæ in illius die feſto fiat.

INSEQUENTI decennio nihil admodum memorabile occurrit, quod ad generalem regiæ Domus adminiſtrationem pertineat. Hoc tempore tres in Theologia Magiſtri Collegium rexerunt, Philippus Villeta, Bovinus Cauno, & Nicolaus Oreſmius, qui ſua virtute & doctrina Collegii famam longe lateque extendit. Hic poſtquam Rotomagenſis Eccleſiæ Decanatum obtinuit, per Senatuſconſultum de Magiſterio Collegii deturbatus eſt. Hoc Senatuſconſultum refero, quod ad illuſtrandas & confirmandas Reginæ con-

stitutiones plurimum valet. *Lite mota coram certis Commissariis a nobis super hoc deputatis, inter Magistrum Simonem Freron & ejus adhærentes, nationis Gallicanæ & Campaniæ, ex parte una; & Magistrum Nicolaum Oresme, ex altera: super eo quod dictus Freron & ejus adhærentes inter cetera dicebant, Ioannam quondam Reginam Franciæ & Navarræ, Comitissamque Campaniæ, conjugem inclytæ memoriæ Philippi Pulchri Regis patroni nostri, inter alia quæ in suo testamento seu ultima voluntate ordinaverat, voluisse & ordinasse, quod de & super bonis suis certa Domus Scholarium Parisius ordinaretur, in qua essent* XX. *Scholares in Grammatica*, XXX. *in Logica*, & XX. *in Theologia, haberentque Grammatici unum & Logici unum & Theologi unum Magistros Scholarium, qui Magistri duplices bursas perciperent; necnon quod si aliquis ipsorum Magistrorum & Scholarium esset beneficiatus, videlicet Grammaticus de beneficio quod valeret* XXX. *Artista & Theologus sexaginta libras Parisienses seu plus in reditibus, alius loco ipsius, seu beneficiati poneretur in dicta Domo, & idem beneficiatus extra ipsam Domum exiret. Dicebant etiam in dicto suo testamento certos executores ordinasse pro ipso adimplendo, quibus dederat & concesserat plenam potestatem & auctoritatem adimplendi & perficiendi dictum suum testamentum seu ordinationem, addendi, corrigendi & diminuendi, prout eis videretur faciendum, ipsamque post dictum testamentum suum certum codicillum fecisse, per quem dictis executoribus suis similem seu majorem potestatem donaverat; ipsosque executores tam virtute dictorum testamenti & codicilli ordinasse & declarasse, quod quotiens contingeret locum dicti Magistri in Theologia vacare, poneretur & institueretur ibidem de terra Campaniæ seu de provincia Senonensi, si idoneus reperiretur; & si non reperiretur, de loco proximiori dictorum locorum: ipsamque ordinationem per dictos executores factam per Sedem Romanam confirmatam, ac per Scholares dictæ Domus juratam fuisse. Insuper dicebant, ipsum Magistrum Simonem esse Magistrum in Theologia, Scholarem de natione Gallicana, & non habere beneficium* LX. *librarum, dictumque Magistrum Nicolaum esse de natione Normaniæ, & in beneficio* LX. *libras habere, vel saltem plus quam* LX. *portatas. Insuper dicebant, quod supposito quod per aliquod Arrestum dicta executio dictorum executorum fuisset annullata,*

hoc fuerat Procuratore nostro, nec ipso Freron seu aliis quos negotium tangebat, non vocatis. Necnon quod si aliquis de alia natione, quam de dicta natione Gallicana, Magister in ipsa Domo fuerat aliquo tempore institutus, hoc fuerat, quia idoneus, vel qui dictum officium peteret, non reperiebatur, dictumque officium per nos sibi fuisse commissum & collatum. Quare his & aliis pluribus rationibus petebant pronunciari & declarari ipsum Magistrum Simonem in officio dicti Magistratus virtute collationis per nos sibi factæ admitti debere ac inductum debere remanere, ipsumque Magistrum Nicolaum in eorum expensis condemnari. Dictoque Magistro Nicolao in contrarium dicente, nos sibi dictum officium Magistratus quinta die Iunii MCCCLXI. *concessisse, & per tres septimanas, antequam dictus Freron ipsum officium a nobis peteret, ipsumque officium virtute dictæ collationis per nos sibi factæ debite acceptasse, licet super hoc a nobis literas non habuisset. Dicebat etiam dictam collationem de dicto officio sibi bene juste & legitime factam fuisse, juxta & secundum statuta & ordinationes dictæ testatricis: in quibus quidem ordinationibus & statutis inter cetera dicebat contineri, quod Doctores & Magistri in Theologia, in Artibus & Grammatica de nutritis in ipsa Domo, si qui essent ad hoc sufficientes & idonei, eligerentur, & præ aliis præferrentur absque favore amicorum & distinctione nationum; ipsamque ordinationem in ipsa Domo diu observatam fuisse. Dicebat etiam, quod erat Magister in Theologia, & per longa tempora in dicta Domo nutritus, personaque sufficiens & habilis ad dictum officium obtinendum; necnon quod ordinata & declarata per dictos executores, potissime quantum ad hoc quod ordinaverant, quod Magistri & Scholares de terra Campaniæ in dicta Domo ponerentur, & plura alia per ipsos in quantum dicta testamentum & codicillum continebant, per Arrestum Curiæ nostræ Parlamenti annullata & revocata fuerant; quodque dictus Freron in dicta Domo nunquam moram traxerat, habebatque in beneficio* LX. *libras & plus, idemque Nicolaus* LX. *libras non habebat in beneficio & ditibus: & supposito quod haberet, tamen sub dicta clausula Magister in Theologia Gubernator ipsius Collegii non comprehendebatur, licet alii Magistri & Scholares comprehenderentur sub eadem. Quare his & aliis pluribus rationibus petebat declarari, ipsum in dicto officio jus habere, & collationem per nos*

ſibi factam de ipſo officio valere & tenere, impedimentumque per dictum Freron appoſitum amoveri. Pluribuſque rationibus hinc inde ad fines prædictos in ſcriptis una cum ſtatutis, teſtamento, codicillo & ordinatione executorum prædictorum ac Arreſto, de quo ſuperius fit mentio, traditis, poſtmodumque de mandato noſtro partibus antedictis una cum proceſſu ad Curiam noſtri Parlamenti remiſſo, ac ipſis partibus in ipſa Curia auditis, & de eorum conſenſu dicto proceſſu in ſtatu quo erat ad judicandum, recepto, eo viſo & diligenter examinato, una cum dictis teſtamento, codicillo, ſtatutis, ordinationibus & Arreſto, conſideratis etiam certis reſponſionibus, quibuſdam interrogatoriis ipſis partibus per ipſam Curiam factis, & aliis quæ ipſam Curiam movere poterant & debebant: per Arreſtum dictæ Curiæ noſtræ dictum fuit, quod dictum Arreſtum, de quo ſuperius fit mentio, in ſuo vigore & valore, nonobſtantibus propoſitis ex adverſo, remanebit; & quod Magiſter & Gubernator dictæ Domus in dicta ordinatione per dictam teſtatricem de beneficio LX. *librarum facta comprehenditur & continetur: declaravitque per idem Arreſtum dictum officium dicti Magiſterii prædictæ Domus Navarræ ad dictum Magiſtrum Simonem Freron pertinere; & ab eodem officio Magiſterii præfatus Magiſter Nicolaus amovebitur, & ipſum dicta noſtra Curia amovit & amovet a condemnatione expenſarum abſtinentes, & ex cauſa pronunciatum quarta die Decembris anno Domini* MCCCLXI.

In hoc Senatuſconſulto Joannes Rex Galliæ Magiſterium Collegii nunc Oreſmio, nunc Freroni concedit. Oreſmio quidem anno MCCCLXI. ad diem quintam Junii: Freroni vero ad diem quartam Decembris. Atque ita menſes ſex Oreſmius Collegium rexit, eoque abdicatus eſt munere, quod ſacerdotium reditus librarum LX. per annos ſingulos eſſet conſecutus. At Simon Frero cauſam obtinuit, quod repertum ſit, eum ſacerdotio minoris reditus potiri.

Biennio poſt Rex idem tertio Idus Novembris ad Urbanum V. Pontificem dedit literas, quibus promovendos regiæ Domus Socios de meliore nota commendabat: literæ non extant, harum tantum ſupereſt mentio.

Richardus Lettreus Abbas monaſterii ſancti Germani ad vrbem anno MCCCLXVII. Stephanus Pariſienſis Epiſcopus anno

anno insequenti in festo beati Ludovici sacris operatus est, & concionem habuit: dignus fuit, qui postea in Cardinalium ordinem cooptaretur. Ceterum anno MCCCLXIX. Academia decrevit, vt in eodem festo de sancti Ludovici rebus gestis collatio in perpetuum fieret. adscribo verba:

Universis Christi fidelibus nostras præsentes literas seu præsens instrumentum publicum inspecturis, Iacobus Perroti de Metis Rector & Universitas Magistrorum & Scholarium Parisius studentium salutem in Domino sempiternam. Dignum merito arbitramur, velut consonum rationi & approbatis Scripturis, illis potissimum distribuere nostras gratias & honores, licitosque favores, qui nostrum Parisiense Studium suis doctrinalibus studiis & jugibus laboribus laudabilibusque actibus illuminant, continuant, consolidant & sustentant, vt in continuandis indefesse præmissis animentur obligatiusque ligentur; ceteri vero his de causis allecti copiosius affluant ad studendum. Cum itaque pro parte illustrissimi Principis domini nostri & patris singularissimi domini Caroli Dei gratia Francorum Regis, nuper nobis preces oblatæ hactenus fuerint gratiosæ, inter cetera continentes, quatenus annuales sermonem & collationem Universitatis prædictæ fieri consuetos ad Clerum die festo sancti Ludovici Regis dudum Francorum, nos, ad quos spectat tam de consuetudine quam de jure, de hujusmodi sermonibus & collationibus ordinare, suo regali Collegio Scholarium de Navarra sub litera Universitatis concedere perpetuo dignaremur: in cujus Sancti honore Capella tam solennis dicti Collegii principaliter est fundata, vbi locus aptissimus ad sermones fiendos, grandisque valde studentium multitudo, cum pluribus aliis coloribus rationabilibus explicite allegatis, Magistrisque & Scholaribus dicti Collegii obnixe interpellantibus pro præmissis, dictaque domini nostri Regis petitione, pro majori & saniore deliberatione aliquandiu posita in suspenso. Demum vero per Magistrum Simonem Freron actu regentem in Theologia Magistrum dicti Collegii, in nostra generali Congregatione propter hoc inter cetera specialiter celebrata, verbo tenus refricata & explicata ad plenum, vnanimiter attendentes dicti domini nostri Regis rationabilem & sanctam affectionem, dictique Collegii celebrem ordinationem, dicta supplicatione in deliberatione cum ceteris posita, vt est moris, nobisque ad partem pro deliberando more solito retra-

ctis, postmodum vero pro reducendis deliberationibus reunitis, deliberavimus & diximus per hunc modum: Et primo nos Rector nomine Facultatis Artium, & pro ipsa dixi, quod dictam petitionem domini nostri Regis pro dictis sermone & collatione sancti Ludovici Regis, & supplicationem dicti Collegii ad eundem finem tendentes, vnanimiter & concorditer tanquam rationabiles concedebant, & pro eisdem aliis Facultatibus supplicabant. Deinde reverendus Magister Galerannus Penderf Magister in Medicina, nomine dictæ Facultatis Medicinæ, & pro ipsa deliberando suo ordine de articulo prælibato sermonum dixit, dictam supplicationem pro sermone & collatione diei sancti Ludovici Regis in dicto Collegio de Navarra perpetuo fiendis, per Facultatem suam etiam vnanimiter exauditam, sub litera Universitatis prædictæ. Ulterius reverendus Magister Ioannes de Champin Doctor Decretorum & Decanus Facultatis ejusdem, suo ordine deliberando dixit de prædicta supplicatione sermonum, quod suæ Facultati Decretorum concorditer placebat, vt aliis Facultatibus prædictis, & quod de hoc haberent illi de Collegio literam Universitatis sigillatam. Postremo vero reverendus Magister Gerardus de Vervino Magister in Theologia, Parisiensis Pœnitentiarius, pro sua Facultate Theologica deliberando dixit, quod dictam supplicationem sermonis & collationis fiendarum perpetuo die sancti Ludovici Regis in dicto Collegio acceptabat concorditer, dicta Facultas approbabat & exaudiebat, ut alii præcedentes. In quorum omnium testimonium nos Rector & Universitas antedicti præsentes literas seu præsens instrumentum publicum per Notarios publicos infra scriptos fieri & publicari mandavimus & fecimus ad perpetuam rei memoriam, ac sigilli nostri una cum sigillis & subscriptionibus eorundem Notariorum appensione muniri. Acta fuerunt hæc Parisius in nostra generali Congregatione prædicta apud sanctum Maturinum hora tertia celebrata, vt moris est, anno a resurrectione Domini MCCCLXIX. Indictione VIII. secundum morem Ecclesiæ Gallicanæ die XVIII. mensis Octobris in festo beati Lucæ, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Urbani divina providentia Papæ V. anno VII. præsentibus reverendo in Christo Patre domino Thoma Abbate Monasterii sancti Martini in Bosco, Belvacensis Diœcesis, Conservatoris privilegiorum nostrorum vices gerente, ac discretis viris Ioanne de

Aciaco, magno Bedello Theologicæ Facultatis, domino Iacobo de Pavelione, Bedello Franciæ Suessionensis & Trecensis Diœceseos, testibus ad præmissa vocatus specialiter & rogatus. Si quis ad hoc negotium tantisper attendat, & quam egregie dilexerit suum Navarræ Collegium Rex Carolus, & quantum auctoritatis habuerit Academia, facile deprehendet. Cum Princeps optimus postulat quod præcipere potest, literas literatosque mirifice colit; sed cultum ipse suum in se derivat. Sic enim in tantum colendus est, in quantum virtus, majestas & amor intelligi possunt.



CAPUT X.

Petrus Nivernensis Episcopus, Regi a confessionibus, beati Ludovici festum celebrat, ædemque Collegii eidem Regi sancto consecrat. Joannes Nannetensis Episcopus concionem habet. Carolus V. curat ut festum Præsentationis beatæ Mariæ prius agatur in Collegio, quam aliis in locis. Hæc omnia maximam tunc Collegio celebritatem importarunt.

PRÆ ceteris anni sunt duo, MCCCLXXIII. & MCCCLXXIV. qui maximam Collegio celebritatem attulerunt. Nam anno MCCCLXXIII. Petrus Nivernensis Episcopus, Regis Confessarius, ac proinde supremus Collegii Gubernator, festum beati Ludovici celebravit, sacrum fecit; & Joannes Nannetensis Episcopus concionem habuit: deinde Nivernensis idem Episcopus ædem Collegii dedicavit. Id testantur literæ quæ tunc ea super re confectæ fuerunt:

Frater Petrus miseratione divina Episcopus Nivernensis, universis præsentes literas inspecturis salutem & dilectionem sinceram in omnium salutari. Notum facimus per præsentes, nos interveniente licentia speciali domini nostri Regis, (cujus tenor sequitur in hæc verba: Carolus Dei gratia Francorum Rex dilectis nostris Magistris & Scholaribus Domus nostræ Navarræ Pari-

sius salutem & dilectionem. Ut per quemcunque catholicum Antistitem possitis & vobis liceat Capellam ipsius Domus in honore beatissimi Ludovici antiquitus fundatam facere dedicari, adhibitis solennitatibus consuetis, assensum nostrum liberaliter impendimus, vobisque ex certa scientia & speciali gratia tenore præsentium, in quantum nos potest concernere, licentiam impertimur. Datum Parisius in Castro nostro de Lupara XXVII. *die Septembris anno Domini* MCCCLXXIII. *& regni nostri decimo) reverendique Patris & domini eadem gratia Episcopi Parisiensis commissione præhabita speciali & libera facultate, (cujus tenor scripto tenus talis erat: Reverendo in Christo Patri domino Dei gratia Episcopo Nivernensi, Emericus eadem gratia Episcopus Parisiensis in omnium Salvatore, dedicandi seu consecrandi Ecclesiam, seu Capellam Domus Scholarium Navarræ Parisius situatam una cum altaribus infra ipsam existentibus, adhibitis cerimoniis & solennitatibus assuetis, salvo jure cujuslibet, paternitati vestræ reverendæ tenore præsentium liberam concedimus facultatem. Datum Parisius sub nostro sigillo die ultima Septembris anno Domini* MCCCLXXIII.) *anno ejusdem Domini* MCCCLXXIII. *die* XVI. *mensis Octobris, quæ fuit dominica in capite octabarum beati Dionysii martyris, in forma Ecclesiæ consueta Dei gratia mediante dedicasse Ecclesiam seu Capellam regalis Collegii sive Domus collegiatæ Scholarium de Navarra Parisius in monte sanctæ Genovefæ, in reverentia & honore sanctæ ac individuæ Trinitatis, victoriosissimæ Crucis Christi, gloriosissimæ Virginis matris ejus, beatissimi Ludovici Francorum Regis, Christi gloriosissimi Confessoris, & beatissimæ virginis & martyris Catharinæ, omniumque Sanctorum Dei & totius Curiæ supernorum; quinque etiam in eadem altaria consecrasse, pluribus & variis more solito sanctissimis reliquiis in singulis interclusis, prout clare patere potest intuentibus propria epitaphia singulorum, præsentibus pluribus magnis & fide dignis personis hic seriatim subscriptis, reverendo in Christo Patre & domino domino eadem Dei gratia Episcopo Nannetensi, venerabilibus & circumspectis dominis & Magistris Hugone Boileau Subeleemosynario domini nostri Regis, Hugone de Roca Domino Cameræ Compotorum, Curato sancti Stephani, in Ecclesia sanctæ Genovefæ Parisius prædictæ Magistro, ceterisque Theologis, Artistis, Grammaticis & Capellanis dictæ Domus,*

cum pluribus aliis tam religiosis quam aliis, Baccalariis & Magistris in diversis Facultatibus Parisius, & aliis sæcularibus valde multis, XL. *dies Indulgentiarum ex parte nostra,* XL. *ex parte dicti domini Parisiensis Episcopi, Ordinarii dicti loci, &* XL. *ex parte dicti domini Nannetensis Episcopi tunc præsentis, omnibus dictam Ecclesiam seu Capellam, vt præmittitur, dedicatam devote visitantibus, vere pœnitentibus & confessis, misericorditer largiendo. Datum & actum sub nostro sigillo anno, mense & die quibus supra, in testimonium præmissorum.*

Hæc dedicatio literis mandata sic in æde ipsa reperitur: *Anno Domini* MCCCLXXIII. *die dominica quæ fuit* XVI. *mensis Octobris, Indictione* XI. *fuit hæc Capella dedicata per reverendum in Christo Patrem dominum Petrum de Villaribus, tunc Episcopum Nivernensem, in honore sanctæ Trinitatis, victoriosissimæ Crucis Christi, gloriosissimæ Virginis Mariæ, beati Ludovici Francorum Regis, beatæ Catharinæ virginis, totiusque Curiæ supernorum civium. Insuper quinque altaria per eundem consecrata sunt, preciosis in eis Sanctorum reliquiis interclusis, præsentibus domino in Christo Patre domino Episcopo Nivernensi, Hugone Boileau Subeleemosynareo Regis, Hugone de Roca Domino Cameræ Compotorum, Simone Freron Magistro principali Collegii, Michaele de Creneio Magistro Artistrum, Guidone Guerini Magistro Grammaticorum, cum Theologis, Grammaticis, Capellanis & Clericis ejusdem, adstante multitudine maxima Cleri & populi: occasione cujus reverendi in Christo Patres, idem dominus Petrus Nivernensis, Ioannes Nannetensis & Emericus Parisiensis, ejusdem loci Ordinarius, Pontifices concesserunt quilibet* XL. *dies Indulgentiæ devote ipsam Capellam visitantibus, vere pœnitentibus & confessis.* Hæc scriptura etiamsi id quod res est, enuntiet, non est tamen eo facta tempore, quo ædes consecrata fuit. Tunc enim nec Simon Frero, nec qui eum præcesserunt, nec qui proxime secuti sunt, Magistri principales Collegii dicebantur: Magistri Collegii simpliciter dicebantur.

Anno MCCCLXXIV. Carolus Rex V. ad Magistros & Scholares Domus Navarricæ diploma misit, quo præcipit, vt festum Præsentationis beatæ Mariæ celebretur. Id profecto dignum est quod hic inseratur: *Carolus Dei gratia Franco-*

rum Rex, dilectis nostris Magistro & Scholaribus Domus nostræ Scholarium de Campania, Parisius in monte sanctæ Genovefæ fundatæ, salutem in eo qui non cessat Matrem honorare in terris. Inter cetera quæ sollicitudinis nostræ cura quotidiana diligenti meditatione revolvit, illud occurrit nostræ considerationi præcipuum, qualiter beata Virgo & Imperatrix sanctissima a nobis colatur affectu præmaximo, & debita veneratione laudetur. Ad ejus siquidem exaltationem & gloriam ex debito incitamur, & oculos mentis nostræ ad eam sursum erigimus, utpote quia est omnium singulare præsidium, & ipsam puro corde colentibus apud benedictum Filium suum potentissima mediatrix. Cum itaque, sicut novimus, devotio vestra in laudem ipsius Virginis devote ferveat, vestræ igitur devotioni harum serie præsentium nunciamus, dilectum & fidelem militem & Consiliarium nostrum Philippum de Maseriis, Cypri Cancellarium, totum eidem Virgini deditum, in nostra præsentia pie inter alia recitasse, qualiter in partibus Orientalibus, ubi per multa tempora moram traxit, festum Præsentationis beatæ Mariæ Virginis in templo à suis parentibus, dum ipsa adhuc in triennio existeret, XXI. mensis Novembris annoquolibet celebratur solenniter: ipseque perpendens, quod in Ecclesia Occidentali lateret tanta solennitas, dum certo tempore ad summum Pontificem Ambasiator carissimi consanguinei nostri illustris Ierusalem & Cypri Regis existeret, solennitatem hujusmodi eidem summo Pontifici narravit, Officium de ipsa solennitate musice notatum, humilitate qua decuit, specialiter offerendo. Qui quidem summus Pontifex post examinationem multiplicem tam per ipsum quam per nonnullos Cardinales aliosque Prælatos & Magistros in Theologia super dicto Officio de mandato suo habitam, in laudes Virginis erumpens, celebrare dictum festum in Romana Curia toleravit misericorditer ac permisit: & sic dicta die celebrata fuit dicta solennitas in eadem Curia, assistentibus Cardinalibus & Prælatis aliis pluribus, populo utriusque sexus in quantitate maxima congregato. Quare præfatus Philippus exultans in Domino nobis memoratum Officium humiliter præsentavit: quod suscipientes vehementi gaudio, dictum festum XXI. die mensis Novembris nuper per dilectum & fidelem nostrum Petrum Abbatem Monasterii Conchensis Sedis Apostolicæ in his partibus tunc nuncium, & Decretorum solennem Doctorem, qui etiam Abbas multum eleganter

prædicavit ipsa die , in nostra præsentia vocatis & præsentibus multis Prælatis, Baronibus & Nobilibus in Capella nostra solenniter celebrari fecimus, sicut & idem proponimus facere dicta die, annis etiam singulis, Deo auxiliante, durante curriculo nostræ vitæ, & regni nostri excitare fidelem populum ad solennizationem hujus festi. Igitur dictum Officium ad cumulum gaudiorum vestræ devotioni transmittimus, vos hortantes, quatenus dictam solennitatem ad gloriam dictæ Virginis faciatis celebrari. Nam nihil est post Deum utilius memoria Matris ejus, condignumque ab eo pro tanto honore habebitis præmium. Datum apud Meledunum X. *die Novembris anno* MCCCLXXIV. *& regni nostri undecimo.*

Rex ergo voluit, vt festum illud beatæ Mariæ in suo Navarræ Collegio prius fieret, vt inde festi celebritas ad Parisienses & aliarum vrbium Ecclesias perveniret: quod quanto in honore & amore habuerit Collegium, apertissime declarat.

Anno superiori contigerunt duo, quæ prætermittenda mihi non videntur. Et primo quidem ab Academia pridie Nonas Octobris ad ædem Carmelitarum decreta est supplicatio, & a Doctore habita concio, in qua Notarius Ecclesiasticæ Parisiorum Curiæ dixit, sibi ab Regis Confessario injunctum esse, vt publicaret citatum esse Guillelmum Frenandum qui Joanni Quivalæ Artistarum Socio manus violenter attulerat, eique zonam detraxerat. Deinde Joannes Poncellus Collegii Capellanus, Simonem Freronem ejusdem Magistrum, coram Senonensi Archiepiscopo in jus vocavit; sed Frero Archiepiscopum vt judicem agnoscere noluit: ad Regem provocavit. & hæc ratio in actis Collegii redditur: *Quia ad Regem solum pertinet cognitio regiminis hujusmodi ex ordinatione Confessarii & Consilii domini Regis in Parlamento.*



tur per eundem, cui Receptor particularis qui clavem dictæ arcæ custodiet, post compotum cujuslibet caudæ pecuniam inde receptam elapsis sex diebus reddere & tradere teneatur, sub pœna duodecim denariorum qualibet die qua defecerit: & si defecerit ultra per alios sex dies, consortio aulæ ipso facto sit privatus, cujus defectum dictus Custos pecuniæ in aula tenebitur revelare per juramentum infra tres dies a tempore quo dictum compotum dictæ receptoriæ debet reddidisse.

Item dictus Custos pecuniæ Communitatis anno quolibet in principio Ordinarii eligatur de novo, vel continuetur qui ad officium communis receptoriæ & etiam deputationum aulæ pro illa vice, qua ad illud deberet succedere, minime teneatur: electus vero de novo ad dictum officium pecuniæ custodiendæ sub pœna unius bursæ indispensabiliter adstringatur.

Item idem Custos pecuniæ supradictæ qualibet hebdomada salarium famuli recipiat, ne Communitas in dispensatione vini ab eodem valeat defraudari.

Item quod in dicto compoto vini tam caudarum, quam & compoto dicti Receptoris, teneantur interesse Præpositus tunc existens, & prædecessor ipsius, per se vel per alium, quilibet sub pœna duodecim denariorum, monitione prævia dicti Receptoris.

Item quod Receptor teneatur per se vel per alium interesse cum deputatis, & respondere de vino empto, & infra duos dies a tempore emptionis significare in aula portionem debitam a quolibet Sociorum, sub pœna duodecim denariorum, ut supra.

Item de cetero quilibet junior officium Receptoris teneatur exercere pro quatuor caudis, dum modo steterit per mensem in Collegio: & receptoria finita, alius sequens tenebitur eidem in officio prædicto subrogari, & sic deinceps usque ad antiquiorem. Et si contingeret Receptorem absentari ante finem receptoriæ suæ, junior post eum tenebitur eandem receptoriam adimplere, compoto prædecessoris in aula recepto, & statu compoti sufficienter ostenso; qui vero in prædictis defecerit, una bursa privabitur.

Item quilibet Receptor teneatur per juramentum officium exercere, & pœnas prædictas ad utilitatem Communitatis pro vinis emendis applicandas sine favore quocunque scribere, & de iis compotum reddere sub pœna juramenti prædicti & restitutionis ad duplum: quod quidem juramentum tenebitur in aula præstare in-

fra duos dies ab ingressu receptionis, sub pœna sex denariorum qualibet die qua defecerit, & personaliter se præsentare in aula ad jurandum infra terminum prædictum.

Item quilibet Receptor postquam ad plenum solutus fuerit, teneatur infra duos dies a tempore quo requisitus fuerit, solvere quibus vel cui debebit, sub pœna sex denariorum pro qualibet die qua defecerit per negligentiam vel cautelam; dictæ vero pœnæ sex denariorum applicabuntur ad potandum in ea Communitate.

Item quod Receptori teneatur famulus tradere compotum suum infra quatuor dies a die dispensationis vini, sub pœna sex denariorum, ut supra: & Receptor ad receptionem compoti prædicti teneatur computare in aula infra quatuor dies, sub pœna eadem.

Item famulus pro sui laboris remuneratione, pro diminutione vini & pro potu suo percipiet duo sextaria pro qualibet cauda, & fustum dictæ caudæ: quod si aliquod fustum mercatori debeat restitui, pro ipso habebit tres solidos Parisius; & si aliquas prædictarum pœnarum incurrerit, de salario suo defalcetur.

Item Magister, Provisor & quilibet Sociorum tam præsentium quam absentium, vel etiam de novo recipiendorum, de primis bursis habendis mutuabit Communitati pro vino habendo unam bursam non restituendam alicui usque ad ejus totalem recessum a Domo.

Item quilibet de novo recipiendus loco jucundi adventus solvet Communitati X X. *solidos, prout alias fuit ordinatum & jam observatum: quæ pecunia applicabitur ad usum prædictum vel alium, prout Communitati videbitur expedire. Hæc autem ordinatio* X X. *solidorum durabit solum usquequo Communitas habeat sufficientem summam pecuniæ pro emptione vinorum & sufficientium vasorum argenteorum; & tunc redibit antiqua observantia de solutione jucundorum adventuum.*

Istæ observationes prædictæ pro majoris parte fuerunt ordinatæ X X I I I. *die Septembris anni* M C C C L X X X I V. *per omnes Socios ponentes in bursa num.* X I V.. *fuerunt concorditer approbatæ: quædam vero istarum regularum fuerunt additæ concorditer, ut prius scilicet* I V. V. *quæ fuit modificata,* V I. & V I I. *secunda die Septembris anni* M C C C L X X X V. & *eisdem se summiserunt, Magistro & Provisore præsentibus.* Inter illos Socios quorum hic mentio injicitur, Joannes Gerso eminuit.

Petrus Alliacus cum circa annum MCCCLXXXVIII. factus esset Regi ab eleemosynis, destinatam ad emendum vinum pecuniam augeri curavit, quo tempore abiit e regiæ Domus præfectura. Ægidius Campensis ei successit: ambo postea Episcopi, & Romanæ Ecclesiæ Cardinales effecti, immortalem sibi & Collegio gloriam pepererunt. Utriusque discipulus Joannes Gerso creatus est Theologiæ Magister anno MCCCXCII. doctrinæ & pietatis fama superior Magistris evasit.

Anno MCCCXCV. Michael Autissiodorensis Episcopus in festo beati Ludovici rem divinam fecit, & Joannes Luguetus concionem habuit: deinde insequentibus Calendis Januarii primores regni hoc in Gymnasio adfuerunt, ibique capto de negotiis gravioribus consilio, in aula Theologorum pranderunt. Rem conceptis quibus narratur verbis sic expono: *Anno MCCCXCV. prima Ianuarii domini Duces, Cancellarius, Patriarcha, Anglici Episcopi cum comitiva Franciæ fuerunt in Collegio, & ibi consilium Regis habitum est, & expensa facta est summa XV. librarum per Magistrum Ioannem Elioti Theologum.* O felix tempus, quo insumpta tam exigua pecuniæ summa ornari potuit tale convivium, quale pro cœtu tam illustri decuit!

Anno MCCCXCVI. rem notatu dignissimam faciunt Magister Domus regiæ ceterique Socii. Constituunt, vt prima die mensis cujuslibet pro Rege, & secunda mensis Augusti pro amicis Collegii Missa vna celebretur.

Joannes Gerso cum institutus est Parisiensis Cancellarius, in Collegio remansit, & ibi anno MCCCXCVII. domum quæ horto magni Magistri proxima erat, ad vitam locavit. Triennio post Gerso in claustrum beatæ Mariæ se recepit, & quam incolebat Domum, Petrus Alliacus Cameracensis Episcopus pari ratione conduxit.

Collegii sæculum hoc exiens primum exornabit epistola Gersoniana, cujus argumentum est hujusmodi: *Quid & qualiter studere debeat novus Theologiæ auditor, & contra curiositatem studentium, ad Studentes Collegii Navarræ.*

Stimulavit me pluries tum cogitatio mea minus forte sobria, tum familiaris amicorum suasio, quatenus ex auditis, lectis &

intellectis quædam electiora conscribendo, ceterorum vel eruditioni vel ædificationi deservirem. Acuetur, inquiunt, ex hac re studiosum otium tuum. Imitaretur prædecessorum industria, consecraretur nomen tuum memoriæ posterorum. Denique fortassis non pauci qui nihil interim lecturi erant, in scripta tua vel amore vel ex novitate, ut fit, incidentes, proinde proficerent. At vero modestior aliorsum me rapit consideratio. Recogito illud Sapientis, quoniam faciendi plures libros nullus est finis. Video itaque tanta volumina ab egregiis & summi ingenii viris conscripta, neglecta tamen a plurimis, ita ut vix nudo nomine cognoscantur. Video, inquam, & gemebundus detestor vel ignaviam vel arrogantiam nostram, simulque considero, cujus momenti essent quantulacunque scripta mea, si præcellentissima sic calcantur. Vereor præterea me ipsum intrare vitium, quod in aliis vehementer inculpo. At quale, petes. Sunt qui nescio quibus nugis ineptissimisque novitatibus membranas & auditorum præsertim inexpertorum mentes occupant: implent eos sterilibus, utinam non pestiferis doctrinarum loliis, & memoriæ ventrem non cibis, sed siliquis onerant: agrum insuper cordis spinis inserunt pro frugibus. Incidunt quoque auditores vel lectores in illud Senecæ, Necessaria nesciunt, quia supervacua didicerunt. Vera heu! nimis hæc esse recognoscet, quisquis propius observare voluerit. O si tandem resipiscant lectores talium vel auditores! o si melioribus auspiciis post ineptias hujusmodi vertant oculos ad salubriora documenta! lugebunt, affirmo, sortem suam tempusque consumptum, quo tabulam animæ suæ, quæ utilioribus interim pingenda erat, & vix adhuc sui exiguitate suspectura, quibusdam literis in nullo profuturis oppleverunt, non dicendum erat, deformaverunt. Sed dicant eandem nobis quæ & antiquis, scribendi licentiam esse relictam. Miserum insuper esse causantur, uti semper inventis & nunquam inveniendis. Hinc incidit in omnes illud Horatii de Poetis:

Scribimus indocti doctique poemata passim.

Scribimus, sed absque pondere scientiarum, absque numero & mensura verborum. Est enim illud quod scribimus, floccidum, illiberale, fluidum. scribimus non nova, sed antiqua, noviterque versando & transmutando, dum nostra conamur efficere, prava reddimus & inepta, quasi vicem, juxta vulgare fossatorum veterum quæ solida sunt, non tam reparatores quam demolitores. Quasi præter-

ea similes illis quos notat Terentius, qui ex bonis comœdiis Græcis Latinas fecerunt non bonas. Sic quidam excerpentes, aut magis proprie lacerantes ex libris optimis & probatis particulis, indigentia tendunt volumina, obnubilantes & per incuriam scribendi legendique reddentes originalia velut superflua & mortua a corde. Vides in Sententiarum lecturis, dum pudet quemlibet etiam majores sequi, quam facilis lecturarum varietas in immensam successerit. Porro quanto consultius erat uti bene inventis, quam dum quæruntur invenienda, nec illa afferre: quinetiam subvertere bene jam inventa, quæ non a loquacibus juvenibus leviter (quia ad pauca adspiciunt) enunciantibus, non ab argumentatoribus Dialecticis, non ab improbe, sordide perditeque viventibus, sed a sanctissimis & expertissimis qui faciebant quæ docebant, solidissima cautissimaque traditione fulcita subsistunt. Iuxta quod memorandum valde est dictum viri qui multa vidit, legit atque conscripsit, Buridanum loquor, qui in egregii scripti sui super Ethicam ingenuo prœmio fatetur, se novis rationibus nequam adhæsurum, quantumcunque apparentibus, quia ab illis pluries deceptus est: ex antiquorum autem dictis nunquam, præsertim in Moralibus. Propter quod etiam dicit Aristoteles VIII. *Ethic. Oportet extendere expertorum & seniorum vel prudentium enunciationibus, non minus demonstratione: propter habere enim experientiam visum videntur principia.*

Respondens igitur respondebo ad cogitationes meas & amicorum super novorum conscriptione exhortationes. Sufficiat interim mihi meique similibus, sobria in humilitate uti bene inventis. Abscedat omnis pomposa super insolitis arrogantia, ne multiplicemus loqui sublimia gloriantes, & communi, ut ita dixerim, minerva contentemur. Sequamur tritum iter commodius plane & ab errorum scandalorumque discrimine remotius. Tot habemus sapientiæ salutaris fontes vivos, ne, [...]so, cisternas dissipatas fodiendo nos casso, immo stulto labore fatigemus. Hortor verumtamen & repetens iterumque monebo, quatenus electiora examinatioraque scripta complectamur. Est itaque nostra capacitas non modo finita, sed exigua, & quæ ad tot libros utiles, quot occurrunt evolvendos, non sufficit. Quosdam in transitu raptim videamus, quasi eos non penitus ignorasse satis sit, ut eis fiat vale perpetuum. Aliis per vices utamur, prout se necessitas dederit vel dele-

ctationis congruitas. At vero quosdam familiares nobis assiduos advocemus, & tanquam domesticos fidelissimos intra mentis nostræ cubicula, inter secreta quotidianaque colloquia jugiter collocemus. Si quis autem curiosus interrogare pergit, qui vel quales libri sunt, quos aliis præponendos censuerim: respondebo, me unam & absolutam responsionem dare non posse. Varietas siquidem studentium secundum ætatem, ingenium & tempora, aliud expostulat & aliud consilium. Hoc unum verumtamen Apostoli dictum maneat apud Theologos alta mente repositum, quoniam plenitudo legis & finis est caritas seu dilectio. Cum igitur secundum exigentiam finis cetera debeant moderari, quidquid plus & immediatius ædificat caritatem, plus legatur: memoretur, ruminetur, quatenus cum intellectus refectione, affectus ubi plus est meriti, esca sapientiæ, hoc est, sapidæ scientiæ, sicut adipe & pinguedine repleatur. Ad hæc autem dinoscenda solers sit Theologiæ novus auditor consulere unum e multis, cujus sibi doctrina, mores famaque complaceant, qui longo multoque vivendi, legendi ac bene vivendi exercitio docere faciliter possit, quam amplecti doctrinam interrogantis studium moresque desiderent, sive pro parte illa Theologiæ quæ inter scholasticos magis utitur, sive pro illa quæ legentis mores ædificet, regulet & componat, sive pro illa quæ Prædicantibus congruit. Hæc autem tria sunt non usquequaque disparata, in quibus quotidie, etsi non æqualiter, tamen vicissim deberet verus Theologiæ discipulus exerceri: quoniam primum sine secundo inflat & inquietat; secundum sine primo acumen ingenii sufficiens & resolutum non administrat; tertium denique sine duobus reliquis sæpe non tam erudit alios quam fastidit & præcipitat. Ad primum juvant exempli gratia quæstiones Doctorum super Sententias, & præsertim illorum qui purius & solidius conscripserunt, inter quales meo judicio Dominus Antissiodorensis, Bonaventura & Durandus utique resolutissimus, numerandi videntur. Excellit quidem in suis Quolibet Henricus de Gandavo; excellit sanctus Thomas, præsertim Secunda Secundæ; excellunt multi in multis in quibus hoc unum minus placet, quod pure physicalia aut metaphysicalia aut, quod amplius pudet, logicalia sub terminis Theologicis involuta miscuerunt. Præterea ad secundum & præsumpto vel præsupposito primo spectent Historiæ sacræ, in quibus fit recte viventium commemoratio, ut Dialogus

Gregorii, Ecclesiastica atque tripartita Historia, Collationes & Vitæ Patrum, Confessiones Augustini & sacræ ipsius aliorumque Meditationes, divina Rhetorica Guillelmi Parisiensis, Legenda Sanctorum & similia, in quibus est ardens lectio & ad virtuosos impetus capescendos vehementer exstimulans: tantummodo prius non elatus præstetur instinctus, vbi speculationes altissimas, pulcherrimas atque saluberrimas subtilis, si simplex fuerit, studiosi oculus invenit. Et errant profecto qui ista tanquam rudiora & facilia dicunt obstare subtilioribus agnoscendis, dummodo tempore suo & mensurate tractentur. Spectant nihilominus ad hæc mystica divinarum Scripturarum Expositiones, quales apud celebres sanctissimosque Doctores plurimæ sunt, quales apud Gregorium in Moralibus & Pastorali, quales apud Bernardum super Cant. apud venerabilem Richardum in suo de Contemplatione & aliis operibus satis nunquam admirandum, quales apud G. Parisiensem, qui miro gratoque opificio Speculativam cum suis Moralibus absque confusione permiscuit. Ceterum scriptis Gentilium se non tradere, sed commodare, & ea velut peregrinando percurrere, nequaquam improbaverim, tum pro copia sententiarum moralium, tum pro stilo & ornatu verborum, tum pro poematum & historiarum qualicunque peritia, demum pro oblectamento quodam ex varietate lectionis: quanquam & in sacris Doctoribus, vt in Aug. de Civit. Dei, in Orosio, in Hieronymo, in Lactantio & similibus ista abundanter, nec minus, si non plus, vtiliter invenienda crediderim. Rursus quolibet trium ex prædictis aliter & tractandum est. Primum Disputativa inter consocios disputatione robur sumit, disputationem intelligo non protervam, non cervicosam, non amaram, non pertinaci animositate tumultuantem, sed modestam, qualem esse decet veritatis inquisitionem, quæ acuat & excitet ingenium, quæ studium renovet & inflammet, quæ stabiliat quoque veritatis positionem, falsitatis oppositione patefacta. Hinc fit vt non extimescat studiosus etiam in propatulo defendere quod secretius se bene didicisse cognoverit. At vero præexigitur in secundo, si perfici debeat secretum silentium, sepositum interim ab omni turba non solum hominum, ed sollicitudinis & curæ temporalis, immo & a priori studio vacare tunc necesse est: quoniam sano quietem animo præstare nequit qui loquitur. Tunc mens clauso super se ostio ad ea legerit, discat affici, proponat sibi quam terri-
bilis

bilis Deus super filios hominum, quam severus improbis, & electis misericors. Conscendat æternitatis speculam, unde videat cum sapiente, quoniam vanitas vanitatum & omnia vanitas. Non discurro per plurima, quoniam sapida eorum quæ dicta sunt, lectio docebit de omnibus. Addam expertus, quod nihil ferme quieti mentis & contemplationi plus insidiosum; nihil ita pretiosissima rei, temporis scilicet, consumptivum; nihil postremo perfectioni Scholasticorum aliunde probatorum plus obvians, quemadmodum colloquia non solum prava, quæ corrumpunt bonos mores, sed illa etiam quæ superflue diuque protrahuntur, aut super rumoribus vulgo volitantibus, aut super ludicris pluribus & ineptis fabulationibus, aut super contentionibus hominum in adversa tendentium, & similibus, quibus a mane usque ad vesperam, immo profundam plerumque noctem, dies sensim atteritur: per quæ dum se oblectaverint, vel ignaviæ vel indignationi vel fastidio suo mederi putantes, tristiores & inquietiores & mente dissipatiores remanebunt. Fallor, si unquam ascendet in montem Domini, in arcem contemplationis, qui non ad vaniloquas hujuscemodi fabulationes factus fuerit sicut homo non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum. Et hoc bonum unde in Domino glorior, attulit Matris cura, quod hujuscemodi confabulationes frequenter sustulit, mihique loqui & vacare passa est, quoniam rarus admodum alius, cum quo mutuos miscere sermones colliberet, tanta morum erat inter nos studiorumque varietas. Prosunt tamen nec nego probatorum virorum colloquia, qui ascensum contemplationis & suæ arduitatis discrimina, suo labore suisque periculis experti sunt. Denique tertium, id est, extremum, ex primis duobus genitum ac nutritum, ubi prædicatio nunc inter paucos familiares, nunc palam consummatur, ubi summopere curiosum omne & omne scandalosum, & brevi verbo quidquid audientium caritatem ædificare non habet, fugiendum rejiciendumque est. Ad quod quanta discretionis cautela sit adhibenda, Pastorale vos Gregorianum perdocebit. Bene valete tandem, Socii & Fratres, præcipua caritate conjuncti: bona facite studia vestra, & me orationibus vestris commendatum habetote. Superveniat mansuetudo, & corripiamur.

Cum his in literis alia sunt multa quæ curiose & diligenter observentur, tum nihil æque atque periodus hæc: *Porro*

quanto consultius erat uti bene inventis, quam dum quæruntur invenienda, nec illa afferre: quinetiam subvertere bene jam inventa, quæ non a loquacibus juvenibus leviter (quia ad pauca aspiciunt) enunciantibus, non ab argumentatoribus Dialecticis, non ab improbe, sordide perditeque viventibus, sed a sanctissimis & expertissimis qui faciebant quæ docebant, solidissima cautissimaque traditione fulcita subsistunt. Hæc vir acri judicio præditus, qui quomodo & a quibus docenda non sit Theologia, quomodo & a quibus docenda, paucis complectitur. Huc spectabat Gregorius IX. cum qua ratione studendum sit Theologiæ, Parisiensibus Magistris & Scholaribus præscripsit. Verba sunt: *Magistri vero & Scholares Theologiæ in Facultate quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Asotica confundentes: sed de illis tantum in Scholis quæstionibus disputent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.*



CAPUT XII.

Recensentur nomina Scholarium qui ab anno MCCCXLII. *usque ad annum* MCCCC. *in Grammaticorum, Artistarum & Theologorum Societatem admissi sunt.*

CONCLUDAM hoc primum Collegii sæculum recensione illorum Scholarium qui ab anno MCCCXLII. usque ad annum MCCCC. in tres ejusdem Collegii Societates admissi fuere. In cap. III. descripsimus eorum nomina, quæ regiæ fundationis tabulæ repræsentant ad annum MCCCXV. sed jam notavimus periisse acta publica, in quibus qui ab anno MCCCXV. usque ad annum MCCCXLII. admissi fuerant, legi posset. Ceterum causæ sunt duæ, cur melius mihi visum sit ac convenientius, Scholares cunctos simul, quam divisim, in serie annorum decurrentium exhibere: & primum quidem, quod re-

giæ institutionis executio constabit luculentius; deinde quod admissi facilius agnoscentur, quam si per intervalla delinearentur, & rebus aliis permiscerentur. Igitur sic se res habet:

Anno MCCCXLII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*
Robertus Bourdon.	Petrus de Bondis.	Magister Joannes de Aciaco, *Magister Collegii.*
Hieronymus de Mathas.	M. Stephanus de Nemosio.	Robertus de Summavera.
Guillelmus Gauchier.	Joannes de Limbres.	Ivo de Insula.
Robertus de Clergeria.	Robertus Hebert.	Reginaldus de Moreto.
Joannes Pinart.	Nicolaus Petri.	Stephanus de Nemosio.
Joannes le Formagier.	Fulco de Valames.	Joannes de Mitri.
Joannes de Blesis.	Gerardus la Bogas.	Joannes de S. Medardo.
Joannes de Villi.	Ioannes le Niel.	Robertus de Nogareto.
Bertrandus de Camera.	Ioannes de Vivariis.	Nicolaus de Hancion.
Joannes de Villains.	Ioannes de Guingnicourt.	Petrus le Menessier.
	Gobinus de Fonte.	Nicolaus Chamaio.
	Simon Musard.	Guillelmus Marelles.
	Ioannes Anbri.	Nicolaus de Spinaco.
	Ioannes Chatardi.	Petrus de Beze.
	Ioannes le Gruart.	Simon de Vauelin.
	Ioannes Britonis.	Ioannes le Vavasseur.
	Ioannes Turban.	Ioannes de Alba Petra.
	Robertus de Cotte Blanche.	Nicolaus de Alvernia.
	Robertus Morandi.	Stephanus de Brinaca.
	Ioannes Dacre.	Nicolaus le Munier.
	Robertus Normanus.	Joannes de Castrovillano.
	Girardus Parvi.	Petrus de Besna.
	Petrus de Vervino.	Joannes de Villiaco.
	Hageramus de Bolia.	
	Ioannes de Vervino.	
	Ioannes le Limbris.	
	Ioannes Audacis.	

Anno MCCCXLIII.

Bernardus de Mortariis.	Petrus de Meloduno.	Stephanus Morandi.
Joannes de Staneyria.	Ioannes de Eacra.	Joannes de Faidici.
Guillelmus Gauchier.	Stephanus Cocti.	Joannes de Planchcto.
Guillelmus de Flavacuria.	Rich. & Joann. de Clergeria.	
Petrus de Aqua.	Robertus de Ambona.	
Joannes de Fresnes.	Ioannes Pater Noster.	
Petrus Gascoing.	Petrus de Aqua.	
Guillelmus de Pratis.	Nicolaus Brito.	
Joannes le Faucheur, *alias* Falcatoris.		

Anno MCCCXLIV.

Joannes Colasii.	Ioannes Casearii, *alias* le Formagier.	Joannes Brito.
Hugo Boileau.	Joannes de Brolio.	Reginaldus Morandi.
Petrus Socii.		

quanto consultius erat uti bene inventis, quam dum quæruntur invenienda, nec illa afferre: quinetiam subvertere bene jam inventa, quæ non a loquacibus juvenibus leviter (quia ad pauca aspiciunt) enunciantibus, non ab argumentatoribus Dialecticis, non ab improbe, sordide perditeque viventibus, sed a sanctissimis & expertissimis qui faciebant quæ docebant, solidissima cautissimaque traditione fulcita subsistunt. Hæc vir acri judicio præditus, qui quomodo & a quibus docenda non sit Theologia, quomodo & a quibus docenda, paucis complectitur. Huc spectabat Gregorius IX. cum qua ratione studendum sit Theologiæ, Parisiensibus Magistris & Scholaribus præscripsit. Verba sunt: *Magistri vero & Scholares Theologiæ in Facultate quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Asotica confundentes: sed de illis tantum in Scholis quæstionibus disputent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.*



CAPUT XII.

Recensentur nomina Scholarium qui ab anno MCCCXLII. *usque ad annum* MCCCC. *in Grammaticorum, Artistarum & Theologorum Societatem admissi sunt.*

CONCLUDAM hoc primum Collegii sæculum recensione illorum Scholarium qui ab anno MCCCXLII. usque ad annum MCCCC. in tres ejusdem Collegii Societates admissi fuere. In cap. III. descripsimus eorum nomina, quæ regiæ fundationis tabulæ repræsentant ad annum MCCCXV. sed jam notavimus periisse acta publica, in quibus qui ab anno MCCCXV. usque ad annum MCCCXLII. admissi fuerant, legi posset. Ceterum causæ sunt duæ, cur melius mihi visum sit ac convenientius, Scholares cunctos simul, quam divisim, in serie annorum decurrentium exhibere: & primum quidem, quod re-

giæ institutionis executio constabit luculentius; deinde quod admissi facilius agnoscentur, quam si per intervalla delinearentur, & rebus aliis permiscerentur. Igitur sic se res habet:

Anno MCCCXLII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*
Robertus Bourdon.	Petrus de Bondis.	Magister Joannes de Aciaco, *Magister Collegii.*
Hieronymus de Mathas.	M. Stephanus de Nemosio.	Robertus de Summavera.
Guillelmus Gauchier.	Joannes de Limbres.	Ivo de Insula.
Robertus de Clergeria.	Robertus Hebert.	Reginaldus de Moreto.
Joannes Pinart.	Nicolaus Petri.	Stephanus de Nemosio.
Joannes le Formagier.	Fulco de Valames.	Joannes de Mitri.
Joannes de Blesis.	Gerardus la Bogas.	Joannes de S. Medardo.
Joannes de Villi.	Ioannes le Niel.	Robertus de Nogateto.
Bertrandus de Camera.	Ioannes de Vivariis.	Nicolaus de Hancion.
Joannes de Villains.	Ioannes de Guingnicourt.	Petrus le Menessier.
	Gobinus de Fonte.	Nicolaus Chamaio.
	Simon Musard.	Guillelmus Marelles.
	Ioannes Aubri.	Nicolaus de Spinaco.
	Ioannes Chatardi.	Petrus de Beze.
	Ioannes le Gruart.	Simon de Vauclin.
	Ioannes Britonis.	Ioannes le Vavasseur.
	Ioannes Turban.	Ioannes de Alba Petra.
	Robertus de Cotte Blanche.	Nicolaus de Alvernia.
	Robertus Morandi.	Stephanus de Brinaca.
	Ioannes Dacre.	Nicolaus le Munier.
	Robertus Normanus.	Joannes de Castrovillano.
	Girardus Parvi.	Petrus de Besna.
	Petrus de Vervino.	Joannes de Villiaco.
	Hageramus de Bolia.	
	Ioannes de Vervino.	
	Ioannes le Limbris.	
	Ioannes Audacis.	

Anno MCCCXLIII.

Bernardus de Mortariis.	Petrus de Meloduno.	Stephanus Morandi.
Joannes de Stancyria.	Ioannes de Encra.	Joannes de Faidici.
Guillelmus Gauchier.	Stephanus Cocti.	Joannes de Planchero.
Guillelmus de Flavacuria.	Rich. & Joann. de Clergeria.	
Petrus de Aqua.	Robertus de Ambona.	
Joannes de Fresnes.	Ioannes Pater Noster.	
Petrus Gascoing.	Petrus de Aqua.	
Guillelmus de Pratis.	Nicolaus Brito.	
Joannes le Faucheur, *alias* Falcatoris.		

Anno MCCCXLIV.

Joannes Colasii.	Ioannes Casearii, *alias* le Formagier.	Joannes Brito.
Hugo Boileau.	Joannes de Brolio.	Reginaldus Morandi.
Petrus Socii.		

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
	Petrus de Verneto.	
	Henricus Villain.	

Anno MCCCXLV.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Joannes Nicolai.	Joannes Plinardi.	Florentius Ivette.
Joannes Villain.	Joannes de Vervino.	Robertus Mignon.
Ludovicus de Pratis.	Hugo Boileau.	
Guillelmus Fereti.	Joannes Colart.	
	Robertus de Amboneto.	
	Bertrandus de Camera.	
	Reginaldus Bourdon.	

Anno MCCCXLVI.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Joannes de Vico.	Joannes de Fraxinia.	Robertus Cotte Blanche.
Laurentius de Treio.	Adam de sancto Mauro.	*Hic fit mentio Magistri Joannis de Blangiaco.*
Joannes Renardi.	Ludovicus de Pratis.	
Joannes Hugueti.	Joannes de Brolio.	
	Guillelmus de Flavacuria.	
	Petrus Socii.	
	Guillelmus Chavetel.	
	Philippus Militis.	
	Joannes de Vico.	

Anno MCCCXLVII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Joannes de Fossato.	Henricus Villain.	Girardus la Bogas.
Joannes Lespicier.	Philippus Damaie.	Simon Mussard, *alias* Mussardi.
Martinus de Vico.	Joannes de Compendio.	Joannes de Vervino.
	Joannes Baudren.	Joannes Chatardi.
	Joannes de Rua.	
	Petrus Gascoing.	

Anno MCCCXLVIII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Petrus Leonardi.	Joannes Colasii.	Joannes de Brolio.
Jacobus Lucæ.	Guillelmus Villain.	Adam de sancto Mauro.
Petrus Ruffi.	Jacobus Cognati.	Nicolaus Oresme.
Guillelmus de RubeoMonte.	Joannes Hugueti.	Joannes de Calore.
	Joannes de Calore.	Robertus de Parisiis.
	Nicolaus de Vernieto.	Joannes Colasii.

Anno MCCCXLIX.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Joannes du Desert.	Joannes de Moncellis.	Robertus de Villeta, *Magister Domus.*
	Ludovicus de Peca.	Robertus de Monciaco.
	Petrus Sureau.	Hugo Boileau.
	Hugo de Preio.	Nicolaus Brito.
	Joannes Apothecarii.	Joannes de Vervino, *Rector III. Julii, Baccalarii & Cursores Domus.*

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*

Anno MCCCL.

Galterus de Ongione.	Joannes de Joiaco.	Ludovicus de Losa.
	Joannes de Crameto.	Joannes de Vitriaco.
	Joannes Foquentoles.	M. Bernardus.
	Joannes de Brai, *alias* de Braio.	

Anno MCCCLI.

Joannes Nigri.	Joannes le Brasseur.	M. Radulfus.
Adam Bacquet.	Theodoricus de Vitriaco.	Guillelmus de Menillis.
Simon Pauli.	Nicolaus Quarreri.	Joannes Cossabrin.
Nicolaus de Rancia.	Joannes de Salicibus.	Philippus Danisi de Anesio.
	Joannes Bidaldi.	Droco Miardi.
		Stephanus Cocti.
		Robertus de septem Vallibus.

Anno MCCCLII.

Guillelmus Guillart.	Nicolaus Pinguis.	Joannes de Remis.
Joannes de Chamaio.	Natalis Grasnoel.	Joannes Brassatoris Rothon.
Joannes le Sac.	Guillelmus Garoti.	Rinerus de Amboneto.
Guillelmus de Autissiodoro.	Joannes de Baudebout.	M. Bovinus.
Guillelmus de S. Martino.	Thomas de Godardivilla.	Ioannes de Salicibus.
Stephanus Tabour.	Hugo de Godardivilla.	M. Philippus.
Jacobus de Villa Luporum.	Guillelmus Aliermi.	Nicolaus de Laniginis.
Joannes Pulchripatris.	Petrus de Brineuria.	Ioannes Audacis.
Thomas de Rupe.	Guillelmus Parvi.	
Philippus le Tort.	Nicolaus de Lavigniaco.	
Joannes Parvi.	Michael Boneti.	
Guillelmus Oresme.	Thomas de Rupe.	
	Joannes de S. Desiderio.	
	Petrus de S. Medardo.	
	Henricus de Preio.	

Anno MCCCLIII.

	Ioannes de Braio.	Ioannes Capellanus.
	Gorgetus Villain.	Ioannes de Logia.
	Ioannes Nigri.	Ioannes Quarré.
	Ioannes de Chamaio.	Petrus de Marolio.
	Simon Pauli.	Ioannes de S. Benedicto
	Simon de Iciaco.	Guillelmus Oresme.
	Robertus Marguerie.	Odo.
	Simon de Suessione.	Ioannes Quadrati.
	Ioannes de Traneto.	Petrus de Marolio.
	Ioannes de Bello Campo.	
	Petrus Gilberti.	
	Georgius de sancto Melano.	

Anno MCCCLIV.

	Ioannes de Cassa.	Ivo de Calefredoit.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
	Ioannes de Compendio.	Henricus Sulven.
		Stephanus Gaudeti.

Anno MCCCLV.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
	Simon Arnulfi.	Ioannes de Couciaco.

Anno MCCCLVI.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Petrus de Cerilcio, *Magister Grammaticorum.*	Guillelmus Vastinel.	Nicolaus Oresme, *Magister Collegii.*
	Joannes Quarré, *Magister Artistarum.*	

Anno MCCCLXII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
		Ioannes de Quercu.
		Ioannes de Quingnicuria.

Anno MCCCLXIII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
		Nicolaus de Laniis.
		Theobaldus de Alta Petra.

Anno MCCCLXIV.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
	Mauritins de Monstrereato.	Robertus Martini.
	Guido de Lingonis.	Ioannes Rachon.
	Ioannes Segrendi.	Ioannes de Chavangiis.
	Herveus Roncelli.	Guillelmus Loerius.
	Ioannes de Brena.	Robertus de Iuvigniaco.

Anno MCCCLXV.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Nicolaus de Villariis.		
Nicolaus Charreton.		

Anno MCCCLXVII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
	Petrus Boileau.	Guillelmus Thevenardi.
	Odo de Suilliaco.	Thomas Maleaperti.
	Nicolaus Valentis.	
	Stephanus de Crissiaco.	
	Philippus de Leone.	
	Ioannes de Chavangiis.	
	Ioannes Nandeti.	
	Rolandus Bonifacii.	
	Guillelmus de Capellanis.	

Anno MCCCLXVIII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
	Ioannes de sancto Lupo.	Galeranus de Penderf.
	Ioannes de Hodebosco.	Guillelmus Bracon.
	Ioannes Medici.	Ioannes de Aciaco.
	Ioannes Aubri.	
	Remondus de Maresco.	

GRAMMATICI. ARTISTÆ. THEOLOGI.

Petrus Sagarii.
Hugo de Housseia.
Ioannes Monnetius.
Iacobus Flamingi.
Hugo Lenvoisie.
Ægidius de Capellanis.

Anno MCCCLXXI.

Ioannes de Argilleriis.

Anno MCCCLXXII.

Guido Guetini, *Magister Grammaticorum.*
Ponsardus de Anagnia, *Submagister.*
Ioannes de Rulliaco.
Ioannes Emerici.
Ioannes de Latigniaco.
Petrus Matthæi.
Gervasius de Arecis.
Petrus de Parochia.
Guillelmus de Silvanecto.
Stephanus Troteti.
Carolus de Templo.
Guillelmus de Aula.
Ioannes de Saciaco.
Ægidius Christiani.
Ricardus de Calatis.
Martinus de S. Theobaldo.
Ioannes Pirouet.
Nicolaus Fabri.
Ioannes Fentrat.
Simonetus de Henecourt.
Ioannes de Buisseo.

Michael de Creneio, *Magister Artistarum.*
Bertinus de Fraxinis.
Ioannes Iacquemini.
Ioannes Chaudeti.
Ioannes de Balneolis.
Ægidius de Prunaio.
Remondus de Mareseo.
Guillelmus Felicis.
Petrus Traheti.
Ioannes Blondelli.
Philippus de Trenello.
Petrus de Iviaco.
Ægidius de sancto Dionysio.
Carolus de Parvo Cellario.
Ioannes Tributi.
Ægidius de Assomo.
Thomas Massoti.
Robertus de Racomo.
Guillelmus Frenandi.
Ioannes de Arzilleriis.
Fulco de sancta Syria.
Reginaldus Freron.
Massotus Freron.
Colinus Charton.
Henricus Carpentarii.
Guillelmns Lenoti.
Lucas de Rivo.
Nicolaus Pastilli.
Ioannes de Castrovillano.
Ioannes de Salice.

Simon Freron, *Magister Domus.*
Petrus Sagarii.
Ioannes de Aciaco.
Ioannes de Chavangiis.
Petrus de Alliaco.
Guillelmus de Trecis.
Herveus Malinus.
Ioannes Medici.
Franciscus de Florentia.
Nicolaus de Monte Mirabili.
Rolandus Bonifacii.
Matthæus de Herleville.
Ioannes de Domno Martino.
Iacobus Flamingi.
Guillelmus Thevenardi.
Hugo Lenvoisie.
Nicolaus Charentonii.
Lucas de Rivo.

Anno MCCCLXXIII.

Petrus de Palliaco.
Guillelmus Mellin.
Ioannes Grefle.
Ioannes Flamingi.
Simon de Henecourt.
Ricardus le Borne.

Joannes de Meldis.
Poncelctus Christiani.
Joannes Breviscoxæ.
Joannes de Lagniaco.
Ivo Dariani.
Joannes de Malliaco.

Joannes Grossi.
Guillelmus Thevenardi, *Rector Universitatis.*

GRAMMATICI. *ARTISTÆ.* *THEOLOGI.*

Ioannes de Lussio.
Ioannes de Trenello.
Nicolaus de Marigniaco.
Ægidius de Aula.
Ioannes Quivala.

Nicolaus de Bello Ramo.
Stephanus Mercatoris.
Nicolaus de Silhoro.
Iacobus Ribaudi.

Anno MCCCLXXIV.

Robertus de Mauciaco.
Ioannes de Tegula.
Ioannes de Templo.
Havardus Parvi.
Havardus Lerneti.
Ioannes de Nemore.
Ioannes de Riseio.
Franciscus Ogerii.
Philippus de Aciaco.
Reginaldus de Corbiniaco.
Radulfus Simi.
Stephanus de Montigniaco.
Franciscus Ogerii.
Stephanus de Montrigniaco.
Ogerius de Regiis.
Ioannes Bourfebaudi.
Ioannes de Auxeriaco.
Radulfus Witardi.
Ioannes Lavenent.
Ioannes de Plateio.

Odo Hennequin.
Bonifacius de Balneolis.
Ioannes Clarini.
Nicolaus de Cherniaco.
Ioannes Renerus.
Iacobus Britonis.
Girardus de Aciaco.
Ioannes Galinandi.
Ioannes de Vacaria.
Ioannes Valoris.
Ioannes Caudeti.
Ioannes Berengarii.
Petrus Harduini.
Stephanus Felicis.
Ioannes Felicis.
Ioannes Verderelli.
Iacobus de Bretello.
Petrus Cheronii.
Stephanus Sartoris.
Clemens Picardi.
Philippus Sangueuse.
Iacobus Ubaldi.
Michael Pinon.
Ægidius Carlerii.
Petrus de Palliaco.
Stephanus de Rouveriis.
Petrus de Dierreio.
Ioannes Conté.
Ioannes Baronis.
Robertus de Racomo.
Taffinus Bailleti.
Ioannes Stephani.
Ioannes de Mingé.

Laurentius Guillet.
Henricus Sulven, *alias* Ponteeratis.
Malinus Hirei.

Anno MCCCLXXV.

Petrus Beguillardi.

Constantinus de Gelanis.

Anno MCCCLXXVI.

Ogerius de Placeio.
Guillelmus Faucheti.
Ioannes Alexandri.
Stephanus Garnerii.
Emericus Matthæi.
Philippus de Verberia.

Constantinus de Gelanis, *Magister Artistarum.*
Iacobus de Vaqueria.
Arnulphus Macheti.

Ioannes Brevifeoxæ.

Anno

Anno MCCCLXXVII.

GRAMMATICI.

Iulianus de Blesono, *Submagister Grammaticorum.*
Philippus Lapidarii.
Guillelmus Turci.
Ioannes de Arceio.
Ioannes Goberti.

ARTISTÆ.

Laurentius Guilleti, *Magister Artistarum.*
Ioannes Charlerii.
Ioannes de Belvaco, *Hospes.*
Guillelmus de Busc.
Andreas de Mota.
Nicolaus de Barro.
Ludovicus de Palude.
Ioannes de Solaris.
Guido Boucaceon.
Bertrandus Antonii.

THEOLOGI.

Ioannes de Laieux, *Hospes.*
Paulus de Furvo.
Ioannes de Simonia.
Ioannes de Sanctinero.
Ioannes de Chemerio.
Petrus Dauzai, *Episcopus Tornacensis, Hospes.*
Ioannes Chambon.

Anno MCCCLXXVIII.

Ioannes Henrici.
Hugo Sequini.
Ioannes Papoli.
Burellus Bovis.

Ioannes Arnaudi.
Emericus Matthæi.
Ioannes Ivelini.
Thomas Renardi.
Nicolaus de Alodio.
Andreas Rarel.
Ioannes Auticordis.
Guido Thevin.
Marquetus de Noa.
Theobaldus Magistri.
Iacobus Cadori.
Burellus Bovis.
Reginaldus Raffi.
Ogerius de Placeio.
Ioannes Coifferi.
Ioannes Moriseti.
Desiderius de Creucio.
Iacobus Simi.
Ioannes Paillivi.
Ioannes de Gersono.
Laurentius Probihominis.

Ioannes de Dierreio.
Ioannes de Savigni, *Hospes.*

Anno MCCCLXXIX.

Droco Rarel.

Petrus de Alliaco.
Petrus de Dierreio.
Hoc anno Ioannes de Chavangiis renuntiatus est Magister in Theologia.

Anno MCCCLXXX.

Ivo de Marchia.
Alardus Macheti.
Guillelmus Parvipueri.
Cantianus de Solavilla.

Guillelmus Turci.
Hugo Bartholomæi.

Ioannes Carpentarii.
Ioannes Dothone.
Ioannes Fabri.
Hoc anno Petrus de Alliaco renuntiatus est Magister in Theologia.

GRAMMATICI. ARTISTÆ. THEOLOGI.

Anno M C C C L X X X I.

Guillelmus de Palatio.
Ioannes de Braban.
Ioannes Canciani.

Ioannes Burnoti.

Anno M C C C L X X X I I.

Nicolaus de Serilleio.
Ioannes Hugonis.
Philippus de Novomolendino.
Nicolaus de Seria.
Ioannes Præpositi.
Ioannes Gaudetus.
Ioannes de Corbigniaco.

Stephanus Felicis, *Magister Artistarum.*
Alardus Macheti.
Guillelmus de Aurriaco.

Ioannes Laurentius de Chavangiis, *Magister Domus.*
Petrus Bequillardi.
Ioannes de Gersono.
Iacobus Servois.
Ioannes Alticordis.
Philippus de Trenello.
Ioannes de Castrovillano.
Ioannes de Aciaco.
Hoc anno Herveus Sulven renuntiatus est Magister in Theologia.

Anno M C C C L X X X I V.

Theodoricus, *Submagister Grammaticorum.*
Nicolaus de Siga.
Bernardus Iolivi.
Guillelmus de Thierno.
Poncelerus Derpi.
Ioannes Budé.
Guillelmus de Campo.
Ioannes de Ulmo.
Hebertus Bonifanr.
Petrus Gonteri.
Ioannes de Creugia.

Ioannes Piri.
Henricus Ancelcti.
Bertrandus Antonii.
Ioannes de Baia.
Michael Bovis.
Robertus Garbileti.
Ioannes Philippi.
Guillelmus Parvipueri.
Ioannes de Altovillari.
Philippus Emenulphi.
Stephanus Husson.
Reginaldus Garbetti.
Robertus de Castillo.

Petrus de Alliaco, *Magister Domus.*
Nicolaus de Bellomonte.
Ioannes de Theodorico.
Iacobus Sonnoius.
Ioannes Roberti.
Ioannes Pocheti.
Ioannes de Campobono.
Nicolaus Barro.
Clemens Picardi.
Droco Raleti.
Henricus Segovi.
Hoc anno Ægidius de Campis renuntiatus est Magister in Theologia.

Anno M C C C L X X X V.

Guillelmus Capellani.
Andreas de Malinis.
Simon Maillard.
Nicolaus le Page.

Ioannes de Orengia.
Ioannes Cerearii.

Anno M C C C L X X X V I.

Ioannes Simoneti de Bougiaco.
Iacquinotus de Ulmo.
Laurentius Hugonis.
Guillelmus de Longo campo.
Iacobus de Malinis.
Ioannes Maistret.
Ioannes Chetre.

Ioannes Garbilleti.
Stephanus Ermengart.
Guillelmus de Thierno.
Ioannes de Brabantia.
Ægidius Samsoneti.
Iacobus de Arecis.
Petrus de Siciaco.
Michael Blanchetus.

Nicolaus de Clamengiis.
Guillelmus Thevin.
Blanchetus de Nigella.
Andreas de Mota.
Ioannes Morelli.
Ioannes de Chissiaco.
Theobaldus Magistri.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Iacobus de Trecis.	Ioannes de Morteia.	
Ioannes Roucelli	Matthæus Barniere.	
Guido Sequigni.		

Anno MCCCLXXXVIII.

Theodoricus Mileti, *Submagister Grammaticorum.*	Robertus Galteri.	Ioannes Hebaudi.
Ioannes de Castillione.	Ioannes de Maráia.	Ioannes Lernier.
Ioannes de Beaueia.	Ioannes Guillelmi.	
Michael de Creneio.	Ioannes de Rouvreis.	
Ioannes de Burcio.	Laurentius Guilleti.	
Ioannes Sarnerii.	Ioannes de Iansiniaco.	
Ioannes Aloti.	Radulphus Presbyteri.	
	Simon Regnerii.	
	Ioannes Cognati.	
	Henricus Angelini.	
	Ioannes Fullonis.	
	Guido Largi.	
	Ioannes de Lagniaco.	
	Ioannes Cerearii.	

Anno MCCCLXXXIX.

Petrus Ploti.	Ioannes de Puromonte.	M. Ægidius de Campis, *Magister Domus.*
Guillelmus Thomaille.		*Renuntiati in Theologia Magistri Dominicus Parvi & Ioannes Breviscoxa.*
Ioannes Iuvenis.		
Ioannes de Noe.		
Guibertus Boucherii.		

Anno MCCCXCI.

Ioannes le Gentilet.	Ioannes Heraudi.	Matthæus de Mauro.
Nicolaus Remigii.	Simon de Ulmonte.	Felix le Nesplier.
Petrus Oudevaux.	Bertrandus Boutignon.	Ioannes Elioti.
Iacobus Belli.	Anselmus de Monte Faleonis.	Nicolaus de Belloramo.
Guido Cognabeti.	Petrus Berbieri.	Ioannes de Maraia.
Nicolaus de Gersono.	Petrus de Villaribus.	Petrus de Cantella.
Gerardus Macheti.	Ioannes de Dulcimenillo.	Ioannes de Latigniaco.
Carolus Advocati.	Bertrandus Boutemont.	Felix Esculi.
Stephanus Compensatoris.	Ioannes de Nocta.	
Gobelinus Samsoneti.	Reginaldus Nobilis.	
Guillelmus Ducis.	Colinus Gouju.	

Anno MCCCXCII.

Petrus de Alliaco.	Ioannes Ferbourt.	Iacobus Pathonii.
Petrus de Ogero.		Petrus Mignote.
Iacobus de Agnevilla.		Ioannes de Signevilla.
Ioannes de Grangia.		Petrus de Nongento.
Ioannes de Fontanis.		Iacobus de Noviano.
Poncelctus Duranti.		*Hoc anno Ioannes de Gersono renuntiatus est Magister in Theologia.*

GRAMMATICI. *ARTISTÆ.* *THEOLOGI.*

Anno MCCCXCIII.

Petrus de Dierreio & Franciscus Florentius renuntiati sunt in Theologia Magistri.

Anno MCCCXCV.

Iacobus Craffi.
Ioannes Cotelle.
Ioannes de Fontibus.
Ægidius Vulpis.
Ioannes Benedicti.
Petrus de Fameres.
Guillelmus de Monte Formoso, *alias* Iocoso.

Iacobus de Arceis, *Magister Artistarum.*
Petrus Michael.
Stephanus de Nascia.

Reginaldus Loerii.
Petrus Sartoris.
Nicolaus Gouju.
Ioannes de Alvernia.
Ioannes Heraudi.
Ioannes de la Haie.
Radulfus de Ulmonte.
Simon de Ulmonte.

Anno MCCCXCVI.

Petrus de Parochia, *Magister Grammaticorum.*
Stephanus Februarii.
Ioannes Rapioli.
Guillelmus Adæ.
Ioannes Hospitalis.
Nicolaus Holier.
Petrus Humberti.
Ioannes de Stoliditate.
Nicasius Valloris.
Reginaldus de Rulliaco.
Nicolaus de Molendinis.

Petrus Michaelis.
Nicolaus de Gersono.
Robertus Creté.
Petrus de Alliaco.
Ioannes Richardi.
Petrus de Ogeria.
Iacobus de Arceis, *Magister Artistarum.*

Ioannes de Castillione.
Simon de Ulmonte.
Ioannes de Dulcimenillo.
Ioannes Baillivi.
Petrus de Dierreio, *Magister Domus, seu, quod idem est, Collegii.*

Anno MCCCXCVII.

Hoc anno Ioannes Elioti renuntiatus est Magister in Theologia.





REGII NAVARRÆ GYMNASII PARISIENSIS HISTORIÆ PARTIS PRIMÆ

LIBER II.

Quæ ab anno MCCCC. vſque ad annum MD. reperiuntur geſta, continens.



CAPUT I.

Gerſo ad reconciliandos Academiæ Prædicatores incumbit. Vetera Theologorum ſacramenta. Inſtitutus Artiſtarum Submagiſter. Extranei Scholares jam tum primum admittuntur in Collegium. Juſta Ludovici Caroli VI. fratris perſolvuntur in Æde Navarrica. Gerſo & Brevicoxa funebrem orationem habuerunt. Gerſo Academiæ nomine coram Rege dixit.

AD annum MCCCC. Joannes Gerſo verſabatur Brugis, vbi Decanus inſtitutus fuerat. Ex ea vrbe ad Magiſtros & Socios regalis Collegii Navarræ ſcribit epiſtolam, qua Prædicatorum ordinem ab Academia tandiu ſegregatum eſſe vehementer dolet, & in eo reconciliando induſtriæ nervos omnes contendit. Ad Magiſtros illos ea de cauſa ſcribit, quippe qui præ ceteris adverſus Prædicatores pro immaculato Virginis Conceptu dimicaſſent, & majori apud

Academiam auctoritate pollerent. Petrus Alliacus & Ægidius Campensis, qui provocantem ab Academiæ sententia Joannem Montesonum Avenione dudum persecuti judicio, & votorum compotes facti fuerant, hunc pietatis spiritum animis Sociorum instillaverant. Hæc epistola quæ Studentibus Collegii Navarræ Parisiensis inscribitur, sic incipit: *Ecce pareo votis vestris, socii & fratres dilectissimi.* Et post alia de se ipso sic loquitur: *Cum propositionum de Montesono condemnatio deferretur in Romana Curia, ego ipse Baccalarius Cursor tunc existens cum ceteris præcellentissimis viris ab Universitate legatis præsens interfui.* Hæc ad annum MCCCLXXXVII.

Cur autem Gerso Prædicatores in integrum restituendos esse censeret, rationes maxime duas adfert. Primum, quod essent insignis portio Academiæ. Deinde, quod Academia eos non recte, sed oblique segregasset. At nihilominus immaculatum Virginis Conceptum perpetuo defendit. De quo cum Brugis rediit, anno MCCCCI. concionem in Æde sancti Germani habuit.

Inter nonnullas hujus auctoris schedas reperi sacramenta, quibus qui suo tempore renuntiabantur Doctores in Theologia, solebant adstringi. Ea hoc in loco referre placuit:

Primo jurabitis fidele testimonium perhibere de Baccalariis licentiandis in Theologica Facultate, quotiescunque per Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis fueritis requisiti.

Item jurabitis servare honorem dicti Cancellarii & Cancellariæ dictæ Parisiensis Ecclesiæ, ac etiam pacem & concordiam inter dictos Cancellarium & Cancellariam & Universitatem Parisiensem, ad quemcunque statum perveneritis.

Item jurabitis servare pacem inter sæculares & religiosos in Universitate prædicta, ad quemcunque statum deveneritis.

Item jurabitis quod si contingat vos incipere, non expendetis in festo vestro ultra valorem trium millium grossorum Turonensium. (D. solidorum)

Et ego auctoritate Apostolicæ, qua fungor in hac parte, do vobis & vestrum cuilibet, legendi, regendi, disputandi, determinandi & alios actus scholasticos exercendi hic & ubique terrarum, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Hæc sacramentorum forma nonnihil dissidet ab ea quæ nunc usur-

patur. Antiquam illam Gerso a majoribus acceperat.

Anno MCCCCIV. Michael Autissiodorensis Episcopus, Regis Confessarius, & Collegæ alii, cum perspicerent, Magistrum qui docendis Philosophis præfectus erat, huic muneri non sufficere, Hypodidascalum, quem Artistarum Submagistrum vocant, instituendum esse duxerunt. quod in Acta Collegii publica sic relatum est:

Ordinatum fuit per Superiores Collegii de Campania, ad requestam & de consilio Magistrorum dicti Collegii, aliorumque zelatorum utilitatis specialiter Collegii Artistarum, quod ordinaretur Vicedoctor ad instruendum Scholares, specialiter in primitiis Logicæ, in dicto Collegio Artistarum. Et modus pro præsenti videtur, quod intuitu officii supradicti duæ bursæ conferrentur ei qui ad hoc judicatur idoneus: & jurabit quod officium fideliter exercebit, diligenter instruendo Scholares quoslibet indistincte, & specialiter in primitiis Logicæ, stando communiter cum eisdem de mane post lectionem Sententiarum usque ad prandium; & post prandium audiet Quæstionem de novis vel summulis vel aliis, prout Magister ordinabit; & leget in vico vel in Domo de mane, vel in novis Scholis.

Item audiet Disputationes & Lectiones in sero cum Magistro, & etiam solus quandoque, si Magister sit in aliis occupatus. Considerabit insuper qualiter Scholares disputant inter pulsum pro mappis & ultimum pulsum, & post prandium audiet illud quod Magister ordinabit reparandum.

Item ibit ad sermonem cum Scholaribus, & ad campos quando dabitur eis licentia. Considerabit enim diebus dominicis & festivis circa Scholares, ut ipsi propter ejus præsentiam modestius se habeant.

Item stabit in aula cum Scholaribus in prandio & in cœna, nec frequenter alios vocabit ad cameram vel admittet: sed potius impediet, ne talis communicatio Scholaribus sit in impedimentis.

Item non poterit habere ad bursas, nec officium dimittere: sed ipsum fideliter exercebit, sub pœna perditionis bursarum, nisi de licentia domini Confessoris, Magistri magni & Magistri Artistarum, ut semper sit provisum officio. Si tamen esset alius, quam præfati Dominus & Magistri reputarent idoneum ad officium

exercendum, posset de licentia prædictorum habere locum in Theologis, dum vacaret.

De salario autem pro Vicedoctore visum fuit per præsens, quod super tribus francis, quos quilibet extraneus duobus demptis pro Magistro solet solvere, partim pro totali Collegio & alius pro utensilibus dicti Collegii Artistarum: & hoc rationabiliter potest fieri, attento, quod foranei Grammatici non solvant in toto, videlicet tam pro Collegio totali, quam pro utensilibus sui Collegii, nisi XXVIII. *& sic Artista solvet ad hoc ultra quam Grammaticus quatuor solidos. Ubi autem non essent foranei pro competente salario Vicedoctoris, providebitur secundum quod superiores ordinabunt.*

Item ad cameram locabitur secundum quod Magistro videbitur Scholaribus expedire, & sedebit secundus in mensa, & in absentia Magistri erit in omnibus tanquam Magister præferendus, nec tenebitur ad præposituras & hujusmodi, ad quæ Scholares tenentur.

Octava Iulii anno MCCCCIV. *Ioannes Crassi promisit tenere prædicta in ista schedula contenta, præsentibus domino Autissiodorensi, Magistris Petro de Parochia & Ioanne de Maraia Parisiensis & Trecensis Diœceseon.*

Hæc est prima institutio Hypodidascali Artistarum: hæ sunt leges quas ille observare debet, & quas Joannes Crassus observaturum se promisit.

Ante hoc tempus in Collegium non admittebantur Scholares extranei: admittebantur solum qui stata pensione fruerentur, Bursarii scilicet ac Socii forent. Exinde extranei sunt admissi. Petrus Parochia consentientibus aliis admisit extraneos, qui cum Sociis Grammaticæ studerent. Is erat tunc Grammaticorum Magister. Artistarum & Theologorum Magistri procedente tempore admiserunt extraneos, quorum alii Philosophiæ, alii Theologiæ vacarent. Convictores facti sunt omnes, & singuli in singulis vescuntur communitatibus, quæ tunc Collegia dici cœperunt: Grammaticorum Collegium, Artistarum Collegium, Theologorum Collegium. quæ tria Collegia amplissimum illud unum Navarræ Collegium conflarunt. Hinc inter domesticos & externos Scholares nihil positum est discriminis, præterquam

terquam quod domestici sumptibus Collegii, externi suis alerentur. Communis habitatio, communes Magistri, communis institutio, pertinax vnica in virtute & optimarum artium studiis concertatio.

Anno Christi MCCCCVI. examinantur rursus & approbantur regulæ, quas antea Petrus Alliacus ceterique Collegæ instituerant. sic enim ad earum fidem & auctoritatem reperitur scriptum: *Item die dominica, quæ fuit tertia die Octobris, anno* MCCCCVI. *de novo fuerunt approbatæ & confirmatæ prædictæ regulæ in aula Theologorum per Magistrum magnum, scilicet Petrum de Dierreio, præsentibus etiam & consentientibus, saltem pro majori parte & saniori, Sociis sequentibus, Simone de Ulmonte, Ioanne de Castellione Præposito, Reginaldo Nobili Baccalario formato in Theologia, Radulpho de Porta, Gerardo Mucheti, Nicolao Gommaudi, Ioanne de Monte Leonis, Martino de Berrueriis, Petro de Salseia, Baccalariis Cursoribus; Petro Galteri, Iacobo de Celeris, Ioanne de Chavigniaco, Guillelmo Tronqueti, Ioanne de Templis, Ioanne de sancta Beata Receptore particulari, & Magistro Ioanne de Signevilla Magistro in Theologia, Hospite & Socio dicti Collegii Theologorum.*

Hæ autem regulæ, quibus Alliacus, Dierrius, & inter vtrumque interpositus Campensis, aliique Socii rem suam familiarem metiuntur, cum ad œconomicam politicæ partem attineant, auctores suos non possunt commendare. Laudatur ab omnibus Xenophontis liber, qui *De re familiari tuenda* inscribitur. Singula quæ illi præscribunt, si per se & seorsum considerentur, levia & forsan ridicula; si conjunctim atque ex fine & intentione conservandæ Societatis, gravia & prædicanda videbuntur. Quæ Societas, quæ Domus sine his optimum statum retinere diu potest?

Insequenti anno cædes Ludovici Aurelianensium Ducis, a quo Gymnasium eximie dilectum ac pluribus ornatum fuerat beneficiis, Socios omnes perculit & afflixit. Carolus Rex VI. voluit, vt tribus in locis, in Ecclesia beatæ Mariæ, in monasterio Cælestinorum, & in Æde Navarræ, Ludovico fratri justa persolverentur. Cum omni pietatis sensu & apparatu celebratæ sunt exequiæ, & ad eas cohonestandas quicunque Principes in Ecclesia & in Monasterio inter-

O

fuerant, in hac Æde interfuerunt. Joannes Gerso & Joannes Brevicoxa Principem optimum & beneficentissimum juxta funebri laudatione prosecuti sunt. Quæ omnia partim ex Monstreleto in vita Caroli VI. cap. CXXXIII. partim ex aliis Historicis didicimus.

Anno MCCCCVIII. Cancellarius noster Gerso Academiæ nomine ad Carolum Regem & viros primarios celebrem illam orationem habuit, cujus fama statim per animos & ora hominum pervasit. Quibus modis sancienda esset pax, & quibus constaret, copiose & sapienter edisserit. Joannes Juvenalis Ursinus hanc orationem in alium annum rejicit, affirmatque omnia successisse feliciter, si quæ de recta provinciarum administratione proposuit, fuissent in auctoritatem admissa & decreta. Ex eo tempore Gerso cœpit tanquam certus æternitatis cum futura gloria vivere & posteritati suæ interesse. Collegium quoque, cujus alumnus erat, in hujus honoris partem non modicam venit.

Eodem quoque anno & Academiæ nomine Joannes Brevicoxa Theologus & Collegii Socius, in Senatu perorat contra Benedictum XIII. qui Regem & Principes a piorum cœtu removerat, & regno ipsi sacris omnibus interdixerat. Vir in paucis nominatissimus perorando causam obtinet. Excommunicatio cassa, interdictum irritum declaratur: quæ pro facienda Ecclesiæ pace statuta fuerant, confirmantur: schismatis nervi præciduntur: Pontificibus viam pacis recusantibus obedientia denegatur. Theologiæ Facultas, in qua Petrus Alliacus, Ægidius Campensis, Joannes Gerso, Petrus Dierrius, Joannes Brevicoxa & alii Socii principatum tenebant, multa contra Benedictum decernenda proponit, quæ tunc Ecclesia Gallicana decreto publico comprobavit.

Carolus VI. cum perspiceret in beati Petri Sede perseverare schisma, habitis Lutetiæ de eo tollendo multis vltro citroque concertationibus decrevit, se nullum ex iis qui Romanam tunc scindebant Ecclesiam, agnoscere, quo facilius convenirent inter se, & in beati Petri Sede pax instauraretur. Benedictus XIII. qui Avenione sedebat, factum Regis alioquin optimum indigne tulit, & continuo statuit

Regem a piorum cœtu removere. Nicolaus Clamengius, qui Benedicto a secretis erat, in conscripti diplomatis quo Benedictus id attentavit, suspicionem venit Lutetiæ, quam vti tolleret, ad Parisiensis Studii Collegium scripsit epistolam quæ sic se habet : *Novum quidem, Patres ac Magistri venerabiles, an*quam hunc diem mihi omnino inexpertum nunc agere compellor: neque enim vnquam me memini, ex quo vitales cœpi auras in lucem editus haurire, vt de objectis publice criminibus responderem, in causam judiciumque vocari. Sed vna me res maxime consolatur, meritoque debet consolari, quod apud vos meam sum defensurus innocentiam, cum quibus a puero vixi, majoremque meæ ætatis portionem peregi, quos etiamsi apud alienos accusarer, meæ vitæ, meæ conversationis, meorum morum ac studiorum possem certissimos testes, magis quam ceteros mortales adhibere. Nam quando primum ad vrbem illam præclarissimam atque a laribus patris, ad illud vestrum inclytum perveni studium,*

Alter ab vndecimo nondum me ceperat annus.

Me tenellum mater illa gremio excepit, sinu fovit, vlnis gestavit, suavissimis denique aluit vberibus. Me prima præterea pene dicam elementa, me ad honorem illum quem amplissimum habet, invitum licet ac renitentem extulit; me denique ex illo tempore vsque ad hanc prope ætatem doctrina simul ac moribus erudiit. Et si parum exinde cepi fructus aut eruditionis, meæ vtique aut culpa fuit negligentiæ, aut forte etiam tarditatis intelligentiæ. Illud tamen quantulumcunque est, (si quid tamen est) quod in vestro didici consortio, in vestris potissimum Ecclesiæque negotiis aut servitiis recte quidem justissimeque hactenus impensum est. Quo enim illa commodius refundere poteram, quam ad Ecclesiæ subventionem de qua agitabatur? Extant apud vos mei illius obsequii ac servitii crebra monimenta, nec apud vos solos extant, sed quacunque Christiana religio per orbem diffunditur, non ad vestri honoris attenuationem disseminata sunt. Meo itaque jure videor a vobis exigere posse, & non immerito imperare debere, vt meum stilum quem vestris obsequiis voluptatibusque servientem læti sæpius gaudentesque audistis, nunc pauca pro se apud vos dicturum æquis ac propitiis auribus audire velitis. Arguor a nonnullis apud vos, (sicut accepi) aut confecisse literas illas in Regem ac

regnum Franciæ anathema ferentes, aut non inscius saltem illarum fuisse, sed antequam producerentur in medium, aliquid inde præsensisse. Super diluendo crimine confectionis non necesse est me diutius immorari, multa sunt quæ eo crimine me apertissime liberant: signum, nomen, manus, litera, stilus auctoris. Quod si diversa ac aliena sunt, quid ibi relinquitur quod meum dici possit, aut quod meæ fabricæ argumentum profertur? Notum satis est signum meum, nota manus, noti characteres apicum, notus stilus vel dictatus, apud vos quidem præcipue, ubi tam vulgata sunt ipsius stili vestigia, vt non facile quis illic (nisi ignarus) possit in illo errare vel falli. Imo si alieni in illo fallerentur, vt meum esse contenderent qui meus non esset, vel meum esse negarent qui meus esset, nullos scirem testes certiores pro illius approbatione adducere, quam de vestro Collegio. Si qui igitur sunt inter vos, in talibus dignoscendis minus edocti, qui super hoc hæsitent, aut aliquo dubietatis scrupulo pulsentur, neque enim omnes idonei sunt de stilis judicare; cœtum illi vestrum consulant doctissimum, qui aptissimus fidelissimusque judex erit, & quo nullum alium magis ipse vellem eligere: quemque hujus rei diffinitorem (quantum quidem ad me spectat) constituo. Sed forte aliqui æmulatores dicturi sunt, stili formam consuetam me consulto mutasse, aliamque stili speciem quæ mea esse non agnosceretur, illic tenuisse: quasi in arbitrio vel potestate hominis sit, stilum suum more Prothei in quas voluerit formas convertere, pro placito quotiens volet variare, alienumque ita imitari, vt pro suis agnosci non possit. Qui ita posse fieri credunt, de re judicant cujus naturam non intelligunt: quare suæ non magna fides est habenda sententiæ. Sicut enim alienum morem, alium animum, ingenium homo inducere non potest; ita nec profecto alienum stilum. Denique quis impressum longo vsu & consuetudine penitus habitum possit suo nutu repente exuere, nonnunquam assumere, cum de natura habitus sit & tarde acquiri, & difficile moveri? Qui autem longo vsu atque exercitio certum sibi aliquem stilum comparavit, nonne certum & constantem & quasi indelebilem habitum sibi acquisivit, in quo nec alter possit ipsum imitando assequi, nec ipse alterum voltus est (vt ita dicam) stilus animi? & sicut exterior homo facie agnoscitur, ita quantum ad conceptiones animi homo interior stilo: quemadmodum non est reperire duas effigies ho-

minum ita similes, quin acutus judex magnam in illis inveniat distantiam; ita nec duos ita pares stilos, si solidi sunt, quin peritus examinator multum inter illos agnoscat interesse. Sentiat quisque de meo stilo & de illo altero quod voluerit; meum ipse non debeo stilum extollere, sed hoc sine arrogantia mihi licet dicere. Si meus ille fuisset, profecto alius fuisset, tanquam apud me impossibile fuit illo stilo, quam illi qui eum effudit, meo uti. Sed nimis diu in re aperta luceque clariori tempus terimus. Ad reliquam respondeamus accusationem, quæ me literarum illarum conscium fuisse criminatur. Pars autem ista accusationis soli innititur suspicioni, ex qua fallax & minus fundata sæpe solet accusatio provenire. Sed concedamus ut ex sola suspicione quemquam accusare liceat, & videamus quam solidis ex radicibus ista de me possit oriri suspicio. Ex altera autem (nisi fallor) duarum rerum illam proficisci oportet: aut ex personæ meæ moribus & vita anteacta, aut ex titulo officii ac familiaritatis; non enim video, ex qua alia possit radice consurgere. Primam ergo discutiamus originem. Solet in illos levi ex causa criminum atque flagitiorum insurgere suspicio, qui aut sæpe sunt de similibus notati, aut in illis etiam deprehensi. Facile quippe ad consueta relabi pronus est animus, & cito aliquem suspicamur ab illo non abhorrere quod frequenter gessit. Quamvis autem homini liceat, dum accusatur, ibidem ad criminum depulsionem atque purgationem suas laudes commemorare, & si qua egregia habet, in medium proferre: ne tamen mea odiosa sit ingrataque oratio, si quid laudabile habeo. Non multum volo de mea laude loqui, quæ solet in ore proprio plerumque sordescere; imo ad vos totam partem rejicio, qui me (ut supra dixi) a parvulo nostis. Considerate itaque vobiscum, utrum ex vita anteriori temporibusque tam diuturnis vobiscum per me exactis talem me existimare debeatis, qui Patriæ, Reipublicæ, Regiæ majestatis violator fieri vellem. Vestra enim, si verum audivi, sententia est, illos omnes regni indigenas tuis criminibus implicari, qui de literis illis aliquid exploratum habuerunt, nec patefecerint. Repetite ab exordio, atque a prima origine vitam meam percurrite, universa acta illos interrogate cum quibus sum versatus, mores meos, verba, opera perquirite. Si quid unquam me tale egisse, si quid molitum esse simile repereritis, nullum supplicium recuso. Si autem ab his nefandis criminibus semper innocentem, inte-

grum, insontem fuisse deprehenderitis : estne, obsecro, verisimile ita me nunc alienatum, dissimilemque a meipso effectum, ita conversum in arcum pravum, imo datum in reprobum sensum, vt talia mecum ipse cogitare, aggredi, moliri atque perpetrare non exhorruerim? Non talem me natura genuit, non his artibus parentes imbuerunt, non vestra educatio atque disciplina talia docuerunt. Non postremo vsque adeo me gratia Dei, vt arbitror, vnquam deseret, aut ita inimici sævitiam in me prævalere permittet, vt ad talia non dico agenda, sed cogitanda me pertrahat. Itane amorem patriæ, barbaris etiam mentibus a natura ingenitum, itane parentis patriæ, optimi Regis mei caritatem, qua semper maxime flagravi, exuisse atque abjecisse credendus sum, vt tali me parricidio commaculare voluerim? Non sinat Deus vitam meam vsque ad illa produci tempora, quibus hæc tractem.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Palantes vmbras Erebi noctemque profundam
Ante pati, quam te violem, aut tua jura resolvam.

Non puto ita me gessisse vobiscum, vt facile talis de me opinio vestros deberet animos subire : nec proculdubio vestræ gravitatis est, si aliqui obtrectatores invidiæ facibus agitati, talia adversum me ficta disseminant, illis aurem præbere, aut fidem commodare, præsertim cum nullum valeant probabilis conjecturæ indicium demonstrare. Nam quod pro radice altera suspicionis affertur, quod familiaris eram ac Secretarius: confiteor Secretarium me fuisse, sed ita Secretarium, vt a majoribus essem secretis sequestratus. Mihi in parte ista credi non postulo, a fidis gravibusque personis, verumne an falsum dico, licet exquirere. Si igitur a multis & magnis secretis tum ego, tum alii Galli arcebamur: quis ad illud arcanissimum secretum nos admissos esse crediderit, quæ intra cellulas, clausis diligenter ostiis, ne aliqua posset ratione ad nos vsque pervenire, inter paucissimos arbitros secreti illius participes agitabatur, non sine maxima, vt puto, formidine, ne foras efferretur. Quid quod domestici & compatriotæ aderant Secretarii, quibus talia committebantur. Quid quod etiam Itali aderant, quibus si externis essent committenda, longe potius committerentur Gallis contra quos fiebant. Sane potius crediderim a rubro mari aut

extremis Indiæ finibus petendum fuiſſe Secretarium, ſi de alia propinquiori natione inveniri non poſſet, quam talia in Gallos edicta Gallo alicui Secretario mandarentur. Atque ut apertius agnoſcatis, quam adverſus me in hac re ſuſpicionem habere debeatis, audite, necdum decurſo anno quid contigit. Mandaverunt mihi vivo organo duo ex Cardinalibus Pontificis (ut aiebant) ex mandato, ut in quadam controverſia quæ diu fuerat in regio Parlamenti Prætorio ventilata, in favorem illius literas conficerem, qui in dicto fuerat Prætorio condemnatus. Cœpi multa onus refugiendo obtendere, quod Francus eram & regni indigena, quod Regem regiamque Curiam offendere non vellem, quod externi abunde ſuppetebant Secretarii qui hoc poſſent facere. Rogavi itaque ut non meis, ſed illorum potius cervicibus onus imponerent. Cumque alter Cardinalium ſatis acquieſceret, & æqua poſtulare me diceret, alter ad onus ſuſcipiendum me pertinaciter urgeret, nequaquam me facturum planiſſime reſpondi. Et cum adhuc ille addidiſſet per Papam mihi præcipiendum: Si, inquam, ille præcipiat, ſcio quid acturus ſim; ſuo utique potius renuntiabo ſervitio, quam mandatum exequar. In hoc verbo illi abierunt, nec poſtmodum ſuper re illa verbum mihi fecerunt. Hujus rei teſtes mihi ſunt ambo Cardinales etiam nunc ſuperſtites. Si igitur in parva & perſonali cauſa, quia Curiam Franciæ tangebat, tam pertinaciter onus ſubire mandatumque exequi recuſavi: quis veriſimile poſſit credere, in totius regni anathemate aut me Scribam quæſitum eſſe, aut tam grave onus amplecti voluiſſe? Et quoniam nihil majus eſt, quo meam apud vos valeam fidem aſtruere, Deum teſtor & Sanctos omnes, & quicquid æternæ ſalutis a Deo expecto, ſicque Deum propitium in extremo examine experiar, quod nunquam viſu, nunquam auditu, nunquam verbo aut ullo ſcripto, fama vel rumore aliquo, aliove quolibet notitiæ ſigno, quicquam de literis illis antea perſenſi, quam per literas a veſtris profectas illas in Franciam perlatas eſſe, in publicumque propalatas accepi. Nec famæ, quamvis vulgatiſſimæ paſſimque per ora omnium volitanti, ante temere credendum putavi, quam de illarum apud vos publicatione per talium literas certior ſim factus, de quorum fide dubitare non poteram. Hoc apud vos pro meæ innocentiæ patrocinio eſſe credidi, quam ſi apud extraneos agerem mei moris ignaros, pluribus poſſem verbis defendere. Ceterum in

calce orationis vestras Dominationes obtestor, vt si quid de vestro cœtu bene vnquam merui, mea apud vos innocentia, quam satis ex superioribus perspicere potestis, præsidium, non opprobrium inveniat, nec pro meritorum mercede, gratis & sine causa calumniam reportet atque ignominiam, quatenus in me ceteri discant, qui pro vestris sunt vigilatum honoribus, quid ipsi a vobis debeant expectare. Dominationes vestras feliciter valere lætoque florere successu semper opto. Datum Avinionæ.

Causæ mihi sunt duæ, cur integram epistolam descripsi. Et primum quidem, vt sua viro innocenti constaret purgatio & integritas. Deinde, vt planum fieret, spernendas non esse, sed in pretio habendas Criticæ leges, quibus vir sapiens ad sese de imposito crimine purgandum vtitur. Quæ de stilo sibi sumit, vt vere scripta sunt atque egregie; sic & ab antiquioribus dicendi Magistris accepta. Scio non omnes istud cogitando assequi, sed nihil interest ad rei veritatem & intelligentiam.



Caput II.

Delata Regis Confessario præfectura Domus regiæ confirmatur. Radulphus Porta de Collegii Magisterio controversiam habuit cum Reginaldo Fontano. Porta causam obtinuit. Liti Gallicana intervenit natio. Fontanus fit postea Suessionensis Episcopus.

Jam perspectum & animadversum est, supremam Collegii gubernationem, quæ ab initio ad plures pertinuerat, Philippo Valesio Rege atque auctore ad vnum Regis Confessarium transiisse. Nunc objiciunt se duo, quibus additum sacro muneri jus illud apertam in lucem proferatur. Alterum est in epistola CXXIII. quam Nicolaus Clamengius ad Petrum de Cancella Regis Confessarium scribit. digna est quæ integra referatur: *Quamvis inter nos, vt memoria tenes, fuerit in minoribus annis familiaritas, quanta inter*

vnius

vnius Collegii incolas atque Studii Professores esse potest : tamen ex quo regiæ confessionis auditorem te fieri contigit, nulla prorsus vsque hos dies occasio incidit, qua pro meorum aliquo necessariorum quidquam a te peterem, semper tamen pro nostra singulari amicitia, quæ procedente tempore nequaquam, vt puto, remissa est, indubie credidi, si quando sors casum attulisset, vt aliquid ex te non iniquum poscerem, te ad obtemperandum meis postulatis, pro quanto fas adesset, non imparatum fore. Ecce autem casum ipsum præsens dies attulit : est quidem puer ingeniosus ac bonæ indolis, germanæ meæ filius, quem in illo nostro alumno Collegio, in quo diutius pariter eruditi atque educati fuimus, parentes maximis optant votis esse collocatum, sperantes ex illius Scholasticæ Domus tum laudabili instructione, tum probatissimis moribus nato suo non mediocres tota sua ætate reliqua fructus obventuros. Qualem enim quisque in puerili ævo eruditionem disciplinamque sortitus fuerit, tales illum mores habere necesse est, secundum illud Horatianum:

Quo semel est imbuta recens, servavit odorem
Testa diu.

Persuasum autem habent memorati parentes per meam apud te intercessionem facile suis hac in parte desideriis satisfieri posse, de mea tecum familiaritate certius edocti. Peto igitur a tua præstantia in majorem modum, quo petere valeo, vt Grammaticas illi juvenculo bursas in memorato Collegio, cujus ad te ex officio confessionis cum bursarum collatione dispositio pertinet, meæ hujus primæ petitionis intuitu conferre velis, & non confundas me coram amicis per repulsam ab exspectatione mea & a spe quam jamdudum de te concepi, & illi de me etiam, vbi longe majora ad te requirenda ducerem. Me enim apud te majora posse, fide indubia credunt, nec ipse vtique aliter credo. Vale, felix rerum successu labentium, & æternarum tandem perceptione longe felicior.

Alterum sic se habet ad annum MCCCCXI. Petrus Dierrius, qui Ægidio Campensi successerat in regimine Collegii, sese abdicat, cum idoneum sacerdotium esset consecutus. Tunc Magistri duo, Radulphus Porta & Reginaldus Fontanus, inter se contendunt, vter Collegii regimen obtineret. Id memoriæ proditum est in libris Procuratorum Nationis Gallicanæ. verba sunt: *In congregatione* (habita ann. MCCCCXI.

P

die XI. Martii) *supplicavit venerabilis & circumspectus vir Magister Radulphus de Porta, in sacra pagina Magister, quod cum Magisterium temporale venerabilis Collegii de Navarra esset in proximo vacaturum, quatenus dicta Natio vellet sibi assistere & adjungere in prosecutione dicti officii, etiam supplicare & laborare totis viribus apud dominum nostrum Regem, dominos de Sanguine suo, dominos de Consilio, dominos Burgenses hujus villæ, dominum Confessorem Regis, & apud quoscunque alios, usque ad possessionem pacificam dicti Magisterii: cujus supplicationi dicta Natio annuit, considerata nobilitate personæ dicti supplicantis in scientia & moribus. Et cum hæc ex tunc deliberavit dicta Natio istud prosequi tanquam factum spiritu, & maxime quia statuta & ordinationes dicti Collegii canunt, qualiter istud officium solum debetur Magistris Nationis Franciæ, quemadmodum est dictus Magister Radulphus, & etiam totus nutritus in dicto Collegio.* Deinde paullo post ad annum MCCCCXII.

Undecima die Aprilis fuit convocata Natio apud sanctum Maturinum. Et quibusdam interpositis quæ alio spectant: *Item in præfato articulo pro parte Magistri Radulphi de Porta per organum Magistri Martini de Berrueriis est facta una supplicatio, quod cum Natio alias deliberasset & conclusisset idem juvare & assistere in prosecutione Magisterii de Navarra, & nunc haberet competitorem M. Reginaldum de Fontanis, quod nihil vellet Natio accipere in præjudicium ipsius de Porta. Qua supplicatione porrecta sic deliberavit Natio, quod nunquam fuit sua intentio supplicare pro uno, quod alius hujus officii capax secluderetur. Item nunquam fuit intentio Nationis impedire Confessorem domini nostri Regis in collatione bursarum & officiorum dicti Collegii, dum tamen juxta statuta conferat: sed ipsum vult juvare, viisque exquisitis boni Collegii perturbativis obviare pro posse & resistere. Item quod nunquam intendit Natio supplicare domino nostro Regi, quod suspenderetur pro ista vice officium domini Confessoris, quia multa incommoda & inconvenientia sequi possent verisimiliter. Item dedit deputatos ad videndum si Confessor conferendo officium præfatum Reginaldo de Fontanis, bene contulerit juxta statuta Collegii præfati, & qui coram Rege proponant, & aliis dominis vel Communitatibus pro bono Collegii & ipsarum partium concordia.*

In his multa consideratione digna occurrunt. Et primum quidem, magnæ apud Academiam opinionis & auctoritatis est Magisterium Navarræ, pro quo non vulgaris fit commendatio: quinetiam ea fit, qua major nulla fieri possit. Gallicana Natio Regem, regii sanguinis Principes, Consilium sanctius, Parisienses cives, regiæ confessionis auditorem convenit: apud eos omnes agit, vt Radulpho Portæ viro nobili præfectura Gymnasii committatur. Deinde Natio eadem declarat neque impedire se, quominus Magister alius Magisterio dignus illud impetret: neque eo tendere, vt in bursarum & officiorum Gymnasii collatione impedimentum & moram Confessario Regis inferat; sed illud vnum habere in votis, vt Collegii leges observet. Tum nonnullos præficit visuros, ne quid ab illo Confessario adversus leges fieret. Ceterum apparet, Nationem ignorasse, quod jactatam a se personarum acceptionem Philippus Valesius repudiaverit; quod asserta Nationibus singulis libertate, Nicolaus Oresmius atque Ægidius Campensis, genere Normanni duo, regimen Navarræ tenuissent.

Hæc autem dum agerentur, Nicolaus Clamengius Fontani & Portæ amicus communis aberat Lutetia; sed statim atque mutuam vtriusque concertationem accepit, ad Fontanum ea super re scribit epistolam, quæ majorum literis respondet: est nonagesima-quarta, cujus plagulas aliquot hic assuendas esse puto: *De tua & Radulphi concertatione jam fama nuntiante nonnihil acceperam, quæ meum pergraviter animum multiplicibus ex causis perturbavit. Prima quidem, quia partes ambas sincero benevolentiæ sinu complector: difficile autem est, illum non anxiari, qui inter suos cernit carissimos talia intervenire dissidia. Altera, quia nexu alterno mutui amoris ambo invicem colligati eratis: turpius autem nihil est (Cicerone teste) quam cum illo inimicitias aut bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Tertia, quod ex gradu & professione, quos sortiti estis, ad vos maxime spectat, ambitiosos arguere, contentiosos compescere, discordes pacificare. Videte igitur quam honestum vobis sit ceteros ad ea vitia vestro exemplo provocare, quorum reprehensores ac castigatores esse debueritis. Si quem super his accusare volueritis, nonne ab eo illud Evangelicum merito audietis: Medice,*

cura teipsum. & illud Satyricum:

—Loripedem derideat, Æthiopem albus.
Quis cælum terris non misceat, & mare cælo?
Si fur displiceat Verri, aut homicida Miloni,
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum.

Parvulorum carnaliumque est hominum, litigare, altercari, contendere de Primatu de Magistratuque disceptare, non spiritualium, quales vos jam esse convenit. Audite Apostolum gladio verbi vos ferientem: Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? Et si carnales, quomodo perfecti, quomodo parvulorum Doctores, virorum reprehensores, idonei Prædicatores? An non alibi quoque ab eodem Apostolo inter opera carnis hæc connumerantur, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ & dissensiones? Inter fructus autem spiritus pacem ponere, locumque sibi inter priores tribuere atque assignare non omisit. Audite præterea qualia tela Apostolus in illos intorquet, qui alios docere præsumunt, & similia his quæ arguunt, doctrinam suam corrumpendo operantur: quæ verba Doctores Theologicos maxime respectant. Si, inquit, tu videns cognominaris. Et post alia: *Quid acrius aut vehementius adversus illos dici potuerat, qui sedentes super cathedram Moysi, dicunt & non faciunt, per quos magis nomen Dei blasphematur propter mala exempla, quam honorificatur propter bona verba? quia exempla magis movent & trahunt animos quam verba, sicut fructus magis delectat & desideratur in arbore, quam nuda folia quantumlibet amœna. Nihil itaque personæ gerenti Doctoris aut Prædicatoris officium tantopere elaborandum est, ne quam id agat, quod in aliis tanquam criminosum culpat.* Et post alia: *Restat quarta causa, quare vestram moleste fero conflictationem, quam tu quoque aliquantulum perstringendo attigisti, dum in domo pacis & tranquillitatis recentem insuetamque turbationem, pacis inimico seminante, ex hac pestifera discordia exortam confessus es. Attende, quæso, quam felicibus auspiciis pro Domo illa nati estis, qui in illam pacatissimam Domum, in qua ad hæc usque tempora una mente, uno animo, una amicissima fraternitate vivebatur, primi virus turbationis schismaticæque controversiæ intulistis. Serpserat nefaria cogitatione pestilentissimum, latiusque pene ubique radices egerat, cunctaque illa feralis idea suo adeo veneno infecerat, ut nullum*

pene regnum, nulla provincia, nulla urbs, nulla politia, nullus cœtus aut Collegium, imo vix ulla parva domus turbulentæ calamitatis exors persisteret; sed hanc sibi dicatam Domum pia Christi miseratio a tali hactenus peste liberam servaverat. Ibi pax, ibi concordia, ibi caritas & fraternitas, quæ vestro fœdo certamine inde nunc, proh dolor! exulat. Atque utinam non ita exulent, ut illam tandem suo præcipitent atque evertant exilio, sicut ceteras solent domos evertere in quas introierint. Non tanti apud utrumque vestrum esse debebat cupido Magisterii loci illius, ut cum tanto ipsius dispendio illud adipisci velletis, si rationi, quam cupiditati magis esse obediendum putaretis. Quanti potest esse honoris illa pugna, in qua majoris est gloriæ adversario cedere, quam vincere: imo in qua victor non vincit, sed vincitur; qui vero cedit, vincit ac triumphat? Nonne tu ipse aperte confiteris hanc discordiam inter vos Sathana auctore seminatam?
Et post alia: *Sed inquies, difficile esse suo juri cedere. Fateor difficile, sed virtuosum: quoniam & in difficilibus tota virtutis ratio consistit. At non cujuslibet hominis est, ad tantum virtutis culmen conscendere. Nulli certe deest potestas, sed multis voluntas. Quid enim homini tam liberum, quam de suo in re aliqua jure discedere? Sed si tanta non eratis præditi virtute, ut alterutrum cedere velletis; nonne aliæ patebant viæ concordiæ? Nonne salubrius fuerat litem hanc sortibus dirimi, quam in tantam Domus illius perniciem longius progredi? Non suberant aliqui amici, quorum res tota committeretur arbitrio, quique eam vestro compendio terminarent: ne illud egregium Collegium, in quo educati estis, mira pace ac tranquillitate florentissimum, omni rupto pacis fœdere, partium studio divisum, dilapsum dissolutumque tandem desolaretur. O vos miseros & infelices sinistroque partu editos, si id vobis auctoribus futurum est! Si dicis te sapientissimorum virorum judicio, justitiæ atque æquitatis partes defendendas suscepisse: idem, ut arbitror, dicturus est tuus adversarius. Sed utinam illi tam sapientes viri, qui tibi atque illi fautores assistunt, quique ambos ad litem armant atque instruunt, omnes in communem Domus salutem consulerent; pacem, quietem, utilitatem Collegii magis, quam privata cujusque commoda respicerent. Sicque vos ambo omni deserti adjutore, pacis leges cogeremini amplecti. Nescio quantum justitiæ tua pars innititur, quantumve pars alte-*
P iij

ra; sed neutra in tantam cladem publici commodi me fautorem adstipulatoremque inveniat. Etsi enim utrumque diligo, magis tamen tranquillitatem illius domicilii, quod amborum pace dixerim, quam ambos diligo. Aures ambo, quæso, paululum præbete, non meis verbis, sed Apostolicis, mira vobis aptitudine congruentibus. Ad verecundiam, inquit, vestram dico: Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem & fratrem suum, sed frater cum fratre contendit. Non addo quod sequitur: Et hoc apud infideles. Sed addo quod audio: Et hoc apud sæculares judices. Et sequitur continuato textu: Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Videte quantum illi juris cessio placuisset, qui potius injuriam accipiendam fraudemque ferendam, quam judicio contendendum clamat. Et tamen non ad Doctores & Prædicatores loquitur, sed ad simplices Catholicos ex gentibus conversos, apud quos non dubitavit dicere, omnino delictum esse, quod judicio contenderent. Quid putas censurum fuisse de legis divinæ Doctoribus, qui verbo pariter & exemplo alios erudire tenentur, ad pacemque hortari, atque pro virium conatu perducere? Per piissima igitur viscera misericordiæ JESU-CHRISTI *ab hac pertinaci animositate odiosaque contentione desistite, sanioraque pacis initæ acceptate consilia. Satis sint vobis ea schismata, quæ tam luctuosa in Ecclesia Dei, in hac patria, in totaque fere Christianitate conspicitis: & nolite tam horrendum monstrum in Domum illam, quo divina dignatione hactenus caruit, vestra altercatione intrudere. Vale apud Fontem.* Plura descripsi quam statueram, sed abripuit me vis ac pondus rationum, quibus auctor utitur: & certe nescio an veterum Patrum aliquis validiores proferret. Utrum autem Porta & Fontanus Clamengio acquieverint, necne, nihildum inveni. Ille ex eventu votorum factus est compos, & Magister Collegii remansit. Hic vero progressu temporis ad regimen Suessionensis Ecclesiæ pervenit, & in Episcopatu suo dignum se Christi ministrum præbuit.





CAPUT III.

Reges & primores regni ad beati Guillelmi festum invitantur, eique intersunt non sine donariis. Antistites diversi faciunt sacrum. Petrus Alliacus Sedis Apostolicæ per Germaniam Legatus. Joannes Gerso Regis personam sustinet in Constantiensi Concilio, cujus sessioni III. *Alliacus præfuit. Ad illud Concilium Clamengius scribit. Gerardus Machetus Sigismundum Imperatorem Academiæ nomine salutat. Collegium a partibus Aurelianensis Ducis stat contra Burgundiones, qui vrbe potiti, illud diripiunt.*

PARISIENSIS Academia tributa est in Nationes quatuor, Galliæ, Picardiæ, Normanniæ, Angliæ, nunc Germaniæ. Singulæ suos habent e Sanctorum numero patronos, quibus anniversaria festivitas solenni pompa & apparatu consecratur. Singulæ suas quoque delegerunt basilicas, vbi contribules vniversi congregantur sacris operaturi, & Deo optimo maximo supplicaturi. Gallicana Natio, quæ omnium numerosissima est, & beatum Guillelmum Bituricensem Archiepiscopum, & basilicam Domus regiæ selegit. Hunc autem locum selegit: primum, quia amplissimus est; deinde, quia Sociorum Nationis multitudo ingens & concursus; postremo, quod sacellarii plures, iique modulationis sacræ periti. Festus dies & conventus agitur IV. Idus Januarias. Olim moris erat, vt Reges, Principes, Summates ad eam celebritatem invitarentur: cujus rei testimonium certum extat in actis Gallicanæ Nationis ad annum MCCCCXIII. dum illam Stephanus Brisso procuraret. Adscribo verba: *Die* VII. *mensis Ianuarii habui deputatos solennes in magno numero, & proponentes scilicet Magistrum Benedictum Gentiani ad supplicandum dominis de Sanguine Regis, vt vellent honorare*

festum & Nationem: & reperimus ipsos simul prandentes apud sanctam Genovefam cum Burgensibus villæ Parisiensis. Et proposuit valde notabiliter post prandium coram omnibus dominus, vbi erant Rex Ludovicus, Dominus Bituriæ, Dominus Aurelianensis Comes Virtutum, Comes Dolensis, Comes Richemundiæ, Comes Ariminiaci, Dux Bavariæ, & plures alii: qui quidem Domini omnes simul promiserunt venire. Ubi etiam prandebat Episcopus Parisiensis, cui supplicavimus, vt ipse vellet facere servitium: qui gratanter respondit nobis, quod libenter faceret. Item die IX. dicti mensis Cancellarius Parisiensis Ioannes Gerso rogavit Episcopum Parisiensem post Vesperas, vt placeret sibi in crastinum prandere in Navarra, quod & concessit.

Joannes Gerso Parisiensis Cancellarius ad annum MCCCCXIV. scripsit Pragensi Archiepiscopo, vt Concilium acceleraretur. Gersonis literas Joannes Cochlæus in libri 1. Historiæ Hussitarum refert his verbis:

Reverendissimo in Christo Patri Domino N. Archiepiscopo Pragensi & Apostolicæ Sedis Legato, Ioannes Cancellarius ac Decanus sacræ Theologiæ Facultatis Universitatis Parisiensis, gratiam & pacem, & ad ea vigilanter superintendere, quæ salutem respiciunt animarum. Et quibusdam interpositis: *Quæ dum etiam atque etiam recogito, inveniuntur hactenus hæreses extirpatæ ab agro Ecclesiastico diversis viis, veluti falce multiplici. Inveniuntur quidem primitus falce vel acuto sarculo miraculorum attestantium divinitus Catholicæ veritati, & hoc tempore Apostolorum. Inveniuntur extirpatæ postmodum per falcem disputationis argumentativæ per Doctores. Sunt extirpatæ perinde per falcem sacrorum Conciliorum, faventibus Imperatoribus, quando disputatio doctrinalis particularium Doctorum inefficax esse videbatur. Tandem accessit velut in desperata peste securis brachii sæcularis, excidens hæreses cum auctoribus suis, & in ignem mittens: providens hac tanta severitate & misericordi, vt ita dicatur, crudelitate, ne sermo talium veluti cancer serpat in perniciem tam propriam, quam alienam. Et ante multo tempore non sinere procuratoribus ex sententia agere, sed statim vltionem adhibere, magni beneficii est indicium: quia nihil est infelicius, dicente Augustino, felicitate peccantium. Colligat ex istis & similibus prudentissima vestræ paternitatis reverentis circumspectio, quid actura sit in re præsenti.*

ſenti. Nam ſi pſeudo-doctores apud vos ſeminatores hæreſum quærunt miracula, ſciant quod illa jam abunde facta ſunt & præterierunt. Neque fas eſt vt ad fidem noſtram tanquam novellam per miracula confirmandam nunc tentetur Deus. Habent ipſi nedum Moyſen & Prophetas, ſed & Apoſtolos & Doctores antiquos cum ſacris Conciliis. Habent & novos Doctores collectos in Univerſitatibus, præſertim in ipſa matre Studiorum Univerſitate Pariſienſi, quæ hactenus hæreſum monſtro caruit, & Domino protegente carebit in ævum. Habent prorſus hæc omnia, credant eis, alioquin neque ſi quis ſurrexerit a mortuis, credent, neque rurſus in diſputando apud tales pertinaci animoſitate contendentes & innitentes propriæ prudentiæ, vllus vnquam erit finis. Quin potius nimis altercando, juxta verbum Senecæ, deperdetur veritas, ſcandalizabitur inſuper & populus, lædetur quoque ſumma caritas. Denique talis obſtinatorum protervitas incidit in illud Poetæ, Ægreſcitque medendo. Supereſt igitur, ſi præmiſſorum nihil proſit, quod ad radicem infructuoſæ, imo maledicæ arboris ponatur ſecuris brachii ſæcularis. Quale vos brachium invocare viis omnibus convenit & expedit ad ſalutem omnium vobis creditorum. Et quibuſdam interpoſitis: *Denique monſtraturi, quam vigeat etiam adverſus ſuos zelus fidei apud Chriſtianiſſimum Regem noſtrum Franciæ & præclariſſimam filiam ſuam Univerſitatem Pariſienſem, vnde gloriamur in Domino: dignum duximus tranſmittere literas patentes ejuſdem domini Regis ac præfatæ Univerſitatis reverendæ paternitati veſtræ, quam conſervet ſummus animarum Paſtor & agricola verus, qui eſt dictus in ſæcula. Scriptum Pariſius* XXVII. *Maii vigilia Pentecoſtes, ſubſignato de manu propria & ſigillo Cancellariæ Pariſienſis, de Gerſono.*

In quinquennio quod ſequitur, Collegium eventibus optimis & peſſimis juxta mixtum eſt: nunc commendatione ſumma extollitur, nunc ſingulari calamitate affligitur. Rem ordine recenſeo. Petrus Alliacus anno MCCCCXIV. per Germaniam Apoſtolicæ legationis munere defungitur. Hinc viros & in Eccleſia & in Imperio primarios ad curandam Eccleſiaſticæ diſſenſionis ſedationem cohortatur: inde ſubſicivis horis cum verſaretur Baſileæ, in Pſalmum XLII. IV. Idus Junias, in orationem dominicam pridie Nonas Quin-

tiles, in Salutationem angelicam IV. Idus ejusdem mensis edit commentarios, quibus homines ad timorem Dei & pietatem informentur.

Joannes Templeus Baccalarius & Collegii Socius, eodem anno Gallicanæ Nationis Orator ad Constantiense Concilium destinatur VIII. Idus Octobris: vir erat vividiore præditus ingenio, qui vel ex eo laudandus est maxime, quod a Nicolao Clamengio laudetur in epistola CXXII.

Deinde ineunte Januario mense, cum festus dies beati Guillelmi agitur, Collegium Regis & Principum præsentia cohonestatur. qua de re sic ad annum MCCCCXIV. scribit Garcilius Mercator Gallicanæ Nationis Procurator: *Eadem die IX. Ianuarii idem proponens supplicavit reverendo in Christo Patri domino Episcopo Cabilonensi, vt ob reverentiam Nationis vellet facere servitium in festo beati Guillelmi: qui liberalissime annuit supplicationi, & fecit servitium. Fuerunt in Missa dominus noster Rex & omnes domini prænominati, scilicet domini Bituriæ, Aurelianensis, Borbonii, Comites Virtutum & de Augo, & etiam dominus Bavariæ multum honoravit Nationem. Item fuerunt in Missa tres Cardinales, scilicet Cardinalis de Barro, Cardinalis Pisanus tunc Legatus a latere in Francia, & Cardinalis Remensis. Item fuerunt plures Prælati, & quamplures milites & nobiles. Item dominus noster Rex obtulit in offertorio Missæ vnum scutum, & in fine Missæ osculatus est Reliquias Nationis, & pro augmentatione earundem dedit novem scuta aurea. Item post Missam Magister Ioannes Breviscoxæ regratiatus est domino nostro Regi, & omnibus dominis de dominis ibidem existentibus de honore Nationi impenso. Regratiatus est etiam domino Prælato, scilicet Episcopo Cabilonensi, & supplicavit vt vellet prandere in prandio Nationis, in camera domini Provisoris Collegii Navarræ, qui in contemplatione Nationis annuit supplicationi, quod & fecit.* Sic quanto in honore & pretio literas literatosque habeant Reges, Principes, Cardinales, Episcopi, flos nobilitatis totius, ostendunt, nec possunt indiciis certioribus ostendere.

Hoc eodem anno Cancellarius Parisiensis noster Lutetia Constantiam in oppidum Germaniæ discessit, vt in generali Concilio personam Regis & Doctoris Theologi sustineret:

vtrumque munus obiit tam egregie, vt in partem Concilii maximam venerit. Nemo de rebus in Concilio præclare gestis loquitur, prætermisso Gersone, nisi vellet χρόνψεως accusari. Hujus rei testimonium vnum sufficit, quod illi Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus, audiente & approbante Concilio, dedit, cum allocutus est Hussitas, qui absurda quadam exceptione judicium Gersonis deprecabantur. *Dicitis*, inquit, *o Hussitæ, Cancellarium Parisiensem suspectum vobis existere, qui tamen vsque adeo superexcellens Doctor est, qualis in tota Christianitate vix reperiri queat.* Joannes Cochlæus lib. 11. Historiæ Hussitarum.

Juvenalis Ursinus in Historia Caroli VI. Regis ad annum MCCCCXV. testatur, Collegium Navarræ & Gersonem a Ducis Aurelianensis partibus contra Burgundiones semper stetisse, ea valuisse apud Regem auctoritate & gratia, vt Academiæ viri primarii quadraginta & eo amplius jussi sint vrbe excedere, pœna capitis & amissionis bonorum imposita recusantibus. Aurelianenses partes cum æquiores essent Burgundicis, eas Navarræ Collegium sequebatur, & factiosos quoad ejus fieri poterat, abigebat. Nihil habuit antiquius & carius, quam vt Reges, legitimos regni heredes & jura tueretur.

Hoc anno Cabilonensis Episcopus in festo beati Guillelmi Missarum celebrat solennia: sed non omnes qui fuere invitati, potuerunt interesse. Hoc notatu dignum est in actis Procuratorum Gallicanæ Nationis: *Dominus Dux Bituriæ qui inter alios invitatus fuerat propter consilium quod illa die habitum est, impeditus tres francos ad Nationem misit.*

Girardus Machetus Navarræ Sodalis III. Nonas Martii proximas Academiæ nomine Sigismundum Imperatorem, qui in vrbem advenerat, salutavit. *Anno Domini* MCCCCXV. *dominica die prima Martii, dominus Imperator Sigismundus Romanorum Rex intravit villam Parisiensem, & in die Iovis sequente Universitas cum magna multitudine Suppositorum visitavit: & proposuit Magister Girardus Machet Subcancellarius nostræ Dominæ, cui dominus Imperator ore proprio absque alio consilio respondit, regratiando Universitatem de bona visitatione, in pulcro & ornato Latino.*

Anno MCCCCXVI. Parisiensis Cancellarius coram Patribus Concilii de Nativitate beatæ Mariæ concionem habet : hujus & sancti Josephi laudes inter se conjungit, & multum curat ut Josepho dies festus dedicetur.

Nicolaus Clamengius ad Concilium scribit, & Patribus necessarias sanciendæ pacis rationes exponit. Fuit & Henricus Spondanus qui in Annalibus Ecclesiasticis Clamengii consilium animo parum æquo non ita pridem tulerit : inscriptionem epistolæ non exordium legerat. quod si legisset, approbasset utique quod improbavit, nec etiam improbasset quod Concilium non improbavit, tantæ ille apud omnes auctoritatis fuit. Exordium vero epistolæ sic se habet : *Nisi me, Patres venerandissimi, ardor maximus unitatis Ecclesiasticæ meis jamdudum præcordiis infixus altius, continuisque animum meum fodiens stimulis, & extrema quædam, ut ita dicam, rerum necessitas, ad scribendum vestris clarissimis paternitatibus impellerent : nequaquam meæ parvitatis humilitas tale quicquid aggredi præsumeret. Sed nihil est, quod non amor vincat, de quo vere dictum est :*

—Omnia vincit amor.

nihil quod non amor audeat, de quo alius dixit :

—Audacem faciebat amor.

nihil quod non zelus ardentior intima corrodens viscera extorqueat, de quo scriptum est : Zelus domus tuæ comedit me. & iterum : Tabescere me fecit zelus meus. Parcetis itaque, Patres clementissimi, meæ ignorantiæ meæque audaciæ, quod ad cœtum vestrum gloriosissimum ac sapientissimum mea insulsa non pertimui mittere scripta, quanquam absit, ut ad docendas vestras perspicacissimas intelligentias talia dirigam, quam & cælestis, ut credendum est, unctio & doctrinæ uberioris fecundissima notitia de omnibus excellentissime instruunt. Ad pauca quidem, quæ animo de pace Ecclesiæ cogitanti, præsenti rerum statui occurrerunt, ad remque pertinere visa sunt, vestris solertiis spiritualibus insinuanda, per illasque dijudicanda, si tamen non auribus vestris indigna sunt, illa tantum transmitto. Deinde epistolam bene longam ita concludit : *Testor autem coram Deo & Christo ejus & tremendo judicio ejus, non hæc in favorem cujuscunque personæ, sed in languentis Ecclesiæ miserationem me dicere, quæ*

raptim satis & properanter effudi. Quare obsecro, ut minori rerum digestioni atque sermonis ornatui vestræ dignentur paternitates ignoscere, & sinceram mentis intentionem magis quam verba ponderare, quas in pacis ac concordiæ tranquillum domicilium quietamque stationem, tandem post longa certamina prius dignetur pacis auctor atque amator perducere. Hæc ille qui quæ scribebat, non suis, sed publicis Ecclesiæ commodis metiebatur; qui fortuna tenui semper contentus fuit; qui si Cardinalis a Benedicto XIII. fieri voluisset, sine dubio factus esset.

Petrus Alliacus sessioni tertiæ Concilii præfuit, sermones coram Patribus habuit. Unum in die, quo Spiritus sanctus in Apostolos descendit; alterum in media Quadragesima; tertium de beato Ludovico Tolosanorum Episcopo; quartum de Sanctis omnibus, quorum memoria celebratur Calend. Novembris; quintum alio tempore quod incertum est. Sic annus MCCCCXVII. Navarræ Collegio & Synodo illuxit. Ad splendorem hunc accedunt, quæ in festo beati Guillelmi contigere. Ecce tibi quæ in actis Procuratorum Gallicanæ Nationis memoriæ traduntur.

Die Sabbati VIII. *Ianuarii Natio solenniter congregata in venerabili Collegio Navarræ pro dispositione festi sancti Guillelmi, conclusit quod placebat adire Regem, dominum Delphinum & dominum Conestabularium & alios dominos, & habere unum Prælatum. Et quoad hoc dicta die post prandium, & in crastinum de mane, ego associatus* (sic Procurator loquitur) *bona comitiva Magistrorum Nationis adivimus Regem & dictos dominos ad supplicandum eis, quatenus vellent interesse dicto festo, & honorare Nationem: qui omnes responderunt benigne annuentes supplicationi nostræ. Et in dicto festo Rex venit, & pro offertorio Missæ tradidit tres mutones, quos Curatus cepit immediate in disco, & post Missam osculando Reliquias tradidit septem mutones, de quibus sex repositi sunt in cofreto Nationis, præsentibus omnibus Decanis, & septimus datus est Cantoribus Regis qui fuerunt in Missa. Et celebravit Missam valde libenter reverendus in Christo Pater dominus Episcopus Albiensis, & dominus Parisiensis sibi concessit sua ornamenta. Venerunt etiam ad honorandam Nationem reverendi in Christo Patres & domini*

Archiepiscopus Senonensis & Dominus Episcopus Constantiensis. Fuit enim cum Domino nostro Rege dominus Carolus de Borbonio, cum pluribus militibus & armigeris. Hic non valde curandum mihi videtur de sermonis elegantia, postquam tantus est splendor in materia. Orationis asperitas majestate regia emollitur, mitigatur, perpolitur.

Senatus acta publica testantur, Radulphum Portam Theologum anno MCCCCXVII. conjectum fuisse in carcerem auctoritate Delphini Proregis, quod pravam dispensandorum sacerdotiorum consuetudinem nimis acriter reprehendisset in oratione quam ea super re habuit nomine Universitatis. Delphini animus occupatus fuerat ab iis, quibus instaurandæ disciplinæ cupiditas & studium haud placebat: sed paullo post cognita re Porta purgatus est apud Delphinum, & carcere solutus in regali Collegio & in Academia eminere pergit.

Annus MCCCCXVIII. Navarræ Collegio calamitosissimus fuit. Cum Burgundiones potiti sunt vrbe, diripuerunt hoc Collegium, omnia ad vastitatem reduxerunt, excepta Bibliotheca. Sodales omnes partim verberati, partim cæsi, partim fugati. id narrante Juvenali Ursino didicimus. Joannes Gerso cum rediret e Concilio, Burgundionum factione exulare cogitur, nec vnquam potuit Lutetiam reverti. Hoc viri tanti exilium Collegio quantum intulerit detrimenti, quis exprimeret? Joannes Brevicoxa maluit abire Parisiensi Episcopatu, ad quem electus fuerat, quam Burgundionum imperium subire. Tunc capitale erat Navarrici Collegii Sodalem esse, sive quia Collegium a partibus Ducis Aurelianensis semper steterat, sive quia Gerso, Brevicoxa ceterique ex eo Theologi assertiones Joannis Parvi severissime & constantissime damnaverant. Hæ sunt fœdi illi turbines & cæca nox, quæ tunc Domum regiam obruit.

Hocce anno ad x. Calend. Maii Constantiense finitum est Concilium quod inchoatum fuerat anno MCCCCXIV. vt extingueretur schisma quod Romanam Ecclesiam annis XL. inflammaverat. Nunc inter omnes convenit, qui hujus temporis historiam non ignorant, Parisiensem Academiam præ ceteris aliis, non Academiis modo, sed etiam Europæ

partibus in sedando schismate laborasse. Sed non minus convenire debet, Petrum Alliacum, Joannem Gersonem, Ægidium Campensem, Nicolaum Clamengium, Joannem Brevicoxam Navarræ Socios omnes, maxime omnium Theologorum Parisiensium, huic operi tam pio, tam necessario vacasse. Nam sive disputationes & concertationes institutæ sint, quibus tollendi ex Ecclesia dissidii ratio disquiratur, in iis Alliacus, Gerso, Campensis eminent: sive legationes obeundæ sint ad Regem Carolum VI. & ad Pontifices tres sibi vindicantes primatum Ecclesiæ, Alliacus, Campensis, Brevicoxa mittuntur; & si quando adjiciuntur alii, pares quidem gradu Magisterii, sed impares merito adjiciuntur: sive scribendæ sint ad Reges exteros, ad Cardinales, ad Clementem VII. ad Benedictum XIII. ad Universitatum aliarum Magistros literæ, quibus ad sanciendam Ecclesiæ pacem incitentur, vnus scribit Clamengius, atque ita scribit, vt majori studio & ardore amoris scribi non possit: sive agendum & tractandum sit in generali Concilio, Alliacus & Gerso, inferiores pene omnes, paucos æquales, superiorem habuere neminem. Ex his primum, secundum & tertium suppeditant Historici duo, qui Caroli VI. Historiam confecerunt, Joannes Juvenalis Ursinus, & anonymus quidam Monachus in Bibliotheca Thuana: hic Latino, ille Gallico sermone. Ursini Historia semel atque iterum typis mandata est; anonymi vero nondum mandata est. Quartum testatur Joannes Cochlæus lib. 11. Historiæ Hussitarum, vbi ait in Concilio dictum a Cardinale Florentino, *Gersonem vsque adeo superexcellentem Doctorem esse, qualis in tota Christianitate vix reperiri quiret.* Alliacum laus propria sustentat, quæ & in gloria discipuli continetur & augetur.





CAPUT IV.

Ægidius Carlerius in Collegio variis eminet modis. Carolus VI. moritur, cujus exequiis pro more adſunt Collegii Sodales. Petrus Alliacus Cardinalis migrat, & illius teſtamentum & diverſæ conſtitutiones & fundationes piæ referuntur, quibus multiplex ſubjungitur epitaphium.

IN his fœdis turbinibus & cæca nocte Collegii ſeſe, vt potuere, diſſipati Sodales collegerunt. Ægidius Carlerius, qui jam ab anno MCCCCXIV. ſuis in Magiſtri Sententias prælectionibus, editis in Collegio Navarræ collationibus, habitis per varias Eccleſias concionibus inclaruerat, circa annum MCCCCXXI. rurſus eminere cœpit. In feſto beati Ludovici ſermonem in Æde regia fecit, & collectos ibi Sodales ita ſignificat: *Mementote, viri fratres & patres.* quo loco eos ab aucupanda ſacerdotiorum multitudine conatur avocare. Sub idem tempus noſter Carlerius lectus eſt ab Academia, qui ejus nomine Joanni Rupeſciſſæ Rotomagenſi Archiepiſcopo, de Cardinalitia dignitate, qua nuper ornatus fuerat, gratularetur. Hic Rupeſciſſa Univerſitatis alumnus erat, in quo Cardinalis cum ſit oculus ſummi Pontificis, abſolutionem perfectionemque triplicem deſiderat, vt ſit acutus in indagatione veritatis & in explicatione perſpicuus, vt mentem vacuam, ſolutam & liberam ab omni perturbatione vitiorum habeat, vt pudicitiam colat, & virtutis hujus candor eluceat ad exemplum myſtarum ceterorum. Hæc ſunt præcipua quæ in Carlerii gratulatione continentur.

Anno MCCCCXXII. Carolus VI. Rex vitam depoſuit in palatio ſancti Pauli, & inde corpus VII. Idus Octobris delatum eſt in baſilicam beatæ Mariæ: quo in funere Collegii Sodales interfuiſſe, auctor eſt Juvenalis Urſinus. Ii non poterant

poterant non interesse, cum hoc positum in more sit institutoque majorum.

Anno eodem Martinus V. consuluit Universitatum Doctores primarios, an liceret census & reditus alienare & vendere. Sic responderunt inter alios Petrus Alliacus & Joannes Gerso.

Ego Petrus Cardinalis Cameracensis credo, quod tales contractus sint liciti, dum tamen in viventibus non sit intentio usuraria; hoc est, quod ementes non intendant, quod vendentes redimant, ut sic pecunias suas rehabeant, & ultra sortem reditus medii temporis recipiant: sed talis intentio usuraria tollitur, si ementes simpliciter mallent talem contractum facere sine conditione, quam cum tali conditione redimendi.

Ego Ioannes de Gersono Cancellarius Parisiensis idem teneo.

Pontifex acceptis hinc inde Doctorum complurium responsis, Extravagantem *Regimini* statim edidit.

Heic aliud ex alio Collegium perculit. Burgundionum depopulationi successit Caroli VI. migratio, qua bellum Gallos inter & Anglos excitatum est: scilicet intellexerunt semper Collegii Sodales, commoda & rationes suas ab regni rationibus non discrepare, hostes regni hostes Collegii esse, afflicto regno, afflictis Regibus, Navarræ Domum stare non posse. Profecto quandiu bellum illud viguit, in Collegio non superfuerunt nisi splendoris prisci reliquiæ, disturbata acta publica, vel pauci Sodales admissi, vel si plures, secedere coacti, vel quia dominabatur Anglus, vel quia Sodalibus stata pensio non persolvebatur. Interea Concilium Ambiani celebratur anno MCCCCXXII. & in media ista clade Guillelmus Erardus Navarræ Socius ad illud mittitur, qui Parisiensis Studii personam sustineret: sustinuit, & academica legatione integerrime functus est.

Hoc & insequenti tempore Nicolaus Clamengius mansit in Collegio, qui pietatis & eruditionis suæ fama implevit Sociorum solitudinem, & detrimenta instauravit ac resarsit: ad diversos scribit epistolas & tractatus varios componit ad publicam utilitatem.

Anno postquam vastatum est a Burgundionibus Collegium quinto, ne quid illius infelicitati deesset, in Germania lux-

Ecclesiæ magna extincta est, Petrus Alliacus, cum ibi legatione Apostolica defungeretur, Cameracensis Episcopus & tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis. Hoc nomen pietatis nomen est atque Ecclesiasticæ eruditionis. Sed Navarrici Collegii multum interest testamentum illius referri, sic autem se habet :

Ego Petrus de Alliaco tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Cameracensis vulgariter nuncupatus, præsupposita licentia Apostolica mihi concessa, condo & ordino testamentum meum, corpus meum inhumari volo sub altari parvo chori Ecclesiæ Cameracensis, ubi de consensu Capituli Cameracensis meam elegi & disposui sepulturam. Item volo, quod in Ecclesiis Suessionensi, Noviomensi, Aniciensi, & sacra Palatii regii Capella Parisius, & in Collegio Navarræ Parisius, fiant obitus solennes. Item consimiliter volo fieri in villa Compendiensi, scilicet in Ecclesia sanctorum Cornelii, Iacobi, Clementis & Antonii, necnon Fratrum Prædicatorum & Minorum, & in Ecclesia regalis loci prope Compendium; & similiter in civitate Cameracensi, scilicet in Ecclesiis sancti Gangerici, sanctæ Crucis, ac sancti Auberti, & sancti Sepulchri, & Fratrum Minorum. Quæ sequuntur, ab alio dictata sunt. *Item legat consanguineis proximis aliquas summas. Item domibus hospitalium & leprosariarum, ac pauperibus Ecclesiis infra & juxta Cameracensem civitatem & villam Compendiensem. Item ordinat, quod residuum bonorum suorum in tres distribuatur portiones, quarum una applicabitur ad fundationem obituum in Ecclesiis Parisiensi, Suessionensi, Aniciensi, Noviomensi, & in Collegio Navarræ Parisius, ac in Ecclesia sancti Antonii Compendiensis. Altera portio applicabitur ad matrimonium pauperum juvencularum, præsertim de genere suo. Tertia portio erit heredum suorum, scilicet quatuor propinquiorum de genere suo. Item nominat executores suos venerabiles viros Magistrum Radulphum Presbyteri consanguineum suum, Archidiaconum Hannoviæ, & Canonicum in Ecclesia Cameracensi; Petrum Presbyteri, Nicolaum Lavende Cameracensis, Michaelem le Charron Noviomensis, Ioannem Calvi, Petrum Berbietti, Petrum Politi, & Arnoldum Logerii, sancti Gangerici Cameracensis Ecclesiarum Canonicos.* Hoc testamentum suis numeris omnibus absolutum esse non videtur. Desunt nonnulla quæ

testamentorum formulæ præscribunt; sed acta quibus suprema illius voluntas executioni traditur, supplebunt. Sunt autem hujusmodi:

Universis præsentes literas inspecturis, Radulphus Presbyteri Archidiaconus Hannoviæ in Ecclesia Cameracensi, Arnoldus Logerii Cantor & Canonicus ipsius Ecclesiæ Cameracensis, Petrus Berbietti Scholasticus, & Petrus Politi, Canonici sancti Gangerici Cameracensis, executores testamenti seu vltimæ voluntatis reverendissimi in Christo Patris & domini bonæ memoriæ, domini Petri quondam Cardinalis Cameracensis, salutem in Domino. Dudum siquidem, videlicet anno Domini millesimo quadringentesimo tertio die Mercurii XX. *Iunii, domini venerabiles Magister, Provisor ceterique Magistri & Scholares Collegii Campaniæ seu Navarræ capitulariter congregati concorditer approbarunt & acceptaverunt certam ordinationem inter Episcopum reverendissimum in Christo Patrem, & dominum Petrum tunc Cameracensem Episcopum, ex vna; & ipsos prænominatos, ex altera partibus, factam, cujus ordinationis tenor sequitur & est talis: Reverendus in Christo Pater dominus Petrus de Alliaco, sacræ Theologiæ Doctor, quondam Magister hujus Collegii de Navarra seu de Campania Parisius, postea Eleemosynarius illustrissimi Principis domini Caroli sexti Francorum Regis, & Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, deinde vero Aniciensis, & postea Cameracensis Episcopus, pro salute animæ suæ & animarum benefactorum suorum, & specialiter dicti Regis atque germani sui domini Ludovici Aurelianensis Ducis, ordinavit & fundavit ea quæ sequuntur. Primo qualibet die vnam Missam perpetuam, quæ vocabitur Missa benefactorum Collegii; & dicetur in magno altari inter primum & vltimum pulsum magnæ Missæ: & fiat dicta Missa die dominica de sancta Trinitate, die Lunæ de Mortuis, die Martis de Angelis, die Mercurii etiam pro Defunctis, die Iovis de beato Ioanne Baptista vel de beatis Apostolis Petro & Paulo, die Veneris de sancta Cruce, & die Sabbati de beata Virgine, nisi festum solenne occurrerit, de quo fieret dicta Missa: & fiet in dictis Missis semper vltima Collecta sive Oratio, Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, &c. sub forma inferius scripta: ad quam Missam dicendam alternatis vicibus tenebuntur Capellani & Clerici Capellæ*

dicti Collegii in eadem ministrare. Item tenebuntur dicti Capellani & Clerici qualibet die qua non erit festum duplex, in fine altæ Missæ quæ celebrabitur in magno altari, dicere & cantare Psalmum De profundis, &c. cum Versu: Oremus pro benefactoribus nostris: Benefac, Domine, bonis & rectis corde. Et postea Sacerdos qui dixerit magnam Missam, antequam Evangelium, In principio erat Verbum, in tono Missæ cantabit dictam Collectam sive Orationem, Omnipotens sempiterne Deus, &c. & omnes qui intererunt, & pro dicto Episcopo & benefactoribus Collegii dictos Psalmum & Orationem cum choro devote dicent vel cantabunt, certam indulgentiam consequentur. Item dicti Capellani & Clerici in recognitionem præmissorum qualibet hebdomada pro augmentatione bursæ suæ percipient quilibet Capellanus tres solidos, & quilibet Clericus duodecim denarios Parisienses. Item ordinavit & fundavit dictus Episcopus pro se & dictis benefactoribus suis & Collegii quatuor obitus solennes, qui post ejus decessum celebrabuntur post jejunia Quatuor Temporum, videlicet proxima die Lunæ vel die Mercurii sequentis, & in quolibet dictorum obituum distribuentur decem libræ Parisienses Magistris & Scholaribus ibidem præsentibus secundum proportionem bursarum suarum, & quatuor solidi Parisienses pro luminari, duo solidi Sacerdoti celebranti, Diacono, Subdiacono, Choristis, & cuilibet duodecim denarii ultra portionem & ratione bursarum suarum contingentium: qui decem solidi sumentur in decem libris prædictis. Item ordinavit & fundavit pro augmento bursarum antiquioris Baccalarii legentis Sententiam, & antiquioris Baccalarii formati Collegii Theologorum, qualibet hebdomada pro quolibet duos solidos Parisienses, & etiam pro augmento bursæ vice Doctoris Collegii Artistarum dicti Collegii qualibet hebdomada duos solidos Parisienses. Item pro fundatione, amortisatione & sustentatione omnium præmissorum dictus Episcopus exemit, dedit & sufficienter assignavit certos & perpetuos reditus post ejus decessum per dictum Collegium percipiendos & recipiendos modo & forma contentis & plenius expressis in certis literis super hoc confectis sub sigillo regio Castelleti. Residuum vero dictorum redituum ultra solutionem præmissorum dictus Episcopus ordinavit ad sustentationem librariarum dicti Collegii, scilicet Theologorum, Artistarum & Grammaticorum, & ad sustentationem ornamento-

rum & luminaris Capellæ, ac insuper ad opus vini pro Collegio Theologorum. Si quid autem dubium in præmissis oriretur, ad discretionem Magistri, Provisoris & trium antiquiorum Theologorum, ac Magistrorum Artistarum & Grammaticorum ipsius Collegii, quorum conscientias dictus reverendus Pater oneravit, reformetur. Sequitur forma supra memoratæ Collectæ sive Orationis dicendæ pro dicto Episcopo & benefactoribus dicti Collegii tam vivis quam defunctis: Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, te suppliciter exoramus, ut famulus tuus Pontifex & pro quibus effundere preces decrevimus, quousque vel præsens adhuc sæculum in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus beata virgine Maria & beato Ioanne Baptista, beatis Apostolis tuis Petro & Paulo cum omnibus Sanctis, pietatis tuæ clementia delictorum suorum veniam & gaudia consequi mereantur æterna. Per Dominum, &c. Et si per Capellanos ipsius Collegii in dicta oratione defectus contingeret, ipsum Collegium onus recipit super hoc providendi, & omnia in prædicta Oratione contenta sub obligatione bonorum Collegii fideliter adimplendi. Cum autem nos executores antedicti veraciter fuerimus informati, quod reditus & terræ titulo præmissorum hac occasione prædicto Collegio dimissi in suo sint valore propter guerras, quæ proh dolor! in partibus, in quibus situantur, jam a longo tempore viguerunt, adeo diminuti, quod sine damno dicti Collegii ac ipsius onere importabili præmissa omnia nequiret adimplere: nos considerantes, ipsum reverendissimum Patrem sinceram & bene affectam voluntatem ad bonum ipsius Collegii semper habuisse, nec aliquid cum eo tractasse, quod in damnum & præjudicium aut onus ejus perpetuum absque utilitate deberet redundare: declaramus, & eidem Collegio indulgemus, quod ad complementum præmissorum nullo modo teneatur, nisi secundum valorem & portionem, quem in dictis reditibus & terris ad utilitatem dicti Collegii proveniet, vel secundum quod bona sive reditus qui ex antedictis reditibus aut terris, si eas alienare contingat, haberi & acquiri poterunt, se extendent. Super cujus declaratione fideli, prout ipse reverendissimus Pater de dubiis, si orirentur, ordinavit, Magistri, Provisoris & trium antiquiorum Theologorum, necnon Magistrorum Artistarum &

Grammaticorum dicti Collegii, qui qui sint, & qui pro tempore fuerint, in perpetuum conscientias oneramus. In quorum omnium fidem sigillum dicti Archidiaconi præsentibus est appensum, una cum ipsius manuali signo inferius in signum approbationis majoris app sito. Actum & datum Cameraci anno Domini MCCCCXXIX. *mensis Aprilis die* XVIII.

Radulphus Archidiaconus Hannoviæ.

In Basilica Navarræ appensa tabula quædam est, cui quæ vel ad commendationem Alliaci, vel ad collata ab eo in Collegium beneficia pertinent, inciduntur. Quicquid id est, prætermittendum mihi non videtur, etiamsi multa repetantur. Sunt enim hæc ejusmodi quæ repetita non possunt non placere. Res autem sic se habet:

Fundationes, erogationes & institutiones reverendissimi in Christo Patris domini Petri de Alliaco, Cardinalis Presbyteri tituli sancti Chrysogoni, Cameracensis Episcopi, hujus quondam Domus Præceptoris seu Magistri ac benefactoris munificentissimi. Reverendissimus in Christo Pater dominus Petrus dictus de Alliaco, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Aniciensis, ac deinde Cameracensis Episcopus, Doctorque Theologus eruditissimus, utpote dum viveret, Aquila Franciæ appellatus, atque aberrantium a veritate malleus indefessus, hujus quondam Domus Præceptor seu Magister, ac deinde Parisiensis Cancellarius, natione Compendius, ipsiusque Domus a præcessoribus secundus fundator vulgatus, quippe qui post multa donaria necessaria videlicet suis ope & opera erecta, ac singulariter præcipue Domus Theologorum constructionem, ac deinde librorum seu codicillorum tam in hac Capella quam in Bibliotheca seu libraria, ne dum a se ingenio, studio & industria dictatorum, seu etiam præcessorum Doctorum doctus scriba in regno cælorum, proferens de thesauro suo nova & vetera, affluam erogationem, magnum proventum in Belsia, jamjam in molendini aquæductus & profectus, quod est super fluvium Matronæ, pago de Carentonio longe ferme duobus millibus ab urbe, conquisitionem certis de causis, comitatum quoque sequuntur, pro animæ suæ & benefactorum suorum & Collegii salute perpetuo celebrentur & distribuantur, magnificus largitor ac liberalissimus dispensator nobis donavit.

Inprimis Missam quotidianam ad præcipuum hujus Capellæ altare per Capellanos hujus Capellæ & Clericos sibi deservientes, juxta conditiones & modos in literis super hæc confectis descriptos, perpetuo celebrandam, quam benefactorum Domus liberalissimus benefactor appellari voluit.

Instituit & ordinavit cuilibet Capellanorum prædictorum qualibet hebdomada summam trium solidorum Parisiensium, ac cuilibet Clericorum duodecim denariorum etiam Parisiensium distribui statuendo: quatuor etiam obitus solennes cum cappis, videlicet Diacono & Subdiacono, per totum Collegium, statim ante vel post jejunia Quatuor Temporum anni, in quorum quolibet de summa decem librarum Parisiensium deductis oneribus in talibus deduci debitis & solitis, cuilibet juxta taxam bursæ sibi institutæ portio distribuatur, statuit & ordinavit.

Deinde antiquiori Theologo formato Theologorum, antiquiori etiam legenti Sententias ac Submagistro Artistarum cuilibet eorum qualibet hebdomada summam duorum solidorum, nullum eis propter hoc onus præter preces adjiciendo etiam distribui voluit.

Residuum vero proventuum & redituum in commodum & incrementum librorum dictæ Bibliothecæ, atque alias in augmentationes Domus, ut in præfatis literis & in Missali Ecclesiæ ad plenum continetur, converti voluit: addens pro perenni concordia & pace proxima, ut si quid dubium super usu dictarum suarum institutionum oriatur, per Magistrum, Provisorem & tres antiquiores Theologos continuo determinetur.

Verum ut prædictæ institutiones, ac præcipue sacra Missarum solennia, per se, ut dictum est, instituta solennia alacrius & devotius celebrentur, & a fidelibus frequententur atque adjuventur, Sacerdotibus dictas Missas celebrantibus, & in fine Psalmum De profundis a se dici institutum cum Collecta dicentibus, quadraginta; assistentibus vero & Psalmum prædictum sic dicentibus, viginti dies Indulgentiarum contulit & donavit.

Insuper pro Capellæ sustentatione in quatuor solennitatibus annualibus, & in festivitatibus beatæ Mariæ, beati Ludovici hujus Capellæ Patroni, beati Ioannis Baptistæ & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, præsentem Ecclesiam visitantibus & de suis bonis eleemosynam largientibus, vel pro benefactoribus Domus orantibus, quadraginta; singulis vero diebus octabarum dictarum

festivitatum, viginti dies Indulgentiarum a reverendo in Christo Patre domino Episcopo Parisiensi impetravit.

Ne igitur tanti patris & benefactoru tanta acta & benefacta memoratu digna ignorantiæ nubilo perpetuo operiantur & pereant, hic extant breviter descripta. Desiperent enim, credi posset, hujus nostri sæculi literæ, si non memorarentur tantæ erogationis suæ, si non proponerentur tantæ beneficentiæ in decursu narrationis suæ, utpote qui susceptorum hic beneficiorum non indignus susceptor, non exhaustorum multiplicis ac singulariter cælestis doctrinæ fluentorum apud se tenax detentor aut avarus fœnerator, verum largus ac liberalissimus dispensator, quia eorum argumentis & mediis ad ingentium dignitatum culmina, ac perinde sæculi divitias evectus fuerat, horum non immemor primus & præcipuus inter compares, iisdem scilicet mediis provectos, sequacibus viam præbens, tanta exhiberet & donaret, ut ubi in exordio præmissum est, nec piget pro condigna sibi laude repetere, dum viveret, secundus ipsius Domus rite fundator dici mereretur & esset. Sequitur epitaphium rythmicum.

Funera quæ captat hinc felix urbs Cameraci,
Munera contrectat ejus venerandi Alliaci.
Hæc Domus, in qua auctus & tanto est schemate fultus,
Ut studiis clarus, claros superaret, adeptus
Ecclesiæ gradibus apicem usque ad Cardinalatus.
Quis non ingratus larga attulit, ut legis intus,
Exemplo exemplum dans ædem augereque templum,
Quem jam cum Sanctis ideo Deus adjice cælis? Amen.
Qui legis hic, claude, discedens claudere gaude,
Quo sic continuo stem quoque perpetuo.
Veritas vincit.

Est & in eadem Collegii basilica inscriptio alia, quæ sic se habet: *Memoria est reverendissimi in Christo Patris domini Petri de Alliaco, tituli quondam sancti Chrysogoni Cardinalis Presbyteri, Cameracensis Episcopi, hujus pridem Domus Præceptoris seu Magistri ac benefactoris amplissimi, cujus gesta atque legata in literis super his confectis atque tabellis suppositis continentur.* Hæc inscriptio conjuncta est imagini, quæ Petrum Alliacum veste Cardinalitia indutum repræsentat cum hoc illius lemmate, *Veritas vincit.*

Adjicio

Adjicio hic quæ in actis publicis Ecclesiæ Cameracensis extant: *Magister Petrus de Alliaco, Doctor Theologus, apud Compendium humili loco natus, per varios gradus conscendens, primum Parisiensis Academiæ Cancellarius, & Ioannis Gerson similiter Cancellarii Magister; item Capellæ Palatii regii Thesaurarius; deinde Cameracensis Ecclesiæ major Archidiaconus factus est & susceptus* XXVII. *Maii* MCCCXCI. *moxque a Pontifice maximo Benedicto XIII. ad Aniciensem Episcopatum promotus, & post sesquiannum ad Cameracensem Ecclesiam jam septem mensibus ab Andreæ de Luxemburgo decessu vacantem translatus initio mensis anno* MCCCXCVIII. *absens per Procuratores possessionem adeptus. Ipse sequenti mense Augusto ad eam venit, illique præfuit annis fere* XIV. *Demum a Ioanne XXIII. Pontifice maximo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni creatus est mense Maio* MCCCCXI. *In Germania inferiori pro Sede Apostolica legatione fungens moritur* IX. *Octobris* MCCCCXXV. *Exuviæ corporis sequenti mense Iulio Cameracum deportantur retro majus altare, & ibi conduntur.* Deinde paullo inferius legitur: *Epitaphium reverendissimi Patris domini Petri de Alliaco, Theologi Doctoris, quondam Episcopi Cameracensis.*

Mors rapuit Petrum, petram subiit putre corpus;
Sed petram Christum spiritus ipse petit.
Quisquis ades, precibus fer opem, semperque memento,
Quod præter mores omnia morte cadunt.
Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent,
Aspicis: hæc aderant nunc mihi, nunc abeunt.



S



CAPUT V.

Ægidius Carlerius sermones & christianas catecheses per varia loca instituit. Girardus Machetus ex Caroli VII. præceptore fit ei a sacris confessionibus, & infortunatum Regem sequitur. Joannes Gerso exanthlatis pro Ecclesia & religione laboribus infinitis, Lugduni moritur cum opinione sanctitatis.

ÆGIDIUS Carlerius adest, qui cathedras Ecclesiarum conscendit, nunc & sæpe Noviomi anno MCCCCXXV. nunc Lutetiæ anno MCCCCXXVI. nunc Atrebati anno eodem & MCCCCXXVIII. & MCCCCXXIX. vbi sermones habet, & catecheses christianas instituit.


Girardus Machetus infortunatum Regem sequitur, eique cum sit a confessionibus, aulam ad probatos mores informat. Joannes Gerso Lugduni degens, exemplo vitæ & piorum operum lucubratione latissimos circum se fines illustrat. Anno MCCCCXXI. Indulgentiarum materiam exponit, in Synodo concionatur. Anno MCCCCXXII. qua in re perfectio religionis sita sit, explicat: de perfectione cordis dialogum adjungit. Anno MCCCCXXIII. proponit Sophiam & Naturam, quæ de cælibatu Ecclesiasticorum disputent. Anno MCCCCXXIV. scribit de mystica Theologia, quæ in contemplatione versatur. Anno MCCCCXXVI. Professum inobsequentem scripto coercet. Anno MCCCCXXVII. personam induit animarum in purgatorio degentium, & pro iis apud amicos superstites conqueritur, & ad ferendam opem peculiari commentario hortatur. Anno MCCCCXXVIII. in Canticum *Magnificat* edit tractatus XII. & carmen vnum cecinit. Deinde anagogica de verbo & hymno gloriæ exarat. Postremo suum sub nomine Peregrini testamentum condit, & sancti Pauli basilicæ assignat certam quandam summam pecuniæ, qua per annos singulos illi

velut funerum justa solvantur. Anno MCCCCXXIX. certis quibusdam considerationibus comprehendit præcepta omnia, quæ ab Joanne Majore Ludovico Caroli VII. filio tradenda sibi videntur. Dignum est opusculum, quod in palatio Regum aureis characteribus describatur. Tum Cantica Canticorum interpretatur, & pensum hoc suum absolvit VII. Idus Quintiles, & IV. Idus easdem moritur, cum annum ætatis sexagesimum sextum impleret. Heic non ante manum tollam de tabula, quam publicum Amedei Lugdunensis Archiepiscopi testimonium de Gersone retulerim. Dedit ille in epistola, qua defuncti fratrem Lugdunensium Celestinorum Priorem solatur: *Noverat plene noster pius Pater, quod qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt; dixisseque libeat post tantos sæculi hujus honores, ubi primus pater almæ Universitatis Parisiensis re & nomine & merito existebat, ubi tantis rerum copiis & beneficiorum valoribus abundabat, pro veritate longum passus exilium, etiam in lingua quam non noverat, Apostolica fretus doctrina, scivit simul abundare & indigere, vicissque vitia & servasse virtutes, confutasse hæreses & plantasse veritates, in Christique gloriosa confessione & sua peregrinatione devote obiisse, martyrio non carere videtur. Multos namque Sanctos legimus & in catalogo Martyrum describimus, qui solum passi sunt exilia. Nec illud vos moneat, semper colende Pater, quod nodosas dissolvebat difficultates: & in hoc vobiscum conveniam, quod post se non reliquit similem sibi; sed in agro semper proficiens dominico, incessabili calamo scribens, posteris ambiguitates plurimas submovit, & scripta sua revolventium mentes elevavit, & per acumen eminentis sui ingenii tenebras fugavit. Non aliter primis Ecclesiæ temporibus pii homines mortui consecrabantur, & in Sanctorum numero ponebantur.* Sed notandum inprimis, quod Amedeus Gersoni duplicem lauream confessionis & martyrii concedat.

Adjungo quædam testimonia Girardi Macheti Castrensis Episcopi, qui variis in epistolis mss. de Gersone loquitur. Ex epistola XXIII. ad Joannem Bussiacum, Archidiaconum Briæ in Parisiensi Ecclesia, post initium: *Unde post diuturnam animi deliberationem statui & consensi conferre vobis locum bursarum Theologorum Collegii regalis Campaniæ,* (alias Navarræ)

super quo ministravi literas regias Provisori memorati Collegii deferendas & manualiter exhibendas. Recipe igitur pro primitiis donum istud gratuitum. Ingredere Domum illam sacratam meritis Patrum, in qua noster Ioannes de Gersonno felicis recordationis, cujus nomen gradu famam Domus ampliavit : qua in re admoneo te vt ressuscites famam ejus, imitator factus tanti Patris viri exemplaris & famatissimi. Ex epistola CCXXVII. ad Jacobum Ciresium : *Memini, domine & frater, nonnulla olim communicasse vestræ devotioni super hac re devotissima, quæ compilavit devotissimus ille ad beatum Ioseph digne memorandus Cancellarius Parisiensis.* Ex epistola CCXCII. ad Girardum Comitem Blanchrenchensem : *Postulat a me devotio vestra super meditatione exitus ex hac mortalitate transmittam. Plurima, pater & frater, inveniuntur pulcre & diserte in hac re conscripta. Verum, vt ad pauca redeam, quia in paucis via magis accommodus & perutilis visus est tractatus piæ recordationis defuncti domini Cancellarii Parisiensis, quem testamentum Peregrini appellari ita voluit, apud vos, vt arbitror, non ignotum mecum & jugiter defero, & communicans omnibus qui diligunt opera ejus. Super quo dum hic dies ageret, olim mihi scripsit omnia & similia verba, necdum ad intellectum vsque, imo & affectum interiorem persensisse, quemque transmitto vestræ devotioni, & sufficere judico, vt satisfiat desiderio vestro.* Ex epistola CCCXIX. ad Herveum Novavillam : *O vtinam liberet interesse, vos videlicet cum illis, qui supersunt Deo miserante nomine Theologicæ Facultatis, quam vivens & moriens dolebat ita deficere sacratæ memoriæ dominus meus, olim Cancellarius Parisiensis, dominus Ioannes de Gersonno, pater multorum viventium & mortuorum, quem beatum spero & felicem in deliciis cælestium gaudiorum, cum illis qui cum ad justitiam multos erudierint, effulgent sicut sol in perpetuas æternitates.* Ex epistola CCCXXVI. ad Priorem Castrensis Ecclesiæ : *Ut aperte confabuler vicariis literis, quia voce tenus nequeo, disposui omnem doctrinam elevatissimam illius viri, cujus memoria in benedictione est, duobus in locis velut super candelabrum reponere, in Collegio scilicet regali, vbi alitus & magistratus, & in libraria Parisiensis Ecclesiæ, in qua beneficiatus & honoratus.* Hæc ille in epistolarum codice ms. qui in Bibliotheca sancti Martini Turonensis asservatur.

Ut in ore trium testium stet verbum istud quod de Gersonis sanctimonia proposui, adjungam fragmentum epistolæ, quam Lugdunenses Canonici ad Christophorum Basiliensem Episcopum dederunt: *Reverendissimæ dominationis vestræ epistolam magna devotione & tersa facundia refertam accepimus.* Et post alia: *Est profecto ejus* (Joannis Gersonis) *doctrina sana, clara, salubris & devota, & inter ceteras ad pellendos animi morbos aptissima vsque adeo, vt jam christianissimus Doctor divus Gerson passim nominetur. Erectum est in divi Ioannis Gerson decus & laudem devotum Sacellum, vbi super altare ejus imago depicta est, magnusque populi concursus pro obtinenda divina ope affluit, & plurimi se adjuvari beati Ioannis Gerson precibus prædicant & fatentur. Ista est quæ apud nos vulgatur de divo Ioanne Gerson clara & celebris fama. Frater Laurentius Theologus Parisiensis, Ordinis Carmelitarum,* (Sistaricensis Episcopus & Regis Confessor) *aliqua carmina in beati Ioannis Gerson laudem scripsit, quæ altari suo juncta sunt.* Et post alia: *Nomen & virtutum præstantiam, dotes & doctrinam Ioannis Gerson semper commendavit, & Regem Carolum VIII. vt Capellam ædificaret, suo suasu impulit. Omni ingenio, studio, industria & labore apud Christianissimum Regem dat operam, vt habita sufficienti informatione de vita, moribus, patientia & doctrina, inter divos canonizatus adscribatur.* Ceterum si vellem alia quæ passim occurrunt apud auctores de Gersone testimonia coacervare, magnitudinis justæ librum conficerem.





CAPUT VI.

Guillelmus Evrardus seu Erardus, Artistarum Magister, Basiliensi Concilio, Gallicanæ Nationis; Joannes Pulcripater & Dionysius Sabrevosius, Academiæ nomine intersunt, & variis a Concilio vel a Juliano Cardinali Præside legationibus honestati, quibus adjungitur Martinus Berruerius. Girardus Machetus, vt Joannes Chuffardus Cancellarii Parisiensis munere se abdicet, laborat. Clamengius migrat & commendatur. Carlerius fit Cameracensis Decanus, & in Concilio respondet articulo II. *Boemorum.*

ANNO eodem MCCCCXXIX. exeunte mense Octobri, lectus est Guillelmus Erardus Artistarum Magister, qui Gallicæ Nationis nomine generali Concilio interesset. Post annum MCCCCXXX. ex insignibus Gersonis discipulis supersunt Clamengius, Machetus, Carlerius. Post mortem Gersonis inter plures de officio Cancellarii lite disceptatum est. Qui minus causam obtinere debuit, obtinuit Joannes Chuffardus: huic amicus erat Guillelmus Brisso, quem Machetus auctorem & hortatorem esse vellet, vt Chuffardus munere tanto sese abdicaret. Sic Navarræ Sodales ad honoris Academici custodiam advigilant: idque quo amore & studio fiat, docet Macheti epistola XXXVII. quæ talis est. *Affluentis doctrinæ & caritatis ignitissimæ viro fratri Guillelmo Brissonis patri & fratri toto dilectionis affectu. Urget animum meum & non parum sollicitat hanc pagellam dictare zelus & ardor amoris, quem debeo sacræ Facultati Theologiæ, imo almæ parenti, quæ nos ambos genuit & aluit in sinu suo, Studio scilicet Parisiensi. Nosti, amantissime frater, quam necessarium sit officium Cancellariæ Parisiensis, quæ totum pondus Gymnasii Scholastici super se gerit, & potissime certamen-*

illud sacratissimum Theologici examinis, ad quod ferendum & debite exercendum exercitatissimus Theologiæ Professor vix sufficeret. Unde hac consideratione permotus, sæpenumero adhortatus sum Magistrum Ioannem Chuffard vestræ caritati amicissimum, ut præfatum officium Cancellariæ quod occupat, in manus vestras aut alterius Professoris resignaret. Qui quidem respondit, se elegisse personam vestram ad tam pium & necessarium opus exercendum: laudavi animum ejus, verum permultum tardat id exequi & opere adimplere tam desideratum. Qua in re per amorem & honorem quem debemus matri communi nostræ, festinate & nolite tardare sarcinam istam tam laudabilem, tam fructuosam, tamque opportunam & necessariam super humeros vestros ad hoc idoneos & aptos inferre. Hoc pia mater ipsa jure matris totis votis expostulat. Hoc necessitas exigit, & officium illud summopere desiderat, imo languorem patitur pro tardatione desiderii sui. Parcite, frater, zelo qui me urgentius stimulat, sed & caritas Christi me compellit, in qua vale mei semper memor in orationibus & suffragiis ad Deum. Hic Brisso ad quem Machetus scribit, ex alumno Navarræ Gymnasio excesserat, Prædicatorum Ordinem ingressurus, antequam ullum in Theologia gradum assequeretur; sed eum fuisse non gradu quidem, sed merito Doctorem, Machetus aperte significat. Sed majus est, quod ab ardentissima caritate commendetur.

Præter Guillelmum Erardum lecti sunt alii Sodales duo Theologi, Joannes Pulcripater & Dionysius Sabrevosius, qui pro Academia in Basiliensi Concilio legationem obeant. Id testantur & Gallicanæ Nationis & Concilii acta, quæ annis MCCCCXXXI. XXXII. XXXIII. & insequentibus consignantur. Extant Basileæ scriptæ ab Erardo plures epistolæ, quibus Nationem illam subinde admonet de rebus in Concilio gestis.

Nonnullæ sequuntur illius epistolæ, quibus quæ geruntur in Basiliensi Concilio, significat Gallicanæ Nationi.

Prima est:

Spectabiles & honorandi Magistri. Noverint Dominationes vestræ die Mercurii præterita in generali Congregatione Concilii, citationes decretas contra omnes ad generalia Concilia venire obligatos de jure, aut consuetudine, etiam contra Cardinales & Do-

minum Apostolicum, (scilicet Eugenium IV. qui Basileam ire-nolebat) *ipsi tamen prima summatione præmissa, nec desistere intendimus ab hac dicta prosecutione, usquequo res Ecclesiæ in melius fuerint dispositæ, & agenda propter quæ convenimus, prosecuti juxta vires fuerimus. Scripsimus almæ Matri Universitati per Delatores Rotuli, Petrum de Credulio, Iacobum Hocheti & Thomam de Courcellis, qui abhinc recesserunt præterita die Mercurii, & denuo per præsentium Delatorem rescribimus. Perpendimus, egregii Magistri, plurimorum Cardinalium & pene omnium Aulicorum animos ad hanc celebrationem inclinatos, & maxime voluntarios, quoniam quotidie necessitates imminentes percipiunt. Hic autem fama crebrescit Dominum nostrum Concilium hoc in pleno Consistorio reformasse, & duos Cardinales, Novariensem & Bononiensem pro se transmittere. Similiter cœtus Cardinalium dicuntur duos destinare, quod nondum plene agnoscimus; sed sit hoc, aut non, Synodus hæc sacra non dubitat habere progressum. Hac hebdomada venturi sunt illustrissimi Ducis Burgundiæ Ambassiatores, qui sæpius rescripsit se irrevocabiliter huic sacro Concilio velle adhærere, & pro ejus continuatione per se & per suos confœderatos efficaciter laborare. Unde & serenissimo domino nostro Regi enixissime rescribit, quod huc celeriter pro parte regni Franciæ transmitteret Oratores & Prælatos, ut opus esse animadvertit, & literarum copias nobis transmisit. Similiter scribit Imperator aliis Regibus & Principibus, & Prælatis qui sunt sub Imperio, imponit pœnam perditionis feudorum quos tenent ab Imperio. Nunc est in Parma cum octo millibus armatorum, mox iturus Romam per Lucam & Senas, ex quibus augebitur sua societas. Sæpenumero spopondit usque ad mortem per se & suos hoc Concilium defensare & protegere, & nequaquam coronam a Domino Apostolico recipere, si non foverit & juverit præsens Concilium. Cætera Dominationibus vestris, cum evenerint & cum opportunitas Nuncii aderit, ut decet vestrum Oratorem, notificabo. Me & mea agenda vestris caritatibus committo. Labores & expensas graves sine stipendiorum solutione agnoscitis; succurrite, quæso, vestro alumno ad omnium vestrum obsequia paratissimo; ille autem sit vestra merces in æterna gloria, cujus & suæ sponsæ Ecclesiæ honorem & exaltationem hic quærimus, D.* JESUS-CHRISTUS. *Scriptum Basileæ* XXI. *Aprilis. Vester alumnus*

nus Guillelmus Erardi ad generale Concilium Basileense Legatus.

Altera est:

Post longam animorum nostrorum fluctuationem, quorsum Bohemicum Regnum declinaret, tandem nudiustertius per Legatorum præsentis Concilii vocalem relationem & literarum Oratorum dicti Regni sigillis trium Statuum munitarum exhibitionem, lætantes percepimus eorundem reductionem Spiritus sancti directione in brevi futuram. Nempe perversis plurimis eorum assertionibus & novis adinventionibus rejectis ad quatuor duntaxat articulos, informari in præsenti Synodo auditis eorum rationibus & allegationibus se determinarunt, quos latius referabit præsentium lator egregius Magister Ioannes de Riparia, qui dictorum Oratorum Concilii relationibus interfuit. Vestræ devotionis, si placet, erit pro tam fructuosa reductione divinam clementiam suppliciter exorare, & ad id ipsum cæteros inducere. Equidem eorum adventus præter dicti Regni fidelem reconciliationem, ad omnium statuum Ecclesiæ reformationem plurimum erit fructuosus. Namque inter cætera petunt quod possint libere in plena congregatione vitia & abusus Ecclesiasticorum, neminem nominando detegere, & super his remedia postulare, ad quæ maxime afficimur: quoniam hæc, ut judicamus, clades bellicas & plurimas divinas vindictas demeruisse censentur. Iam non datur locus diffugii, quin huc accedant omnes Prælati Regum, Principum, Universitatum & Capitulorum Legati, cum hic agatur de catholica fide & morum necessaria reformatione, sine quibus impossibile est placere Deo, & pro quibus tenetur quisque fidelis etiam usque ad mortem laborare. Spectabiles Magistri, ultra modum miramur, cur nondum pecunias recepimus: grandem habuimus fiduciam de nostra solutione in adventus Magistri Nicolai amici qui nondum rediit; sed spes quæ differtur, affligit animos. Hoc autem speciale unum habeo refugium, vestrum implorare adjutorium, ut omnibus pene meis consumptis pro honore Dei, Ecclesiæ & vestrum fideliter laboranti subvenire benignius velitis, aut gratuito dono, quemadmodum sæpenumero fecistis, vestris alumnis, aut sub hypotheca meorum stipendiorum per Universitatem solvendorum. Sicut equidem grande opus misericordiæ feceritis, & honorem vestrum conservaveritis, & tandem, ut exopto, æter-

nam gloriam recipietis. Scriptum Basileæ 11. mensis Iunii. Vester alumnus Guillelmus Erardi ad generale Concilium Basileense Legatus.

Tertia :

Nuper memini vestris dominationibus reverendissimis statum præsentis Concilii per egregium virum Magistrum Ioannem de Riparia literis notificasse, post cujus abscessum destinavit præsens Synodus solennes Ambassiatas ad Regnum Angliæ & partem adversam, super adhæsionibus, favoribus & auxiliis præstandis, Prælatis & legationibus mittendis, ac sollicitatione & inductione tranquillitatis & pacis in Regno Franciæ, in quibus sunt Episcopi, Abbates, Doctores, ac alii magnifici viri. Ad Dietam Autissiodorensem mittuntur Episcopi Augustodunensis & Gebennensis, & unus Doctor in utroque Iure Auditor Curiæ Romanæ, vir utique excellentissimæ scientiæ & magnæ eloquentiæ. Aliæ autem disponuntur Ambassiatæ, una ad Hispanias, alia ad Regna Daciæ, Gotiæ & Norvegiæ, tam pro bello periculosissimo illic vigente sedando, quam pro Prælatis habendis dictorum Regnorum: tertia ad Bavariam procuratura pacem, aut longas inducias inter Duces Bavariæ Ludovicum fratrem Reginæ & Henricum; juxta quorum dominia migraturi sunt Bohemi, huc lapso pauco tempore accessuri. Hodie nempe decretus est salvus conductus. . . . . . Per eos & nostros Oratores conventum illico eisdem mittere. Ejus copiam & cæterorum articulorum in hac quarta Sessione publicatorum vobis mittere nequivi ob celerem recessum præsentis Nuncii. Concernunt reformationem generalem Ecclesiæ & electionem summi Pontificis, si & quando vacare Sedes contigerit, extra locum Concilii nullatenus faciendam. De his latius alias informabimini. Legati Domini nostri, duo Archiepiscopi, unus Episcopus & alius Auditor, huc feruntur affore intra sex dies. Æstimant aliqui quod pro bono Concilii citationes decretæ per Oratores domini Imperatoris in personis Domini nostri & Cardinalium sunt executioni demandatæ; & jam aliqui venissent, si fuissent præmissi. Domus tamen sunt receptæ pro dominis Bononiensi & sancti Eustachii, eorum arma affixa; & duo Doctores ab eisdem præmissi. Præterea Cardinalis sancti Petri visus est in Viterbio huc accessurus; sequentur cæteri nacta opportunitate, quidam amore, alii timore ducti, quippe major est orbis urbe. Ce-

terum percelebres Magistri, etsi grates exolvere dignas non sit meæ parvitatis; attamen de viginti saluciis mihi super stipendiis meis commodatis, quas valeo ex intimis gratias refero Dominationibus vestris, me & mea agenda supplicans haberi specialiter commissa, paratus juxta vires cuilibet vestrum rependere vices, cupiensque recreari scriptis vestrarum Dominationum quas conservet prospere & dirigat feliciter sacrorum Conciliorum protector & director Spiritus sanctus. Scriptum Basileæ XX. Iunii. Vester alumnus Guillelmus Erardi ad generale Concilium Basileense Legatus.

Ludovicus Baillius has epistolas describit in libro Procuratorum Gallicanæ Nationis.

Sub istud tempus migrat Nicolaus Clamengius, vir vita innocentissimus, ingenio florentissimus, animi vigore acerrimus, proposito sanctissimus, fortuna tenui contentus. Inscriptio sepulcralis hæc materiam continet, quæ conficiendis pluribus panegyricis sufficeret: *Qui lampas Ecclesiæ fuit, sub lampade jacet.* Centum abhinc annis fuerunt inter heterodoxos, qui abusi sint libro quem de corrupto Ecclesiæ statu composuit. Fuerunt inter orthodoxos, qui abusum hunc graviter reprehenderint; sed fuerunt etiam inter postremos, qui heterodoxis creduli damnarint: gratis quidem & sine ratione, quæ ex moribus vel statu, in quo tunc erat Ecclesia, vel ex auctoribus illius temporis petatur. Recentes calumnias diluerunt Parisienses Theologi duo, Jacobus Severtius & Nicolaus Coeffeteus: hic in examine & responsione ad Philippi Mornæi Mysterium Iniquitatis; ille in Antimartyrologio suo. Ad cumulum accedunt nonnulla de Clamengio scriptorum inter Catholicos illustrium testimonia. Ii sunt, Joannes Juvenalis, Ursinus in Historia Caroli VI. *Nicolaus Clamengius, Magister insignis & orator bonus, scripsit epistolam quæ Regi grata & accepta fuit.*

Joannes Trithemius in libro de scriptoribus Ecclesiasticis: *Nicolaus de Clamengis Archidiaconus Bajocensis, vir in divinis Scripturis eruditus & nobiliter doctus in secularibus literis, metro excellens & prosa, in Gymnasio Parisiensi magisterium sacræ Paginæ consecutus, magnam eruditionis suæ evidentiam*

dedit. Scripsit utroque stilo multa præclara volumina, quibus luculentissimi ingenii sui memoriam reliquit. His voluminibus illud accenset, quod inscribitur *De corrupto Ecclesiæ statu.*

Joannes Vatellus, celebris apud Parisiensem Academiam Professor, in præfatione quorundam Clamengii operum, quæ anno MDXXI. Lutetiæ curavit imprimi: *Clamengius ille Theologicas literas ut præclarissime erat edoctus, ita Theologicam vitam integerrime semper egit.* Et post alia: *Verumenimvero res multas præclaras posteritati suæ reliquit, iisdemque memoriam sui quam maxime longam effecit, quas sane vel ævi situ squallidas, vel injuria temporum neglectas annum supra centesimum delituisse, unicuique & pio & erudito molestissime ferendum est.* Ad calcem editorum operum: *Hactenus facunde & feliciter Clamengius, cui id Schola Parisiensis debet, quod Latine scribat, atque ita Latine, ut Latine in suis Theologicis nemo ad hanc diem magis sit amplectendus, itaque vel hoc nomine ac sedulo revolvendus.*

Joannes Ravisius Textor, vir in paucis apud Academiam nominatissimus, in elogio Joannæ Reginæ, quæ Collegium Navarræ instituit: *Nicolaus de Claminges Regum & Principum delinquentium censor & objurgator.*

Leonardus Saracenus Parisiensis Theologus, in Missali Lugdunensi quod anno MDLVI. edi curavit, ibique probat, *gravissimis testimoniis trium scriptorum Agobardi, Bernardi & Nicolai de Clamengis retinendos esse antiquos ritus & ceremonias: qua de causa Nicolaus Clamengius Theologus Parisiensis in sacris & secularibus literis eruditus priorem Ecclesiasticum ritum restitui cupiens, Constantiensi Concilio circa annum salutis nostræ* MCCCCXV. *tractatum de novis festivitatibus non instituendis dictabat, ex quo exhausta sunt quæ sequuntur.*

Jacobus Meierus in Annalibus: *Adscribam verba Nicolai Clamengii Archidiaconi Bajocensis, qui in libro suo* De corrupto Ecclesiæ statu, *sub ejusdem schismatis tempora edidit, hunc in modum loquitur.* Deinde alio in loco: *Vixit hoc tempore Nicolaus Clamengius Archidiaconus Bajocensis, qui de corrupto statu Ecclesiæ libellum scripsit plane aureum.*

Claudius Espencæus Parisiensis Theologus, libro I. Digressionum in epistolam primam ad Timotheum cap. XI.

Nicolaus Clamengius nostras, id est, Catalaunensis, Navarræ itidem Parisiis Theologus, ubi etiam sub lampade quiescit clarissima Concilii Constantiensis lampas. Espencæi testimonium eo est gravius, quod ille male habitus fuerit ab iis qui suo tempore a nobis seorsum per religionem sentire cœperunt. Unus instar omnium erit Theodorus Beza in vita Joannis Calvini: *Quod non minus putidum mendacium*, inquit, *quam si* (Calvinus) *Romæ Papa fuisse diceretur, ausus est rapsodus ille Sorbonicus* (id est, Parisiensis) *Claudius Suspensa maledicentissimo quodam libro inculcare.*

Claudius Sanctesius Parisiensis quoque Theologus, Repetit. x. cap. IV. *Inter Doctores* (Concilii Constantiensis) *quasi lumen emicabat insignis vir Nicolaus de Clamengis, Archidiaconus Bajocensis, vir emunctæ naris in notandis erroribus & abusibus, qui etiam librum de corrupto statu Ecclesiæ edidit.*

Gilbertus Genebrardus Parisiensis etiam Theologus, lib. IV. Chronographiæ de viris tunc illustribus: *Nicolaus de Clamengis Doctor Parisiensis, qui de corrupto Ecclesiæ statu scripsit.*

Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis: *Nicolaus de Clamengis insignis Doctor Theologus Parisiensis, liberiori tractatu, quem composuit de corrupto Ecclesiæ statu, dolet vehementissime, quod ita Clemens VII. se servum servorum Gallicis Principibus adjecisset, ut eas ferret etiam ab aulicis injurias & contumelias, quas vix deceret in vilissimum mancipium dici.* Rursus alibi: *Fuit hic auctor egregiæ literaturæ magnique nominis, & magnum præ se tulit reformationis morum, qui eo tempore in omni hominum conditione depravatissimi erant, pacisque Ecclesiæ ac Principum desiderium.*

Verumenimvero ne sint hæc omnia, mihi sufficerent quæ obtrectatori cuidam Clamengii opposui in Dissertatione de auctore operis de Imitatione Christi, prima parte cap. I. editionis III. Clamengius nullum habuit reprehensorem, quo tempore suum de corrupto Ecclesiæ statu librum in lucem Ecclesiæ conspectumque Constantiensis Concilii dedit. Porro nullum tunc habuisse reprehensorem, certum laudationis genus est, quod nec Plinius, nec Nazarius, nec Pacatus, nec Eumenius, nec Ausonius, nec Sidonius, nec

Ennodius, nec vllus tandem primæ, mediæ, postremæ ætatis encomiastes attingeret. Quid Clamengius, inquit obtrectator, ex defectibus aut deformationibus aliquot Religiosorum materiam arripuit in omnes invehendi? cur ergo Concilium Constantiense tacuit? cur tot Abbates & Religiosi viri tacuere, quot versabantur in Concilio? cur adversus Clamengium non strinxit calamum vel vnus ex infinitis Monachis aut monasteriis, quæ tunc Germaniam, Galliam, Angliam, Hispaniam, Italiam, Siciliam, Hungariam, Poloniam & interjacentes vbivis locorum insulas occuparent. Profecto id ita factum esse a Clamengio, quemadmodum vir doctus affirmat, dici non potest sine injuria gravi Constantiensis Concilii, quod facinus tantum haud inultum reliquisset. Quare cum omnes Monachi siluerint tam pertinaciter, intentique Clamengii scriptis buccam presserint, Clamengium pauciora dixisse adhuc quam fortassis dici potuerint, non sine probabilitate quis conjiceret? Quid autem hac in re valeat, quidve ferat contumax Monachorum silentium, aliorum arbitrio permittimus. Hactenus de Clamengio.

Hic inferenda est epistola CCCLII. quam Girardus Machetus Castrensis Episcopus *integerrimæ amicitiæ & famæ percelebris domino Ioanni Cadart, domino & fratri jugi memoria percolendo* scribit: *Audivimus non sine admiratione vos recepisse in Collegio Theologorum Magistrum Iacobum Olearii in locum defuncti Magistri Caroli de Turcis, virtute literarum de data anni* XXXVI. *Satis leviter id egistis, me non consulto, videntes datam antiquiorem collationis; sed memor sum quid egerim hac in re. Contuli, fateor, dudum locum bursarum memorato Magistro Iacobo. Postmodum autem videns, quod nimium tardaret possessionem recipere, monui patrem ipsius summando & recommendando, vti filium suum hortaretur intrare Collegium, quo pacto dono frueretur regiæ liberalitatis, addensque nisi id faceret, alteri providerem. Volens autem complacere patri jam fati distuli. Qui dum tardare visus est, motus conscientia & videns eum non curare, dedi locum prædictum Magistro Guillelmo de Montehamelon, per hoc intendens privare memoratum Iacobum dono & loco bursarum Magistri Caroli de Turcis. Hæc omnia memoriter teneo, nec adeo hebes*

sum, vt a memoria exciderint. Hæc vobis notifico & certiores reddo; vnde & vos credere fas est verbis meis & intentioni meæ. Sed nec puto, Magistrum illum Iacobum jus habere, nisi dono recentiori conferatur. Volo autem, mando & ordino auctoritate qua fungor in hac parte, vt manu teneatis in possessione Magistrum Guillelmum Allegreti in ordine & loco Magistri Caroli de Turcis, & Magistri Guillelmi de Montchamelon. Hanc meam intentionem intimabitis Magistro Iacobo Olearii, & alibi vbi opus fuerit; & cavete ne offendatis me, quia remedium paratum est.

Ægidius Carlerius, qui per ea tempora factus est Cameracensis Ecclesiæ Decanus, magna cum eruditionis laude Basiliensi Concilio interfuit, ibique, vt ait Possevinus, respondit per quatriduum ad articulum II. Boemorum, *De corrigendis peccatis*, quem proposuit Nicolaus Taborita. Orationem, qua respondit, succi plenam appellat. Hæc edita est in appendice Basiliensis Concilii. Unus fuit ex iis Doctoribus, qui Pragam missi sunt a Concilio, vt Boemos ad communionem Ecclesiæ reducerent. Ipse testis est sibi in tractatu manuscripto quem de communione sub specie panis vnica conscripsit. Aderat Martinus Berruerius, qui orationem ad Clerum & Pragensem Academiam habuit. Cochlæus lib. VI. Hist. Hussitarum.

Anno MCCCCXXXV. Simon Frero Simonis Archididascali nepos Concilio gnavus & industrius probatur. Is erat Ambianensis Canonicus & formatus in Theologia Baccalarius. Hinc ad Constantinopolitanum Imperatorem, inde ad Eugenium Papam Legatus mittitur, vt ad sanciendam Græcos inter & Latinos concordiam impellat.

Hoc eodem anno Joannes Pulcripater & Dionysius Sabrevosius diversa ratione missi sunt Legati a Juliano Cardinali, qui Concilio præerat. Pulcripater ad Eugenium IV. vt huic nunciaret, Basileæ non sine magno temporis intervallo Concilium celebrari posse. A Concilio vterque, Pulcripater & Sabrevosius, vt ineundæ inter Regem Franciæ & Burgundiæ Ducem pacis consilia tractarent. Primum ex his duobus Eugenii Bulla tertia, quæ sessione XVI. refertur, confirmat; alterum appendix Concilii.

Sic in obeundis legationibus Navarræ Sodales claruerunt Guillelmus Erardus, Ægidius Carlerius, Simon Frero, Martinus Berruerius, Joannes Pulcripater & Dionysius Sabrevosius, pro instituendis in Theologia Disputationibus. Unus suffecisset Carlerius, quem Girardus Machetus Castrensis Episcopus in suis epistolis nunc *plurimæ virtutis & lucidissimæ sapientiæ virum in sacris eloquiis Professorem emeritum*, nunc *Magistrum multis laudibus efferendum, sacratissimorum dogmatum Professorem*, nunc *abundantis sapientiæ & exemplaris vitæ virum* appellat.

Anno MCCCCXXXVIII. apud Bituriges habitum est Concilium, cui academicæ partes singulæ Legatos destinarunt, Facultas Theologiæ Radulphum Portam Decanum suum, Navarræ Archididascalum: Francica Natio Simonem Bergerium, quem Clamengius suis epistolis illustrem reddidit. Nam ad Bergerium scripsit duas, quæ nondum juris publici factæ sunt.

Hoc anno aut sequenti MCCCCXXXIX. Archididascalus vitam cum morte commutavit. De quo sic Machetus Castrensis Episcopus epistola CCCIX. ad Herveum Novavillam Theologum: *Quærit scire & audire & certo cognoscere sollicitus amor, si superstites viverent in hoc sæculo viri tres, utique recordatione dignissimi Magistri, Radulphus de Porta, M. de Bru, & Ioannes de Roie, nostri olim Consodales & Conscholastici, quorum memoria in benedictione est. Primus & tertius in Concilio & Congregatione sanctorum Patrum, Synodum loquor Basiliensem, decertant assidue & perfortiter, uti pugiles athletæ doctissimi, pro fide orthodoxa ac moribus in melius reformandis.*

Hoc anno Joannes Mercator Collegii Provisor obiit rite, & in ejus locum suffectus est Stephanus Clamengius, ut regiæ literæ testantur: *Carolus Dei gratia Francorum Rex dilectis nostris Magistro ejusque Scholaribus Studii Domus nostræ Scholarium Campaniæ, alias Navarræ Parisius, salutem. Nos officium Provisoris dictæ Domus; quod nuper obtinere solebat Ioannes Mercator ad præsens vacuus per ejus obitum, aut alias quovismodo dilecto nostro Stephano Nicolai, alias de Clamengiis, in Artibus Magistro, pietatis intuitu contulimus & conferimus, per præsentes vobis*

vobis & vestrum cuilibet mandamus, quatenus ipsum Stephanum Nicolai ad prædictum officium admittendo, ipsum in ejus possessionem corporalem, realem & actualem, juriumque & pertinentiarum universarum ejusdem ponatis & inducatis, seu poni & induci faciatis; de fructibus & reditibus, juribus & emolumentis universis ad idem spectantibus, ab omnibus quorum intererit, integre responderi faciatis, statutis & consuetudinibus prædicti Collegii in omnibus servatis, adhibitisque solennitatibus in talibus assuetis. Datum Turonis die XX. *mensis Novembris anno Domini* MCCCCXXXIX. *& regni nostri* XVIII. *Sic signatum per Regem ad relationem Confessoris Gerardi Machet, & in cauda, Episcopi. Castrensis Episcopus.*

Prætermittendum minime fuit hoc collati juris diploma, quod ex actis Curiæ Rationalium Parisiensium descripsi. Ex eo intelligitur quomodo literæ, quibus Rex locum in suo assignabat Collegio, exararentur.

CAPUT VII.

Guillelmus Evrardus seu Erardus fit Archididascalus. Abrincensis Episcopus & Sanvictorianus Abbas in beati Ludovici festo sacrum faciunt. Petrus Vaucellus Evrardo succedit. Castrensis Episcopus Collegii gubernator ad diversos scribit epistolas quæ recensentur. Adolescentis ad miraculum & supra fidem eruditi historia. Quæstio de tribus rebus ad Bursarios & non Bursarios spectantibus habetur.

RADULPHO Portæ successit Guillelmus Evrardus seu Erardus, vtrumque ita scriptum reperitur. Vir erat notæ minime vulgaris. De eo jam incidit mentio, cum sermonem institui de legationibus quas pro Natione Gallica in Basiliensi Concilio summa cum laude obiit. Ad hoc magisterium Domus per omnes illius ordines & gradus ascendit. Anno MCCCCXL. Andreas Abbas sancti Victoris ad

V

Lutetiam fit Hofpes Collegii, & anno proximo beati Ludovici feftum agit & facris operatur.

Anno eodem aut circiter Machetus Caftrenfis Epifcopus ad Parifienfem fcribit in gratiam Guillelmi Pomerii, qui Artiftarum Gymnafio præfectus erat. literæ fic fe habent: *Reverendiffime in Chrifto Pater & domine percolende filiali recommiffione præhabita, poft abfceffum reverendæ veftræ paternitatis ab vrbe Aureliana acceffit ad me Magifter Herveus de Frefnoy, qui inter cetera mihi intimavit finceritatem affectus & dilectionis, quam ad meam exiguitatem gerit veftra reverenda paternitas, offerens, quod fi quem haberem animo & corde recommiffum in caufa beneficiali, fecure & fidenter notificarem. Hac fpe fretus aufum cepi veftræ paftorali follicitudini recommittere vnum Parifienfem Magiftrum in Artibus & Baccalarium formatum in facris literis in proximo Iubilæo licentiandum, virum fcientia & moribus adornatum, quem vtpote ob plurimas ejus virtutes & merita non pauca præpofui in Magifterio Artiftarum Collegii Campaniæ, alias Navarræ, qui nominatur Guillelmus Pomier. Illum veftræ reverendæ paternitati totis præcordiorum affectibus recommitto, grates multimodas refundens fuper oblatione per memoratum Magiftrum Herveum facta. Habetis, Pater, viros Theologos in civitate veftra Parifiaca, illos, fi quid valent, habetote fingulari affectione commendatos, quia digni funt. Veftram reverendam paternitatem longæve valere & pervalere videam, vt opto, Domino annuente.*

Circa annum MCCCCXLIII. Machetus Caftrenfis Epifcopus, *digniffimis divinæ fapientiæ viris Magiftro Guillelmo Evrardi ac ceteris Theologis Collegii Campaniæ, alias Navarræ,* fcribit, eofque monet, Regem Martino Chaboto Turonenfis pagi burfas contuliffe, qui & illo anno in Collegium admiffus eft.

Huc fpectant literæ, quibus Caftrenfis Epifcopus Guillelmum Evrardum Stephano Delphinatus Præfidi commendat: *Viro honorando, Iuris Legumque perito, domino Stephano Præfidenti Delphinatus, domino & fratri cariffimo. Etfi fcio, reverende in Chrifto Pater & amantiffime domine, apud vos non egere precibus feu commendatitiis epiftolis illos, quos affectu geritis, quofque melius propria commendant merita: vrget tamen*

caritas, cui morigerare fas est, commendare hac literula Magistrum Guillelmum Evrardi, qui principalis Didascali officio fungitur in Collegio Campaniæ, cujus administrator sum immeritus: nominatus est, ut audio, præfatus Magister ad unam collationem, sperans provisionem a vestra provida paternitate recipere. Illum, si quid preces exiguæ valent, paternæ vestræ caritati vicariis his literis recommitto. Valeat ævo longiore vestra paternitas juxta desiderium animæ meæ, Paris.

Anno MCCCCXLV. Martinus Abrincensis Episcopus beati Ludovici officium celebrat, Guillelmus Vezeliacensis Abbas concionem habet. Circa hæc tempora Guillelmo Evrardo in regimine Collegii succedit Petrus Vaucellus, qui anno MCCCCXLI. primus ordinis sui Theologus renuntiatus est. Castrensis Episcopus epistola CCXV. ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ beatissimi Martini Turonensis, in qua loquitur de morte Reginaldi Suessionensis Episcopi, de consecratione Joannis successoris & de magisterio Vaucelli ita scribit: *Inter cetera confabulationis novissimæ verba prædicebat velocem exitum suum ex hac peregrinatione, prædicabat populo suo, arenosus erat, ut mihi familiariter enarrabat. Consecratus est Magister Ioannes Mileti successor ejus, Bursarius Collegii nostri. Per vos, ut audivi, transiit Magister Petrus de Vaucello, cui magisterium Theologorum Rex contulit.* Vaucellum in epistolis passim prædicat, & *clarissimæ eruditionis & divinæ sapientiæ virum* appellat.

Sub istud tempus Castrensis Episcopus scribit ad Magistrum Jacobum Ciresium, quem *stabilitæ virtutis & ignitæ caritatis virum* nominat. His in literis certam quandam Collegii disciplinam ita confirmat: *Viri fratres in caritate dilecti, accepi vestræ fraternitatis pagellam ex Parisius de X. Martii recommendantem cum affectu personam Magistri Marcialis Ianillaci. Præventus sum pro aliis, veniet hora ejus, quando voluerit Dominus. Quoad illos duos Ioannem du Bochet & Ioannem Cordis, non satis capio mentem vestram. Scribis, & hoc dixi vobis, Magister noster, quod dum vacat locus in Artistis aut Theologis, ascendere debet de jure & tenore statutorum sufficientior Grammaticus, etiam sine literis novis. Nolo augere numerum Artistarum. Audio unum locum vacantem in Artistis per recessum*

Matthæi Grangier, de quo scripsistis. Ascendat ergo potior Grammaticus in locum ejus, & restabit quicquid actum est.

Grangerii hujus bursam pro filio lustralis adoptionis petiit Ægidius Papæ Referendarius, vt Castrensis Episcopus testatur epistola CXII. qua de re hic ad illum ita scribit: *Debeo, pater & frater jugiter recolende, vicem scriptorum vestræ caritati paginam pro pagella vicariis scriptis aggredi, qui voce & lingua non queo. Petit cum instantia caritas vestra locum & bursas in Collegio regali Campaniæ pro filiolo vestro vacantes, vt ferunt scripta vestra, per recessum Matthæi Grangiarii qui ad Leges se transtulit. Vellem, frater, & non mentior, in majori beneficio favere justo & æquo desiderio vestro; & si ita se res habeat, deliberatus sum conferre quod tantopere postulatis, scita & comperta veritate vacationis hujusmodi. Notavi quod in calce literarum vestrarum habetur, vt revolvam jugiter illud Prophetæ regii, Nolite confidere in Principibus. Recte suadet caritas vestra, bene & salubriter admonet & sane consulit. Scitote, frater, sententiam illam regalem non modo legisse, sed & oculis fidelibus & magistra experientia didicisse, qui in Schola vbi hæc assidue practicantur, conversor, a qua toties pedem, vt novit vestra prudentia, extuli, & totis affectibus, frater, millies optavi; sed retinent me peccata mea, & jugo ferreo alligatus sum, foris non inveniens, quibus exire valeam. Unde me miserum & supra modum miserabilem me clamito, Sanctos omnes obsecrans, vt saltem novissimis diebus meis morti vicinus, quietis locum, requiem laboribus meis a Domino reportem. Qua in re precor suffragium orationum vestrarum, & solitæ pietatis oraculo fratrem in vinculis æneis jacentem prospiciat: quo pacto Dominus parcat ætati, exitum largiens optatum. Steti Parisius per menses aliquot quieto satis animo extra tumultum aulicorum, vbi resumpsi lectiones magistrales vsque ad vernarium. Videbar mihi quasi renovari in pristinos dies, dum florebat Studium tot claris luminaribus collustratum, & miro modo decoratum. Fungebar vestri in absentia officio Decanatus nostræ Facultatis, qui vtinam vos invenissem sospitem & prospere valere. Volui videre Magistros Professores in loco habitationis meæ, suborta quidem erat divisio inter sæculares & Religiosos mendicantes, quam vtcunque pacatam reddidi. Inveni temperiem aeris pro complexione non parum idonea; &*

accommodam gratiſſimam habens Domum, quam inhabitabam ex dono regio, vallatam gratiſſimis viridariis, aquam fontium dulci ſuſurro decurrentem per totam domum & hortum amœniſſimum, ita vt quendam paradiſum exhibere videretur cernentibus, in cujus vtpote medio fons exilit irrigans ſuperficiem terræ, multa & quamplurima animo gero, quæ vtinam viva vox vultutim expromere juxta votum longa fabulatione poſſet. Oro, precor, parcite negligenter agenti, qui non viſitavi fraternitatem veſtram. Propoſueram ſiquidem mutuos amplexus miſcere. Verum neſcio quomodo tantum bonum præpedivit oblivio. Unde ei veniam depoſtulo ſupplex, prona mente demiſſus in ſolium vſque compatior variis veſtris laboribus. Sic eſt, Pater, multa ſenem circumveniunt incommoda, quæ præſentem vitam temnere & futuram deſiderare compellunt fatigatum ſenio, aggravatum laboribus. Perfectum remedium ſolum eſt patientia, quæ perfectum opus habet, in qua ſola Chriſto evangelizante poſſidemus animas noſtras. Vivite felix, dum hæc terreſtris habitatio diſſolvatur, & donec illuceſcat dies æternitatis, quies poſt laborem.

Anno MCCCCXLV. in Navarræ Collegium venit adoleſcens quidam natus annos XX. qui bonas artes omnes apprime callebat, vt peritiſſimi quique Academiæ Magiſtri teſtabantur. Præclare fidibus canebat: numeris, voce, modis, ſymphonia cunctos vincebat: pingebat, & imaginibus colores inducebat optime omnium: in militia experientiſſimus erat, gladium ambabus manibus diſtringebat tam bene & fortiter, vt cum eo certare nullus auderet. Statim atque videbat hoſtem ſuum, ſaltu ſe in eum projiciebat remotus ſpatio pedum XX. aut XXIV. Erat Magiſter in Artibus, in Medicina, in vtroque Jure, in Theologia: nobiſcum in Navarræ Schola diſputando congreſſus eſt, tametſi Magiſtrorum quinquaginta perfectiſſimorum numerum excederemus. Mitto alios ter mille, & eo amplius, qui concertationi interfuerunt. Tam argute & cumulate reſpondit quæſtionibus quæ propoſitæ ſunt, omnibus, vt niſi præſentium, certe abſentium fidem ſuperet. Latine, Græce, Hebraice, Arabice & linguis aliis pluribus loquitur vt qui politiſſime: equitabat quoque vt qui optime. Quinetiam ſi quis homo annos centum viveret, & ſine cibo & potu dies

V iij

noctesque insomnes traduceret, quas ille animo complexus est scientias, assequeretur nunquam; & revera metum ingentem nobis incussit. Nam plura novit, quam natura humana ferre possit. Doctores Ecclesiæ quatuor redarguit: sapientia comparandus nemini videbatur, pro antichristo habitus est. Hæc libro v. Disquisitionum cap. XXIII. Stephanus Paschasius ex historia ms. quæ ab oculato teste confecta est.

De hoc adolescente Joannes Trithemius in Sponheimensi Chronico ita scribit: *Verum ista nobis scribentibus Ferrandus Cordubensis ad memoriam reducitur, qui anno MCCCCXLV. juvenis annorum XX. miles auratus, Artium, Medicinæ & sacræ Theologiæ Doctor cum octo equis de Hispania venit in Franciam, & totam Parisiorum Scholam sua mirabili scientia vertit in stuporem. Erat enim omni facultate Scripturarum doctissimus, vita & conversatione honestissimus, non sicut ille (de quo jam diximus) arrogans & superbus, sed humilis multum & reverentia plenus. Memoriter tenuit Bibliam totam, Nicolaum quoque de Lira, scripta sancti Thomæ Aquinatis, Alexandri de Hales, Ioannis Scoti, Bonaventuræ & aliorum in Theologia complurium. Decretum quoque & omnes vtriusque Iuris libros, & in Medicinis Avicennam, Galenum, Hypocratem & Aristotelem atque Albertum, omnesque Philosophiæ & Metaphysicæ libros & commentaria ad vnguem, vt aiunt, memoratur. Denique linguas Hebraicam, Græcam, Latinam, Arabicam & Chaldæam perfecte legit, scripsit, intellexit. Romam a Rege Castellæ missus orator, in omnibus Italiæ Galliæque Gymnasiis publicis disputans, convicit omnes, ipse a nemine vel in minimo convictus. Varia de ipso inter Doctores Parisienses movebatur opinio, aliis magum illum ac dæmone plenum cavillantibus, aliis sentientibus contrarium. Non defuerunt qui antichristum putarent propter incredibilem scientiam Scripturarum, qua cunctos mortales videbatur excellere.* Hæc refero & plane obstupesco nescius, quo humani tandem ingenii vires pervenire possint. Pugnantia inter se aliorum de adolescente Ferrando judicia, & rei magnitudinem silentio profiteor.

Machetus Castrensis Episcopus, administrator Collegii, primus apud Regem effecit, vt exteri in Collegii bursas

admitterentur. Gilbertum Scotum anno MCCCCXLVI. admisit, & locum ei bursarum in sodalitio Theologorum dedit. Eodem quoque anno statuit, vt qui Scholares foris ad Collegium veniunt, certa pecuniæ summa pro jure Collegii exigeretur, sed a Bursariis nihil exigeretur.

Anno MCCCCXLVII. in Gallica Natione gesta sunt duo, quæ huc attinent: narrantur in actis Henrici Megreti Procuratoris. Alterum ita scribitur: *Placuit dominis Regentibus congregatis in Capitulo Collegii regalis Navarræ, vt adiret ille Henricus Megret Magistrum nostrum Magistrum Petrum de Vaucello, ad sibi supplicandum, vt permitteret, quod Vesperæ dominorum Regentium possent dici hora secunda, vt commodius possent vacare auditioni suorum Scholarium. Feci*, inquit Procurator, *& placuit suæ dominationi cum consilio bursariorum.*

Alterum vero ita concipitur: *Supplicavit Salomon Dagorne, vt Natio sibi daret aliquid pro festo & onere Doctoratus: cui Natio concessit duos francos.* Hic Salomon Sodalis erat Collegii anno MCCCCXLIII. receptus.

Anno MCCCCXLVIII. facta est inquisitio in capita hæc tria. Primum, vtrum Magister & Submagister Grammaticorum essent pares in fructu percepto ab iis qui bursas non haberent. Alterum, vtrum qui Bursarius non erat, in Communitate Theologorum recipiebatur sine consensu Bursariorum. Tertium, vtrum qui Bursarius non erat, in Communitate Grammaticorum recipiebatur sine consensu Bursariorum. His super capitibus publicum instrumentum confectum est, in quo multorum qui Collegii Sodales antea fuerant, nomina recensentur. Adscribo verba: *Super primo omnes isti asserunt fuisse communes in eo. Magister Ioannes Broulleti, alias Francisci, Magister in Artibus, Baccalarius in Theologia & Licentiatus in Decretis, Decanus Provinciæ Senonensis in Natione Franciæ, & Magister venerabilis Collegii Forteti dixit, quod anno* MCCCLXXXV. *vel circiter ipse morabatur in Collegio Grammaticorum Navarræ cum Magistro Nicolao de Serilly, tunc Magistro Grammaticorum: & illo tempore tantum erant in dicta Domo Magister & Submagister, & viginti Bursarii & tres servitores, qui dicuntur beneficiarii, & ipse qui loquitur, qui aliquando supplebat vices Magistri in eruditione mediæ partis di-*

ctorum Bursariorum; & post recessum Magistri Nicolai de Serilly a dicto Collegio Grammaticorum successit eidem in Magisterio Magister Petrus de Parochia, qui habuit primus non Bursarios.

Magister Petrus de Brena Decretorum Doctor, super tribus capitibus respondet, quod tempore præterito ad Communitatem Theologorum nullus non Bursarius recipiebatur, nisi de consensu communi omnium & singulorum Bursariorum Communitatis Theologorum, sicut adhuc hodie observatur, & similiter ad Communitatem Artistarum. Ad Communitatem autem Grammaticorum non petebatur consensus Bursariorum, quia juvenes erant; sed requirebatur consensus Magistri & Submagistri, quia alterutro contradicente nullus recipi poterat; & erant illo tempore Magister & Submagister communes & socii in lucro non Bursariorum, qui dicuntur Hospites vel Socii. Magister Petrus de Parochia, Theodoricus Mileti, Magister & Submagister, & post Petrum de Parochia, Theodoricus Mileti Magister, & ipse qui loquitur Submagister, & Magister Ioannes Campani Submagister, socii & communes in lucro tali, quanquam dictus Campani esset absens a Parisiis, & esset continuo manens in Curia Romana. Item mansit in Collegio usque ad annum MCCCCXVIII. *quo exivit Parisiis: quo etiam anno propter guerras & pestes urgentes totum Collegium fuit turbatum. Testantur hanc depositionem Magister Girardus Naudin & Bernardus de Miromonte Baccalarius in Theologia.*

Guillelmus Bartholomæi, Licentiatus in Legibus & Consiliarius Regis, idem testatur, quique Grammaticos cum supradictis Magistris & Submagistris instruebat, super primo capite nihil dicens de duobus aliis.

Magister Burellus Boucher, Magister Requestarum domini Regis, qui Bursarius fuit Grammaticorum, idem testatur quod Guillelmus Bartholomæi.

Magister Ioannes Iosson, Canonicus Suessionensis & Magister in Grammatica puerorum chori sacræ Capellæ Palatii regalis, testatur idem quod supra de primo capite, additque, quod post annum MCCCCXVIII. *aut circiter Magister Guillelmus Evrardi qui fuit Magister Grammaticorum, & Magister Hugo Majoris Submagister, fuerunt socii in lucro non Bursariorum; & dixit, quod audivit a domino Confessore cui Deus parcat, quod ipse mirabatur,*

tur, Magistrum & Submagistrum non esse communes, & quod fiebat injustitia Submagistro, ipse qui deponit Submagister cum illis in Grammaticalibus ann. MCCCCV.

Frater Petrus Deducti Religiosus sancti Victoris, asseruit, quod vidit Guillelmum Evrardi Magistrum Grammaticorum, & Hugonem Majoris Submagistrum, aliquanto tempore socios & communes in lucro non Bursariorum: sed propter certam discordiam Magister Hugo noluit amplius esse socius, sed voluit habere certam quotam.

Ioannes Crassi Decanus Ecclesiæ Trecensis, & quondam Magister Artistarum, idem deposuit super tribus capitibus quod supra depositum est.

Ioannes Richardi Magister in Artibus & Licentiatus in Decretis, Canonicus & Archidiaconus Suessionensis, quondam Magister Artistarum, idem deposuit quod supra depositum est.

Circa hoc tempus exorta est inter Sodales regiæ Domus controversia, quam Castrensis Episcopus Silvanectensi dirimendam committit in epistola CCCLXXIII. *Magister noster Pater carissime, nuperrime suscepi chartulam a Magistro Ioanne Milonis Submonitore Artistarum, quam transmitto vestræ discretioni exequendam: qua per me suscepta contigit, ut hic præsens esset Magister Ioannes Normant, cum quo verbum tenui, exponens querelam præfati Milonis, & tandem vestræ prudentiæ committere judicium super isto negotio, addidique ut recipiatis vobiscum alium arbitrum, quem eliget dictus Submonitor. Age igitur & perfice bonum opus justitiæ & æquitatis.*

Quam tunc ætatem ageret, significat in epistola CCCLXV. ad Episcopum Avenionensem: *Dies mei velociores cursore septuagesimo. Cursus annorum propinquant, de quibus canit regius Vates: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.*

Nicolaus V. qui anno MCCCCXLVII. creatus est Pontifex, ad Castrensem Episcopum scribit, qui postea Nicolao sic respondet in epistola CCCLXVIII. *Uberrima & utique promerita cum gratiarum actione, reverendissime in Christo Pater & domine metuendissime, suscepi gaudens & exultans in Domino pagellam honoratissimæ vestræ paternitatis.*

Anno MCCCCXLVIII. Joannes Normanus qui Artistarum Collegii magisterio fungebatur, Academiam rege-

bat, quo tempore res memoratu digna contigit, quam tunc Joannes Gallicanæ Nationis Procurator memoriæ prodidit. *In hac*, inquit, *præsenti procuratione accidit unum, quod multum facit ad solvendam quandam objectionem sæpe fieri solitam. Nulli siquidem formidant, quin dominus Rector Universitatis debeat præferri Episcopis in Actibus scholasticis, quia a tam longinquis temporibus ita solitum est fieri, quod non est memoria de contrario, & etiam quia fere omnes Prælati hujus regni, qui sunt Iurati de hac Universitate, modo unusquisque juret, quando incorporatur Universitati, ferre honorem domino Rectori, etiam ad quemcunque statum devenerit. Sed multi dubitant in Actibus hierarchicis, & fuit mota ista dubitatio in deputatis. Istam autem dubitationem penitus resolvit & annihilavit reverendus in Christo Pater & dominus D. Guillelmus Chartier Episcopus Parisiensis, qui cum intrare deberet in habitu Pontificali civitatem suam, licet a multis pulsaretur, ut non invitaret Rectorem ad suum solemne prandium, quia grave esset dominis Episcopis, quod dominus Rector eos deberet præcedere: præfatum tamen Rectorem cum Procuratoribus quatuor Nationum, licet ore proprio invitasset in quadam visitatione per præfatum Rectorem facta, attamen denuo fecit invitari, & ordinavit, ut intuitu antiquæ Universitatum parentis & scholasticæ professionis, dominus Rector Universitatis omnibus Prælatis præponeretur: quod de facto executioni dedit eo modo quo prius ordinaverat.*

Hic notanda sunt duo. Et primum quidem, quod de Actibus scholasticis nulla movetur quæstio: nam in iis Rector Episcopos antecedebat sine controversia. Deinde, quod de aliis Actibus, qui non scholastici dicuntur, sed hierarchici, movetur quæstio, & a Parisiensi Episcopo dirimitur: sed repugnantibus aliis Episcopis, qui tamen interfuerunt prandio, & Rectori cesserunt, Parisiensis Episcopi exemplum secuti. Parisiensis Episcopus facti sui rationes duas in medium adfert. Prior est, quod Parisiensis Universitas sit antiqua Universitatum parens. Posterior, quod scholasticæ professioni honor debeatur ac reverentia. Et sane si qui literatus esse debet ex officio, cum liberalium scientiarum Professores & liberales scientias colit, seipsum potius quam liberales scientias & earum professores colit & observat.

Profectò ad annum MDXXVI. durabat mos ille, quo in Actibus certe scholasticis Rectori primæ ab Episcopis & Cardinalibus deferebantur. cujus rei testis est Joannes Celaia Parisiensis Theologus, dum in quartum Sententiarum dist. XXIV. quæst. IV. in solutione ad primum ita scribit: *In Universitate Parisiensi matre mea Procurator Franciæ aut Normanniæ præcedit dominum Rectorem ejusdem Universitatis in sua Natione, & nihilominus dominus Rector major est omnibus Procuratoribus, & non solum eos, verumetiam Episcopos, Archiepiscopos & Cardinales præcedit.* Quæ propriis usurpavit oculis, scribere non veretur. Delatus literis honos eousque pervenit: Antistites quippe cum essent viri prudentes, per sese intelligebant ipsi e duabus quas habent & rectè numerant clavibus, scientiæ unam, jurisdictionis seu potestatis alteram, posteriori priorem hujus ducem antecedere.

Castrensis Episcopus migravit Turonis anno MCCCCL. & in Basilica sancti Martini conditus est. Carolus Rex VII. cujus Præceptor & Confessarius semper fuerat, mortem viri tanti gravissime tulit, tulerunt & regii Principes & Sodales Navarrici & boni omnes, quibus magnum sui desiderium reliquit.



CAPUT VIII.

Castrensi Episcopo in gubernatione Collegii succedit Joannes Daucius, Regi ab eleemosynis: Stephano Clamengio in munere Provisoris, Joannes Pluietta: Petro Vaucello in Collegii magisterio, Guillelmus Castrofortius. Martinus Genomanensis Episcopus sacris operatur in festo beati Ludovici. Caroli VII. refertur diploma, quo reformandum esse Collegium statuit.

GIRARDO Macheto Castrensi Episcopo succedit Joannes Daucius qui Regi erat ab eleemosynis. Hoc referens Carolus VII. Turonis Lutetiam mittit literas, quibus

Joannes Pluietta Provisor Domus constituitur anno MCCCCL. Hæ autem sunt literæ: *Carolus Dei gratia Francorum Rex dilectis nostris Magistro & Scholaribus Domus nostræ regalis Scholarium Campaniæ, alias Navarræ, Parisius, salutem. Notum vobis facimus, quod nos officium Provisoris dictæ Domus, quod nuper obtinere solebat dilectus Capellanus noster Stephanus de Clamengiis, ad præsens liberum & vacans per ipsius Stephani totalem a dicta Domo recessum, cujus collatio & omnimoda dispositio ad nos pleno jure dignoscitur pertinere, dilecto nostro Magistro Ioanni Pluiette Presbytero & in Theologia Baccalario, pietatis & meritorum suorum intuitu, dedimus & contulimus, damus & conferimus. Per præsentes harum serie vobis mandamus, quatenus præfatum Pluiette ad dicti Provisoris officium admittatis, & in ejusdem possessionem corporalem, realem & actualem ponatis & inducatis, sibi de fructibus, reditibus & emolumentis universis ad prædictum officium Provisoris quomodolibet spectantibus respondendo, & ab his quorum interest vel intererit, integraliter respondere facientes, juramentis, solemnitatibus & statutis ejusdem Domus in omnibus observatis. Datum Turonis* XXII. *Septembris anno Domini* MCCCCL. *& regni nostri* XXVI. *Sic signatum per Regem ad relationem Eleemosynarii. G. du Chemin, I. Dauci.*

Hic autem Eleemosynarius debet esse simul Regis Confessarius, nisi Domum ex illius privilegio gubernarit.

Anno MCCCCLII. XI. Calend. Quintiles ab Academia lecti sunt Navarræ Socii duo, qui ad Concilium Bituricense proficiscerentur, Guillelmus Evrardus & Joannes Normanus, tunc Rector Universitatis: ille Facultatis Theologiæ, hic Franciæ Nationis provinciam gerebat.

Anno MCCCCLIII. in Basilica Collegii Deo pro salute Regis supplicatur, & sacrificium offertur sæpius. Sed quoties? id vero est quod numerandum mihi videtur. Feria quarta V. Idus Julii, feria quarta XV. Calend. Augusti, feria quarta VIII. Calend. Augusti, feria quarta Calendis Augusti, feria quarta VIII. Idus Augusti, feria sexta XVI. Calend. Septembris, feria quarta IV. Calend. Septembris, feria quarta Nonis Septembris, feria quarta pridie Idus Septembris, feria quarta XIII. Calend. Octobris, Sabbato pridie Nonas Octo-

bris, feria quarta VI. Idus ejusdem mensis; postremo vnaquaque feria quarta Novembris & Decembris.

Navarræ Collegium locus est in quo Nationis Gallicæ Procuratores eliguntur. Sed qua in regione, hoc anno MCCCCLIII. docetur in Actis Nationis: *Ego Ioannes Quarreti, Tullensis Diœcesis de Barroducis, in Artibus Magister, actu Parisius regens, in eisdem perscrutans, quod in regali & famosissimo Collegio Navarræ directe ante lapidem, qui dicitur Petra mali consilii, electus sum per quinque intrantes in Procuratorem.*

Sub annum MCCCCLIV. Petrus Vaucellus magisterium Collegii dimisit, cum esset idoneum sacerdotium consecutus. Huic sufficitur Guillelmus Castrofortius, vir supremis quibusque Academiæ honoribus non impar. Inter Sodales vnus omnium maxime claret Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis, qui ad oblatas sibi vndequaque consultationes doctissime respondet. Hinc varia responsa excreverunt in vnum volumen, quod moriens Collegio legavit.

Anno MCCCCLVIII. Martinus Berruerius, qui jam ex Decano Turonensi factus fuerat Cenomanensis Episcopus, solenne beati Ludovici festum celebrat, salutem & incolumitatem Domus altricis suæ pontificia precatione optat.

Anno proximo Carolus VII. voluit vt Collegium, quod vices temporum & detrimenta bellorum senserat, in pristinum splendorem revocaretur. Huic procurationi & negotio viros primarios novem præfecit, Cardinalem vnum Richardum Constantiensem Episcopum; Senatus Præsidem vnum Heliam Torettam; Consiliarios tres, Joannem Curcellum, Joannem Roiatam & Joannem Montiniacum; ærarios Quæstores duos, Stephanum Militem & Petrum Beccartum; Cognitorem Catholicum, Joannem Dauvetum, & Guillelmum Castrofortium Navarræ Archididascalum. Refero diploma ex quo quantum in deliciis Rex habuerit Collegium, perspici facile potest:

Carolus Dei gratia Francorum Rex carissimo & fideli Consiliario nostro Richardo Cardinali Constantiensi, necnon dilectis & fidelibus nostris Magistris Heliæ de Torette Præsidenti in Curia nostra Parlamenti, Ioanni de Courcelles, Ioanni de la Roiauté

& Ioanni de Montigni, nostris in eadem Curia Consiliariis; Stephano Militis & Petro Beccart, Thesaurariis & Consiliariis nostris; Ioanni Dauvet nostro generali Procuratori, & Guillelmo de Castroforti in sacra pagina Professori, ac Domus nostræ seu Collegii Campaniæ, alias Navarræ, Parisius fundatæ in monte sanctæ Genovefæ Magistro, salutem ac dilectionem. Cum nuper ad aures nostras aliquorum fide dignorum relatu pervenerit, nonnullos de Bursariis Theologorum, Artistarum & Grammaticorum Magistris & Bursariis, inclytæ memoriæ Ioannæ Francorum & Navarræ Reginæ fundatricis dictæ Domus, aliasque nostrorum bonæ memoriæ prædecessorum saluberrimas institutiones & ordinationes sæpius infringere, eisdemque in pluribus articulis & punctis nolle obtemperare seu obedire; Capellanos etiam & Clericos Capellæ in eadem Domo fundatæ circa Officium divinum ad quod tenentur, defectus multos frequenter committere, dictosque Artistarum & Grammaticorum Magistros pro suæ libito voluntatis quoscunque extraneos Scholares indifferenter cum dictis Bursariis & Scholaribus fundatis introducere & admittere, necdum in tanta multitudine quantum dicta Domus continere potest, sed etiam vicinas domos emere & conducere, ut plures extraneos Scholares & hospites recipere valeant, quos Bursariis præfatis commensales & consocios faciunt; & quod novos aditus novasque portas aperiri prohibitas pro ingressu & egressu talium multiplicant, & alias institutiones & statuta dicti Collegii negligere & contemnere, aut ad eorum voluntatem & commodum proprium interpretari, & illis manifeste abuti non verentur. Unde Domus præfata, ex qua olim dum statuta & ordinationes prælibatæ servabantur, multi prodiere literati & famosissimi viri ad fidei orthodoxæ & regni nostri ingentem laudem & exaltationem maximam, ad præsens damna plurima & gravem patitur jacturam atque scandalum, Bursariis ac Scholaribus præfatis, saltem pro magna parte, in scientia, virtutibus ac morum disciplina minime proficientibus, ac dictis statutis & institutionibus ipsius Collegii quasi penitus inutilibus & illusoriis remanentibus, & plus pati posset, nisi super hoc de remedio per nos provideretur opportuno. Quapropter nos ad quos omnimoda dispositio & reformatio dictæ Domus spectat & pertinet, ejusdem Domus, sicut decet, honestatis & prosperitatis augmentum, vestigiis prædecessorum nostro-

rum inhærendo, affectantes, eandemque Domum juxta votum & piam dictæ fundatricis & aliorum nostrorum bonæ memoriæ prædecessorum intentionem laudabiliter regulari ac dirigi, abususque & defectus hujusmodi in melius reformari cupientes: de vestris scientia, probitate, fidelitate ac bona diligentia plenissime confidentes, mandamus & committimus, dedimusque & damus per præsentes vobis quatuor aut tribus nostram commissionem & mandatum speciale eos de statutis & constitutionibus Domus præfatæ tam per eorum seriem & tenorem, quam per depositionem testium & alias, informandi, illos etiam quos coercendos noveritis, ut fidem & exhibitionem vobis faciant de statutis & ordinationibus Domus sæpe nominatæ, viriliter & rigide compellendi. Insuper etiam de insolentiis & defectibus & abusibus in eadem Domo per dictos Theologorum Bursarios, Artistarumque & Grammaticorum Magistros atque Scholares, Capellanos & Clericos, tam in doctrina, scientia, moribus & disciplina, quam aliter, præter & contra dictorum statutorum & institutionum seriem, dictorumque fundatricis & prædecessorum nostrorum intentionem hucusque perpetratis, & qui quotidie perpetrantur, tam super præmissis, quam etiam super articulo computorum particularium Collegiorum tam Artistarum, quam Grammaticorum & alias, seriose inquirendi, & supradictos abusus, insolentias ac defectus corrigendi & reformandi, sicut congruum fore videbitur; necnon præfatorum particularium Collegiorum Magistros & eorum prædecessores ad computorum suorum redditionem, debitorumque restitutionem corrigendi & compellendi; & generaliter statuta & ordinationes antiquas dictæ Domus ad veram observantiam, quantum commode fieri poterit, reducendi; statuendi etiam de novo quæcunque utilia aut necessaria vobis videbuntur pro meliori reformatione Magistrorum & Bursariorum & aliorum superius nominatorum; & ulterius pœnas graviores pœnis in præmissis antiquis statutis contentis, aut alias quæ vobis videbuntur contra transgressores eorundem adjungendi & addendi, ac eas executioni debite mandandi; necnon ad debitam eorum observantiam, quæ per vos advisata seu ordinata fuerit, supradictos Magistros, Bursarios & Capellanos per juramentum corporale, fructumque bursarum, quas singulis hebdomadis percipiunt, retentionem, vel totalem eorum, si casus exigat, a Domo præfata eje-


ctionem, aliis viis rationabilibus compellendi; & præterea, quos juxta tenorem & verum intellectum statutorum prædictorum propter sua detrimenta privandos compereritis, a locis & Bursis privandi, & a dicta Domo totaliter excludendi & amovendi, in præmissis & circa præmissa summarie & de plano sine strepitu & figura judicii aut processu judiciali procedendi: quæ quidem præmissa, sicut præfertur, faciendi & exequendi & peragendi auctoritatem, potestatem & facultatem atque commissionem specialem vobis damus atque conferimus per præsentes, nonobstantibus oppositionibus aut appellationibus quibuscunque, & ab omnibus justitiariis, officiariis & subditis nostris, vobis & a vobis deputatis in his & circa ea pareri volumus & intendi. Datum Rasiliaci penultima die Octobris ann. Domini MCCCCLIX. *& regni nostri vicesimo octavo.* Tunc mandatum Regis impleri curarunt Cognitores causæ hujus non omnes, sed tres, Toretta, Dauvetus, Castrofortius, qui manum operi admoverunt, antiquas leges revocarunt, & novas quasdam præscripserunt. Sed quæcunque statuerunt, executioni mandari non potuere, sive quia omnes intentis & animis & oculis agebant vnum hoc, vt Henricum Regem Angliæ e regni finibus expellerent, sive quia Rex anno proximo decessit XI. Calendas Augusti. Quicquid in causa, executio rei in annum MCCCCLXIV. dilata est.

Interea dum Stephanus Paquotus Provisor anno MCCCCLXI. rationem rei administratæ reddidit, deprehensum est, ab anno MCCCCXVII. ad annum MCCCCLXI. factam non esse integram bursarum solutionem, Bursarios nonnisi mediam partem statæ pensionis recepisse, Sacellanos, Clericos, Magistros ac Submagistros amisisse nihil, sed hac vsos esse compensatione, vt quicquid ex Domus reditu deerat, suppletum fuerit ex pecuniis, quæ ad privata Grammaticorum & Artistarum sodalitia pertinerent.

Anno MCCCCLXII. Joannes Cordius Bituricensis Archiepiscopus, qui ex Socio Collegii gubernator evaserat, illud invisit, & in Aula Theologorum semel atque iterum prandere voluit, semel XIII. iterum pridie Calend. Junii. Joannes Oliva Parisiensis Cancellarius interfuit. Eodem anno Bellovacensis Episcopus solenne B. Ludovici festum peregit.



CAPUT



CAPUT IX.

Excitata inter Guillelmum Castrofortium Navarræ Archididascalum, & Gallicanam Nationem, de damnis Collegio illatis in festo sancti Guillelmi, controversia refertur & sedatur. Regia auctoritate eduntur decreta, quibus Collegium Navarræ meliorem in statum restituitur. Quidquid id est, Ludovicus XI. diplomate confirmat.

ANNO MCCCCLXIV. Guillelmus Castrofortius Navarrici Collegii Archididascalus, & cum eo vniversi Collegii Sodales statuunt vnanimi consensu, se non permissuros amplius, vt Gallicana Natio dies festos in Navarræ Basilica celebret. Qua de re sic conqueritur Joannes Burgaldus Gallicanæ Nationis Procurator, & si rescindatur statutum, illata Collegio damna resartum iri pollicetur. Verba sunt: *Guillelmus de Castroforti magnus Magister cum toto Collegio decreverat, quod Natio non amplius celebraret sua festa in Collegio propter impietates & furta quibus ædes sacra contaminabatur. Ad eum Procurator & Deputati Nationis veniunt, vt conclusionem illam Collegii rescinderet. Sed dixit se non posse, quod non poterat illam revocare, nisi de consensu domini Baillivi Senonensis, Locumtenentis regii, & domini Ioannis Balue, Electi Ebroicensis, ipsius Collegii regalis gubernatoris, quibus dictam conclusionem significaverat. Nihilominus revocata est ea conditione, vt omnia damna Capellæ illata resarcirentur, & impietates removerentur.* Dissensionis inter Navarræ Collegium & Gallicanam Nationem capita erant maxime duo: a contribulibus illata Collegio damna, & ab iisdem violata Dei religio; sed reparatis in melius damnis & purgata impietate, concordia quæ disturbata fuerat, re-

ſtaurata eſt. Vel nulla fuit celebrationis feſtorum intermiſſio: vel ſi qua fuit, ad exiguum tempus duravit. Gallicana Natio celebrare feſta ſua perrexit, hodieque pergit.

Anno eodem promulgantur, quæ antea pro emendandis regiæ Scholæ moribus publicis decreta fuerant. quod vti fieret conſtantiſſime, Ludovicus XI, præceptum hoc dedit:

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. Decet vt omnem implentes juſtitiam, virtutes excolamus, & decus ſapientiæ atque ſcientiæ ad Dei laudem & gloriam attollamus. Hinc eſt, quod cum digna fidelique relatione his diebus noverimus cariſſimum dominum ac genitorem noſtrum, cujus memoria in æternum feliciter permaneat, certam, dum viveret, dediſſe commiſſionem dilectis & fidelibus Conſiliariis noſtris Magiſtris Heliæ de Torette, in noſtra, dum vitam ageret in humanis, Parlamenti Curia Præſidenti; Ioanni de Courcelles & Ioanni de Montigni, in eadem Curia Conſiliariis, ac etiam nonnullis aliis in præfata commiſſione nominatis ad reformandum Domum noſtram ſeu Collegium Campaniæ, alias de Navarra vulgariter nuncupatum, Pariſiuſque in monte ſanctæ Genovefæ fundatum, reducendumque ad laudabilium conſuetudinum, etiam ſtatutorum & ordinationum antiquarum obſervantiam debitam, novarum etiam inſtitutionem, pro ſalubri dictæ Domus regimine, vt virtutum & doctrinæ fructus in eadem continue augeretur. Qui quidem Commiſſarii ſupra nominati ſuam executioni demandando commiſſionem, quam plura & valde vtilia pro ſalubri regimine dictæ Domus inſtituerunt & ſapienter ordinaverunt. Quorum tenor de verbo ad verbum præſentibus inſcribitur, & fideli narratione atque conformiter ad veritatem originalis adjungitur & infertur. Nos Helias de Torette Conſiliarius domini noſtri Regis ac Præſidens in ſua Curia Parlamenti, Ioannes de Courcelles, Ioannes de Montigni, præfati domini in dicta Curia Conſiliarii, Ioannes Dauvet ejuſdem domini Conſiliarius ac Generalis Procurator, & Guillelmus de Caſtroforti Collegii regalis Campaniæ, alias Navarræ, Pariſius in monte ſanctæ Genovefæ fundati Magiſter,

commissi & deputati ex parte dicti domini nostri Regis ad reformationem Collegii superius nominati & Collegiatorum in eodem, pro bona & utili reformatione eorum ordinamus & præcipimus ea quæ sequuntur, fore de cetero observanda.

Et primo ad tollendam omnem vagandi occasionem, & ut Scholares sub majori existant disciplina, ordinamus, quod sicut Collegium est unum, ita de cetero in eodem communiter & regulariter erit unica tantum porta, illa scilicet ad quam de die & nocte custodiendam est janitor ordinatus & fundatus, quemadmodum inter statuta reformationis dicti Collegii per bonæ memoriæ Philippum Francorum Regem fieri ordinatæ expresse continetur. Adjecto tamen, quod porta superior per quam exitur ad vicum Bordellarum, pro Actibus scholasticis vel alia rationabili causa, secundum discretionem dicti Magistri aperienda erit & de facto aperietur.

Item quod & claves omnium portarum ac ostiorum particularium Collegiorum seu Communitatum dicti Collegii, per quas in vicum exitur, aut per quas provisiones victualium & aliorum necessariorum introducuntur, per Magistrum dicti Collegii custodientur de cetero. Si quis vero pro dictis provisionibus introducendis præfatis clavibus indiguerit, ad prædictum Collegii Magistrum recurret, si moris erat antiquitus observati. Nec tamen per hoc prohibere intendimus, quin custodia clavium portæ posterioris Artistarum, aut etiam Grammaticorum possit dictus Grammaticorum aut Artistarum Magistris per præfatum Collegii Magistrum committi, promissione prius facta, quod eisdem non utentur, nisi pro provisionibus introducendis aut necessitate propriæ personæ.

Item ad tollendum excessivam Scholarium non Bursariorum multitudinem quæ confusionem parit & magna affert incommoda, usque etiam ad destructionem morum, scientiæ & ædificiorum dicti Collegii, obstruetur infra festum beati Remigii proxime venturum ille ingressus seu illa muri apertio, quam Magister Grammaticorum fieri fecit citra viginti aut sexdecim annos, ut de suis privatis & acquisitis domibus ad Domum collegialem Scholares non Bursarii transire possent, quatenus Collegium prædictum ad modum & statum quos, dum maxime floreret, habuit, ponatur & reducatur.

Item præcipimus & ordinamus, quod nullus, sive sit Grammaticorum aut Artistarum Magister, seu etiam alius quicunque, de dicto Collegio existens, præsumat aliquem Scholarem non Bursarium aut alium extraneum extra dictum Collegium de nocte jacentem vel dormientem recipere commensalem in aliqua Communitate, nec aliquem in dicto Collegio ultra sex dies retinere sine licentia Magistri dicti Collegii petita & obtenta, cum hoc in uno statutorum dicti Collegii contineatur expresse. Si quis autem statuto præfato obedire contempserit, a Domo, bursa & officio totaliter excludatur.

Item & quia ex mansione & habitatione Scholarium non Bursariorum seu etiam aliorum hospitum Collegium præfatum, quantum ad ædificia, gravem jacturam & magna patitur detrimenta: eapropter ordinamus, quod Magistri Grammaticorum & Artistarum pro quolibet Scholari non Bursario & cum Bursariis commensali de cetero solvent annuatim XLVIII. *solidos, videlicet* XXIV. *pro Collegio particulari, & totidem pro totali Collegio, juxta formam antiquorum compotorum dicti Collegii. Scholares vero aut hospites in nulla duarum illarum Communitatum commensales solvent pro capite annis singulis* XXIV. *solidos Parisienses duntaxat, salvis tamen consuetudinibus antiquis de libertate & immunitate aliquorum a tali subsidio vel onere, & secundum formam antiquorum compotorum.*

Item quia juxta mentem fundatricis ac etiam statutorum tenorem, Magister & Submagister Grammaticorum in Domo collegiali cum pueris Grammaticis dormire & jacere obligantur, dictosque pueros fideliter instruere in moribus & doctrina, eisque cibos & potus convenientes ministrare, ac etiam de utensilibus honeste providere & decenter: idcirco præcipimus & ordinamus, quod in præmissis nullus fiat a modo defectus. Et primo quidem Magister & Submagister prædicti in Domo collegiali de nocte dormiant, & de cetero jaceant, præfatosque Grammaticos, maxime Bursarios, in propria erudiant, legendo & lectiones ac materias diligenter audiendo. Quod si contra præmissa attentare præsumpserint, ab officio & bursis dicti Collegii priventur & excludantur.

Item in ministratione potuum atque ciborum fideliter se habeant, nihil, nisi sanum fuerit & conveniens, & cum hoc sufficienter tribuendo. Provideant etiam de utensilibus decenter &

abunde, tam quoad scyphos & scutellas, quam quoad alia mensæ necessaria: habeantque dicti Grammatici saltem bis in septimana mappas mundas & albas, quia ex multitudine citius sordidantur & maculantur; & si in præmissis Magistri supradicti nimis deficere inveniantur, punientur vt decebit.

Item quia Bursarii Officio divino diebus dominicis & festivis interesse tenentur, & ad hoc fuerunt eis sedes & cathedræ in Capella dicti Collegii specialiter ordinatæ: idcirco nullus non Bursarius, sive sit Grammaticus aut Artista, dictas sedes occupare præsumat in præjudicium dictorum Bursariorum tam Grammaticorum, quam Artistarum, sic quod alibi locum quærere compellantur. Præcipimusque & ordinamus, quod Magistri & Submagistri Grammaticorum & Artistarum a suis Scholaribus ordinationem faciant de cetero observari.

Item & ne ædificia claustri & vitrinæ Capituli detrimentum patiantur, minusque propter tumultum ludorum, studium aliorum impediatur, ordinamus & præcipimus, quod Magistri & Submagistri tam Grammaticorum, quam Artistarum, Scholares suos nullatenus permittant in dictis claustro & Capitulo aut etiam præfati claustri pratello ludere aut aliquem tumultum facere: & si defectus circa istud de cetero inveniatur, punientur tam Magistri, quam Scholares præfati, prout decens videbitur.

Item & ne de cetero fiat contentio inter Magistrum & Submagistrum Grammaticorum prædictorum propter lucrum ex non Bursariis superveniens, vacetque diligentius Submagister ad instruendum non Bursarios sicut & Bursarios, habebit a modo pro suis laboribus vnum scutum a quolibet commensali non Bursario magnæ portionis, & a quolibet commensali non Bursario parvæ portionis sexdecim solidos Parisienses, nisi aliter de consilio Magistri ad invicem convenerint.

Pro Artistis autem præcipimus & ordinamus, quæ sequuntur sine fraude observari. Primo, quod Magister & Submagister de cetero ordinarie legent, nisi legitimum habeant impedimentum, omni fraude amota; quodque lectiones ac disputationes per se audient, cum ad hæc juxta formam statutorum teneantur: & si hæc pertinaciter facere recusaverint, ab officiis deponentur, nisi super præmissis dispensationem habeant; habebitque Submagister præfatus Artistarum a quolibet commensali non Bursario vnum

scutum sive sexdecim solidos Parisienses, prout de Grammaticis superius ordinatum est.

Item ut gravitas seu honestas præsentiæ dictorum Magistri & Submagistri hora refectionis in mensa graviores atque honestiores mores pariat in mentibus Scholarium, ordinamus, quod de cetero hora cœnæ & prandii sæpe & frequenter in aula communi comedant, aut saltem ibidem hora prandii & cœnæ assistant, sicut decet.

Item & quia ex negligentia & omissione visitandi cameras hora nocturna, sicut antiquitus fiebat, Scholares nonnunquam vagari ac de nocte errare seu in cameris suis tempus circa ludos absque studii fructu inaniter consumere inveniuntur: eapropter ordinamus & præcipimus, quod præfati Magister & Submagister de cetero ad minus bis in septimana cameras dictorum Scholarium secundum modum antiquitus laudabiliter observatum visitare tenebuntur.

Item & quod Bursarios Artistas, maxime Summulistas, & Logicos faciant interesse Matutinis & Officio divino diebus dominicis & festivis, sicut dicti Bursarii per statuta obligantur. Si quis autem Bursariorum defecerit, punietur juxta formam statuti super hoc instituti.

Item & ad tollendum lascivias & chorearum excessus & temporis perditionem quæ occasione chorearum provenire dignoscitur, Magistri Artistarum & Grammaticorum nullatenus de cetero permittent mimos in quocunque festo adesse, nisi forte Regum duntaxat, juxta morem antiquum; in nulloque festo ultra horam decimam cantare vel choreas ducere; nec quod aliqui arma deferant, aut armati ab extra in Domo recipiantur, propter scandala atque pericula quæ hoc anno præcipue evenerunt.

Item præfati Magister & Submagister nullatenus permittent aliquid per modum subsidii exigi vel levari a Scholaribus prædictis, ut eis aut suis Regentibus conferatur: salvo tamen, quod duos solidos habebunt tantum pro prima figura, & in fine redditionis librorum ultra unum scutum non exigent, nec in fine cujuscunque nationis permittent solvere pro festo ultra duos solidos Parisienses. Regentes autem qui ad docendum Artistas de licentia Magistri Collegii recipientur, in manibus dicti Magistri præmissa jurare tenebuntur.

Item de cetero nullo modo permittent, quod ille qui in regem fabæ eligetur, solvat ad fortius duo scuta. Prohibemus etiam de cetero electionem fieri Imperatoris in quocunque festo per quoscunque aut qualitercunque, cum talis plurimum sit nociva profectui Scholarium.

Item quod nunquam licentiam dabunt ludendi Scholaribus prædictis plusquam bina vice in septimana. Quodque tempore ludi vigilabunt aut intendere facient, ne aliquis dictorum Scholarium incidat in aliquod turpe factum, impedientque pro posse dicti Magistri tumultum ludentium in Collegio, ne turbetur aliorum.

Item & quia multi de studentibus in Grammatica sunt commensales in Collegio Artistarum, & e contra, unde confusio maxime oritur, etiam profectus scientiæ & disciplinæ patitur jacturam, hæc etiam confusio statutis & intentioni fundatricis contraria esse videtur. Ideo nullus de cetero Grammaticus erit commensalis in dicto Artistarum Collegio, nullus etiam Artista in Collegio Grammaticorum commensalis esse poterit. Et si quis in contrarium attentare præsumpserit, punietur per privationem fructuum suæ bursæ & aliis pœnis gravioribus, si pertinax esse voluerit.

Item ordinamus, quod nullum Bursarium de cetero permittant ad examen Licentiæ præsentari, nisi de consensu & approbatione Magistri Collegii, ut per hoc Bursarii præfati diligentius studio & profectui intendant.

Pro reformatione Theologorum, primo ordinamus de cetero statutum fideliter observari de non comedendo in cameris partialibus; & si quis deficere præsumpserit, punietur juxta formam statuti.

Item & quod similiter divinis intererunt Officiis diebus dominicis & festivis, juxta mentem fundatricis & tenorem statutorum; & si quis in talibus defecerit, conformiter punietur secundum formam statuti: nec pro præsentibus reputabuntur, qui hora divini Officii per navim Capellæ discurrent & ambulabunt & colloquentur.

Item & ut exercitium Disputationum Theologalium melius continuetur, ordinamus & præcipimus, quod si quis de numero Bursariorum in Theologia studentium præfatis Disputationibus die quo fient, de cetero non intersit & in ordine suo arguat, solvat pro quolibet defectu quatuor denarios Parisienses: qui vero oppo-

nere & in ordine suo respondere renuerit, quandiu pertinax fuerit, fructu bursæ privabitur. Pecunia vero quæ ex dictis defectibus proveniet, ad recreationem Bursariorum secundum eorum ordinationem convertetur.

Item si quis collationem sibi annuatim per Magistrum Collegii assignatam facere recusaverit, solvet pro defectu duos solidos Parisienses: si autem jugo collationum fiendarum nunquam subjici vellet, nec se, sicut alii, in talibus exercere, bursis omnino carebit.

Pro Capellanis & Clericis, primo ordinamus & præcipimus observari statutum, per quod obligantur Matutinis, Missæ & aliis horis divini Officii singulis diebus festivis & non festivis interesse & ipsum divinum Officium debite celebrare; & si quis defecerit, punietur juxta formam statuti.

Item & ut statutum melius servari possit, signabuntur deficientes & eorum defectus per aliquem ad hoc per Magistrum & Provisorem ordinatum. Pecuniæ vero de prædictis venientibus defectibus juxta formam statuti æqualiter inter eos dividentur.

Et ego Ioannes Prior, Presbyter Tullensis diœcesis, in Artibus Magister, & in Decretis Licentiatus, publicus auctoritatibus Apostolica & Imperiali Notarius Iuratus: quia præmissis omnibus & singulis, dum sicut supra scribuntur, per dictos dominos Commissarios & per organum honorandi domini Heliæ de Torette, in suprema Curia Parlamenti Parisius Præsidentis, dicerentur, & de verbo ad verbum per ipsum publicarentur, agerentur & fierent, præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi, scivi & audivi & in notam redegi, & prædictas ordinationes atque statuta ex ordinatione prædictorum dominorum Commissariorum in Capitulo prædicti Collegii de verbo ad verbum legi & publicavi in præsentia Magistrorum & Scholarium Bursariorum ipsius Collegii propter hoc collegialiter & solenniter ad pulsum campanæ congregatorum, & erant ibi capitulantes egregius Doctor in Theologia Magister noster Magister Guillelmus de Castroforti, prædicti Collegii principalis Magister; Stephanus Pacquot Provisor, Ioannes de Conslancio, Ioannes Ramier, Matthæus Chastillon, Ioannes Brette, Nicolaus Ripaut, Antonius Guerry, Balduinus Regis, Baccalarii formati in Theologia; Guillelmus Charmollue, Ioannes de Vallibus, Bertrandus Barraut, Bacca-

Baccalarii in Theologia; Guillelmus Guionis, Robertus de Valle & Petrus Dorigny, Magister in Artibus, qui omnes sunt Bursarii Theologorum: Ioannes Normanni Baccalarius formatus in Theologia & Magister Collegii Artistarum, Ioannes Milonis Baccalarius in Theologia & Submagister Artistarum, Martinus Magistri, Dalmacius de Fossis & Michael Clerici, in Artibus Magistri, qui similiter sunt Bursarii dicti Collegii Artistarum: Gaufridus Normand Licentiatus in Theologia & Magister Grammaticorum, Petrus Alvequin & Guillelmus Fusee, Presbyteri Capellani Capellæ ipsius Collegii. De & super quibus præmissis omnibus & singulis, ad requestam præfatorum dominorum Commissariorum, his præsentibus particulis seu ordinationibus atque statutis manu alterius fideliter scriptis, signum meum publicum apposui consuetum hic mea manu propria subscribendis in fidem & testimonium veritatis præmissorum. Acta fuerunt hæc Parisius in Capitulo ipsius Collegii præallegato anno Domini MCCCCLX. *Indictione* VIII. *mensis vero Aprilis die* XVIII. *post Pascha, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Pii divina providentia Papæ* II. *anno* II.

Omnia autem & singula pro directione præfatæ Domus instituta, ac per dictos Commissarios ordinata approbamus & nostra roboramus auctoritate, volumusque per Magistros, Bursarios, Capellanos & alios quoscunque bursæ beneficium aut aliud emolumentum in prædicta Domo percipientes, sub pœna suspensionis, privationis etiam ab officio & bursis bursarumque & officiorum fructibus in parte vel in toto, secundum quod congruere & rationi consonare videbitur, inviolabiliter observari; & hæc omnia & singula dictæ Domûs statutis adjungi, inseri & superaddi. In cujus rei testimonium præsentes literas sigilli nostri fecimus appositione muniri. Datum Rotomagi die XXV. *mensis Iulii anno Domini* MCCCCLXIV. *& regni nostri* IV. *Sic signatum super plicam, Per Regem in suo Consilio, in quo Patriarcha Episcopus Bajocensis, Episcopus Briocensis, Admiraldus Magister Stephanus Militis, & plures alii erant; & sigillatum magno sigillo cum duplici cauda.*

Hæc est Collegii reformatio & instauratio, quam Reges duo, Carolus VII. & Ludovicus XI. etiam atque etiam diligenter curarunt. Qua ratione significant se ab Joanna

Regina relictos esse tutores Collegii quod instituerat, patronos Scholarium, defensores legum quas fixerat, & custodes coloniæ Magistrorum qui adolescentulos docerent, instituerent, ad omne officii munus instruerent, & regni partes singulas virtutis & scientiæ lampade illustrarent.



CAPUT X.

Regina in testamento suo duobus e numero Theologorum indulget, ut sub bursæ titulo Presbyteri ordinentur. Ludovicus XI. certis quibusdam conditionibus indulgentiam circumscribit, ne qui sic ordinabuntur in posterum, fiant perpetuarii. Circumscripta testamenti indulgentia seu clausula in constitutionem vertitur. Joannes Balua Collegii gubernator instituitur. Rex Stephanum Pacquotum ob rem male gestam deturbat ex Provisoris officio, & Joannem Pijonem in ejus locum substituit.

QUO anno Ludovicus XI. Collegium suum amare se prodit, id est, castigat, eodem & alia tria memoratu non indigna præstat, quæ eundem scopum feriunt. In primo emendat corruptelam malæ consuetudinis, quam nonnulli Scholares Theologi certa quadam Reginæ indulgentia abutentes induxerant. Ludovici diploma rem ita narrat & corrigit:

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex universis præsentes literas inspecturis salutem. Cum nuper aliquorum fide dignorum relatu ad nostram pervenerit lætitiam; nonnullos fore de Theologorum particulari Collegio Domus nostræ seu Collegii Campaniæ, alias Navarræ, Parisius in monte sanctæ Genovefæ fundati, qui sub prætextu cujusdam clausulæ vel ordinationis quæ, ut fertur, in testamento bonæ memoriæ Reginæ ejusdem Collegii fundatricis continetur, cujus tenor dicitur esse talis: Si aliqui ex Theologicæ Facultatis Scholaribus affectu devotionis inducti se vellent ad sacerdotium facere promoveri, placet nobis quod ad bursæ suæ titu-

lum istud fiat, & quandiu ipsis Scholaribus placuerit, sic promoti in Domo remaneant percepturi beneficium bursæ suæ, donec sibi aliter provisum fuerit, ut est dictum; volentes se in bursæ & fructuum dictæ bursæ perceptione conservare, ad sacerdotium vel ordines sacros ad titulum prædictæ bursæ promoti sunt, seu promoveri & ordinari se fecerunt, sicque dictam bursam cum fructibus absque studii & scholasticorum Actuum continuatione & prosecutione, statutis & ordinationibus dictæ Domus derogando possidere ac tenere quandiu eis placuerit, nituntur; pluresque verisimiliter futuri sint, qui hanc viam insequerentur, nisi occurratur & de salubri provideatur remedio, in grave dispendium communis utilitatis & profectus studii, maxime Theologici, quoniam ex talium multiplicatione, si paulatim succrescerent, diminueretur graduandorum numerus, & tandem periret in Collegio præfato scientiæ & signanter sacræ Theologiæ studium. Notum facimus, quod nos ad quem pleno jure & de regalis nostræ plenitudine potestatis spectat totalis & omnimoda dispositio & reformatio dictæ Domus, præmissis obviare cupientes, matura nostri magni Consilii deliberatione super hoc prahabita, necnon etiam cum nonnullis aliis sapientibus, dictæque Domus nostræ famam, honorem & utilitatem fervide zelantibus, ex qua non pauci hactenus prodierunt viri celebres & literati, quorum virtutibus & doctrinis regnum nostrum nunc floret, & olim floruit ad Dei laudem fideique orthodoxæ dilatationem & exaltationem maximam, præfati dicti testamenti clausulam vel ordinationem, & consimilem vel consimiles, si quæ fuerint, sic volumus intelligi & interpretari, eamque & quamcunque aliam similem modo & forma sequentibus intelligimus, & nostra auctoritate regia, nostris in hoc morigerando prædecessoribus interpretamur & ordinamus: videlicet, si aliqui ex Theologicæ Facultatis Scholaribus affectu devotionis se vellent ad sacerdotium facere promoveri, qui videlicet veri Scholares fuerint, sine fraude Actus scholasticos tam publicos & extraneos, quam privatos & domesticos, usque ad magisterii gradum inclusive, continue & debite frequentando, quique nullum patrimonium aut beneficium habeant, ex quibus possint, dum in sacris ordinibus constituuntur, aliter intitulari, habentes insuper a gubernatore & principali dictæ Domus Magistro testimoniale de sua in moribus & scientia studiique profectu ido-

neitate, ac de dicto testimoniali Pontificem qui eos ordinabit, rite doceant & informent. Placet nobis, quod istud ad bursæ suæ titulum fiat, & quod cursu scholastico usque ad Licentiam cum effectu completo in Domo prædicta maneant, & fructum bursæ percipiant, donec & quousque beneficium aut patrimonium tanti valoris conjunctim & divisim serviendo supra locum assecuti fuerint, quanti valoris commorantibus in Collegio est bursa prælibata; & quod sic promoti simul numerum trium non excedant, qui etiam gradu magisterii suscepto servire in Capella teneantur, horas Canonicas diebus continuis decantando, Missasque vice sua celebrando, quemadmodum & Capellani dicti Collegii facere obligantur. Quocirca dilectis nostris Magistro & Provisori præfati nostri Collegii tam præsentibus, quam futuris, omnibus etiam Iustitiariis & Officiariis nostris, tenore præsentium quam expressius & districtius fieri potest, tradimus atque damus in mandatis, quatenus præfatam dicti testamenti ordinationem vel clausulam, seu aliam similem aut consimiles, aliter quam ut superius declaratum extitit, interpretari, dictæque interpretationi derogare non præsumant, & in libro statutorum & ordinationum dicti Collegii inseri, inscribi & superaddi faciant, & a præsentibus & futuris Scholaribus inviolabiliter observari. Si vero aliquis aut aliqui de numero studentium prædictorum ad præfatæ bursæ titulum aliter quam juxta nostram intentionem & interpretationem præmissam, ad sacerdotium vel sacros ordines promotus extiterit seu faciat se in futurum promoveri, nullatenus eidem vel eisdem titulum jam dictum quoad bursæ retentionem valere aut suffragari. In cujus rei testimonium præsentes literas sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum Rotomagi die XXV. mensis Iulii anno Domini MCCCCLXIV. & regni nostri IV. Signatum super plicam in superiori parte, Per Regem in suo Consilio, in quo Patriarcha Episcopus Bajocensis, Episcopus Briocensis, Admiraldus Magister Stephanus Militis, & plures alii erant.

In testamento Reginæ & primis Gymnasii constitutionibus clausula est, qua ex Scholarium Theologorum ordine duo possunt ad titulum bursæ Sacerdotes creari. Reginæ gratia nonnulli abusi fuerant, eumque abusum tollendum sibi esse Ludovicus statuit, conditionesque certas apponit, quibus indulgentia Reginæ circumscribitur.

Porro autem ex hoc regio diplomate conditum est decretum, quod Reginæ fundatricis decretis adjungendum est. Sic se habet :

Item quia sub prætextu cujusdam clausulæ vel ordinationis, quæ, ut fertur, in testamento bonæ memoriæ Reginæ Collegii fundatricis continetur, cujus tenor dicitur esse talis : Si aliqui ex Theologicæ Facultatis Scholaribus affectu devotionis inducti se vellent ad sacerdotium facere promoveri, placet nobis quod ad bursæ suæ titulum istud fiat, & quandiu ipsis Scholaribus placuerit, sic promoti in Domo remaneant percepturi beneficium bursæ suæ, donec sibi aliter provisum fuerit, ut est dictum; volentes se in bursa & fructuum dictæ bursæ perceptione conservare perpetuo absque continuatione studii sui & cursus, in quo statutis & ordinationibus dictæ Domus maxime derogare videntur. Placet itaque domino nostro Regi, ad quem pleno jure & de regalis suæ plenitudine potestatis spectat totalis & omnimoda dispositio & reformatio dicti Collegii, præmissis obviare cupienti, præfatum statutum sic, ut sequitur, interpretari : Si aliqui ex Theologicæ Facultatis Scholaribus affectu devotionis se vellent ad sacerdotium facere promoveri, qui videlicet veri Scholares fuerint, sine fraude Actus scholasticos tam publicos & extraneos, quam privatos & domesticos, usque ad magisterii gradum inclusive, continue & debite frequentando, quique nullum patrimonium aut beneficium habeant, ex quibus possint, dum in sacris ordinibus constituuntur, aliter intitulari, habentes insuper a gubernatore & principali dictæ Domus Magistro testimoniale de sua in moribus studiique profectu idoneitate, ac de dicto testimoniali Pontificem, qui eos ordinabit, rite doceant & informent. Placet domino nostro Regi, quod istud ad bursæ suæ titulum fiat, & quod cursu scholastico usque ad Licentiam cum effectu completo in Domo prædicta maneant, & fructum bursæ percipiant, donec & quousque beneficium aut patrimonium tanti valoris conjunctim vel divisim serviendo supra locum assecuti fuerint, quanti valoris commorantibus in Collegio est bursa prælibata; & quod sic promoti simul numerum trium non excedant, qui etiam gradu magisterii suscepto servire in Capella teneantur, horas Canonicas diebus continuis decantando, Missasque vice sua celebrando, quemadmodum & Capellani dicti Collegii facere obligantur. Sic Rex prudentissimus cum intue-

retur, Theologicæ Facultatis Scholares male vti Reginæ fundatricis indulgentia, abusum corrigendum esse duxit, & eam indulgentiam certis circumscripsit limitibus queis hinc Reginæ mens ac intentio explicaretur magis magisque, inde abusus omnino tolleretur.

In secundo Rex Joannem Baluam Collegii gubernatorem instituit. Diploma sic se habet :

Loüis par la grace de Dieu Roi de France, à tous ceux qui ces presentes lettres verront, salut. Comme tantost aprés nostre avenement à la Couronne, nous eussions commis & ordonné nostre amé & feal Conseiller l'Archevesque de Bourges, pour pourvoir aux Benefices estans en nostre provision & disposition, quand vaqueront par permutation, resignation ou simple demission ; aussi aux bourses du College de Navarre à Paris, tant de Grammaire, des Arts, que de Theologie; pareillement aux Hostels-Dieu, Maladeries & Aumosneries : & soit ainsi que nostredit Conseiller n'ait pu ni puisse faire residence entour nous pour les occupations qu'il a tant en son Eglise, qu'autres ses affaires, pourquoi advient souvent que les provisions ne sont données ausdits Hostels-Dieu, Maladeries & Aumosneries, aussi aux personnes qui requierent provision sur les permutations, resignations, demissions de leursdits benefices qu'ils veulent faire, ainsi qu'il appartient & qu'il est bien requis; sçavoir faisons, que nous les choses susdites considerées, voulans & desirans y pourvoir, confians des services, loiauté & bonne prud'hommie de nostre amé & feal Conseiller en nostre Cour de Parlement Maistre Iean Balue, Thresorier de l'Eglise d'Angers, icelui pour ces causes & autres à ce nous mouvans, avons commis & ordonné, commettons & ordonnons, & lui avons donné & donnons par ces presentes pouvoir, autorité, commission & mandement especial, en quelque lieu qu'il se trouve, soit entour nous, ou ailleurs où il se trouvera, de donner les bourses du College de Navarre à Paris, tant de Grammaire, des Arts, que de Theologie, pareillement les Hostels-Dieu, Maladeries & Aumosneries, dont la collation & provision nous appartient, toutefois que vacation i escherra, & aussi de recevoir pour & au lieu de nous toutes permutations de benefices, resignations ou simples demissions estant en nostre collation de plein droit, presentation ou autre disposition, & de les conferer & en bailler

lettres valables de collation aux parties, & generalement de faire toutes les choses dessusdites, leurs circonstances & dépendances, pour & au lieu de nous, ce qu'ont accoustumé faire ou faisoient les Confesseurs & Aumosniers de feu nostre cher Seigneur & pere que Dieu absolve, en son vivant, pourveu qu'il n'y ait fraude, simonie ou autre illicite paction. Et voulant ce que par nostredit Conseiller aura esté fait touchant les choses dessusdites, estre valable & de telle vertu & valeur, que ce par nous fait auroit esté, en témoin de ce nous avons fait mettre nostre seel à ces presentes. Donné à Amboise le XXVIII. *Decembre l'an de grace* MCCCCLXIV. *& de nostre regne le* IV.

Ad hunc annum de novo Collegii administratore in primo volumine recensionis Regestorum Senatus legitur:

Commission donnée par Louis XI. le XXVIII. *jour de Decembre en* MCCCCLXIV. *à Maistre Iean Balue, Conseiller au Parlement & Thresorier d'Angers, pour donner & conferer les bourses du College de Navarre, &c. & generalement de faire tout ce qu'avoient accoustumé de faire les Confesseurs du Roy Charles VII. son pere.*

Hic Joannes Balua quamvis non esset Regis Confessarius, tamen ex Ludovici auctoritate Confessarii partes obiit in Navarræ Collegio.

Ad tertium quod attinet, Ludovicus Stephanum Pacquotum ex officio Provisoris deturbat ob rei male administratæ culpam, & in locum illius sufficit Joannem Pijonem. Diploma tale est:

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex universis præsentes literas inspecturis salutem. Notum facimus, quod cum ad nostram pervenerit notitiam, Magistrum Stephanum Pacquot, pridem Collegii nostri Campaniæ, alias Navarræ, Parisius fundati Provisorem, multos defectus & abusus in dicto officio Provisoris commisisse, & magna dicto Collegio intulisse incommoda, propter quæ per dilectas & fideles Gentes nostræ Cameræ Compotorum nostrorum & Thesaurarios merito suspensus extiterit. Cum autem sufficienter informati fuerimus, præfatum Magistrum Stephanum Pacquot insufficientem administratorem esse, insuper & damnosum præfato Collegio: quapropter nos præmissis consideratis, & quia nobis spectat totalis dispositio & collatio dicti Collegii, cupientes

præfato officio Provisoris de persona idonea & utili provideri; attenta etiam laudabili relatione nobis facta de discretione, diligentia & probitate dilecti nostri Magistri Ioannis Pijon in Decretis Licentiati, qui ad exercendum dictum officium Provisoris per dictas Gentes Compotorum nostrorum fuit commissus, donec aliud foret super hoc per nos ordinatum, præfatum officium Provisoris dicti Collegii nostri Navarræ eidem Magistro Ioanni Pyon, causis prædictis & aliis justis ad hoc moventibus, dedimus & contulimus, damusque & conferimus de gratia speciali & suorum intuitu meritorum per præsentes, eundem Magistrum Stephanum Pacquot ab eodem officio deponendo & totaliter exonerando auctoritate regia per præsentes ad ipsum officium Provisoris tenendum & exercendum a modo per præfatum Magistrum Ioannem Pijon ad vadia, jura, libertates, franchisias & emolumenta consueta & dicto officio pertinentia. Quocirca dilectis nostris Magistro & Scholaribus dicti Collegii nostri Navarræ, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, damus in mandatis, quatenus recepto dicto Magistro Ioanne Pijon, de novo, si opus sit, juramento in talibus solito præfatum Magistrum Ioannem Pijon ad dictum officium Provisoris admittant & recipiant, & in possessionem & saisinam ejusdem officii ipsum ponant & inducant, servatis statutis dicti Collegii, & eundem dicto officio Provisoris una cum vadiis, juribus, libertatibus, commodis & emolumentis ad dictum officium spectantibus uti & gaudere pacifice faciant, amoto abinde præfato Magistro Stephano Pacquot, quem penitus amoveri & amotum esse volumus, oppositionibus & appellationibus nonobstantibus quibuscunque: mandantes ulterius præfatis Gentibus Compotorum nostrorum & Thesaurariis, quatenus vadia ad dictum officium pertinentia eidem Magistro Ioanni Pijon de denariis suæ receptæ & administrationis per manus suas retineri anno quolibet patiantur & permittant, & ipsa sic retenta in compotis suis, præsentes duntaxat reportando, allocent, & de sua recepta deducant modo & terminis consuetis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Cainone XII. *die Ianuarii anno Domini* MCCCCLXIV. *& regni nostri* IV. Hinc datæ sunt Pijoni claves, quibus in ærarii Collegii possessionem venit.

Hic prætermittendum mihi non est tempus, quo affe-

ctatæ

ctatæ ab Ludovico ignorantiæ calumnia coerceatur. Et primo quidem Ludovicus Ludimagistrum egregium habuit Joannem Majorem Navarræ Socium, cui Parisiensis noster Cancellarius monita & documenta imbuendo Regi necessaria dedit. Hic Major ex Ludimagistro factus est postea Confessarius, vt docet nos inscriptio epistolæ CCXXXIX. quam ad eum Gerardus Machetus Castrensis Episcopus scribit: *Ornatissimæ prudentiæ & salutaris doctrinæ viro Magistro Ioanni Majoris Confessori illustrissimi Principis domini Delphini, fratri & amico exoptatissimo.* In epistola CCCLVII. Majorem *virum debito honore & digna laude prosequendum adeoque sanctissimum* appellat. Deinde quæ & hoc & superiori capite de Ludovico retulimus, omnino comprobant, hunc Regem & literas & literatos incredibiliter amasse. Vix enim fieri potest, vt Princeps vllus vnquam suum erga optimarum artium studia amorem testificetur luculentius. Inchoatam a patre Collegii emendationem & in pristinum statum restitutionem absolvit, vt quæ Domus olim fuerat eruditorum hominum fons & seminarium, deinceps fons & seminarium idem esse perseveraret. Correxit abusus qui in certam testamenti Reginæ clausulam irrepserant, eamque legibus nonnullis temperavit. Gubernatorem Collegii minus idoneum sustulit, & in ejus locum sufficit alium, quem in aula secum haberet, & ab eo de rebus Collegii, de profectu Sodalium, de observantia disciplinæ identidem moneretur. Provisorem ineptum deposuit, aptiorem substituit, qui bona Collegii cautius administraret. His accedit, quod Basilicæ sanctæ Mariæ Parisiensis jus bursæ vnius in Grammaticorum sodalitio concesserit, vt suppeteret vnde aliquis ex ordine symphoniacorum juvenum ad literas in perpetuum erudiretur. Privilegium hoc postea referemus.





CAPUT XI.

Utriusque ordinis viri spectabiles sanctorum Ludovici & Guillelmi festis intersunt. In locum Joannis Baluæ Cardinalis sufficitur Abrincensis Episcopus, qui Collegium administret. Ægidius Carlerius moritur. Auctoritate Ludovici XI. Nominalium libri vinculis in Bibliotheca constringuntur. Rex Parisiensi Capitulo privilegium bursæ unius Grammaticalis concedit.

ANNO Christi MCCCCLXVI. Joannes Ramerius qui sexennio ante designatus fuerat Doctor, præfecturam Artistarum dimisit, quod Doctoris titulum accepisset. Ea Collegii disciplina erat, vt Magistri Grammaticorum & Artistarum Doctores fierent in Theologia, magisterio tali sese abdicarent. Hoc anno pestis grassatur Lutetiæ, eamque ob causam Collegii Magistri ac Sodales Stampas fuerunt translati, quo in loco steterunt menses quinque.

Anno MCCCCLXVII. celebratur Turonis Concilium, ad quod congregata in Navarræ Gymnasio Universitas articulos plures & commendatitias literas misit.

Anno MCCCCLXVIII. instructum est in festo sancti Ludovici prandium, cui post sacrum interfuerunt *dominus Comes, Cancellarius Franciæ, Præsides Parlamenti & Cameræ Compotorum, & dominus Thesaurarius Franciæ. Paratum est aliud quoque in festo beati Guillelmi prandium, cui interfuerunt Joannes Balua Cardinalis Andegavensis, Superior Collegii, Cancellarius Franciæ, Patriarcha Antiochenus, Episcopus Lemovicensis & Biterrensis, Præsides Parlamenti & Cameræ Compotorum, & Thesaurarii Franciæ.* Prandii vtriusque locus fuit aula Theologorum. Instructor Stephanus Archambaldus, qui anno MCCCCLXXIV. decessit v. Calend. Junii, & in Basilica Gymnasii sepultus est. *Acta Collegii.*

Anno MCCCCLXIX. Joannes Balua Episcopus Andium

Cardinalis comprehensus custodiæ traditur; & tunc Joannes Abrincensis Episcopus, qui Regi erat a confessionibus, Gymnasii administrator cœpit esse.

Insequenti anno cum sancitum & confirmatum fuit Gallos inter & Anglos fœdus, Anglorum Regina Lutetiam venit. Ut eam ingredientem salutaret Academia, Ludovicus XI. præcepit. Hæc acceptis a Rege literis congregata est & statuit, vt id quanto possit apparatu & pompa fieret. Lectus est Navarræ Archididascalus Guillelmus Castrofortius, qui salutandi munere defungeretur; sed referre præstat rem totam, prout eam Cantianus Hueus, Grammaticorum Magister, in libro Procuratorum Gallicanæ Nationis Procurator ipse descripsit: *Die Sabbati* XXII. *Decembris post prandium hora secunda conclusionem prius habitam exequendo, convenerunt singularum Facultatum Magistri & Doctores Rectorem associantes in vico sancti Iacobi inter portam civitatis & porticum Prædicatorum, & miro modo ordinati a latere sancti Stephani de Gressibus, quod est dextrum post Rectorem portæ civitatis & ingredientibus, sedebant viciniores Doctores Theologi secundum vici longitudinem ordinati in parvisio dicti sancti Stephani, deinde Iuris periti Doctores & tres domini Magistri Medici. Alia ex parte vici a latere sinistro e regione Domus Rectoris sedebant Procuratores* IV. *præclaræ Facultatis Artium & singularum Nationum Regentes cappati & honeste habituati, & a tergo singulorum vtriusque lateris Magistrorum & Scholarium innumera multitudo: qui omnes facto quasi vnius horæ spatii intervallo, exspectando Reginam ingredientem benigniter & magnifice susceperunt. Et verbum cum Regina fecit honorandus Magister noster M. Guillelmus de Castroforti, eam salutando, & preces cum obsequiis nobis possibilibus sibi offerendo, cui dominus de Castillione pro Regina gratias amplas referens Universitati, se obtulit in possibilibus obsequia præstare. Quibus completis, singuli ad propria remearunt.*

Anno MCCCCLXXI. Guillelmus Parisiensis Episcopus in festo beati Ludovici sacris operatur. In Collegio prandent cum illo Præsides Parlamenti & Cameræ Compotorum.

Anno MCCCCLXXII. Alliaci & Gersonis discipulorum vltimus, Ægidius Carlerius, Cameracensis Ecclesiæ Decanus,

moritur ad IX. Calend. Decembris. Huic succedit Socius alter, integerrimæ vitæ & convenientissimæ disciplinæ vir, Ægidius Nelteletus, qui Doctor anno superiori designatus fuerat.

Anno MCCCCLXXIII. Abrincensis Episcopus Regis Confessarius, Princeps Senatus, Parisiensis Prætor in Bibliothecam se conferunt, & libros Nominalium vinculis constringunt, & prohibent ne legantur.

Anno MCCCCLXXIV. Ludovicus XI. Basilicæ beatæ Mariæ Parisiensis jus bursæ apud Grammaticos concedit. Privilegium istud sic se habet: *Ludovicus Dei gratia Rex Francorum. Etsi nostra regia Majestas omnibus piis operibus jugiter aspiret, in eis tamen quæ divini cultus augmentum & animarum concernunt salutem, liberalitatem pariter & gratiam libentius extendere consuevit. Nam Regum potestas a Domino Deo est, & per spiritualia suffragia apud Deum & homines in temporalibus proficit, & ad salutem dirigitur ac feliciter prosperatur, dum divinæ clementiæ exhibuerit famulatum, & sacro cultui Deoque dedicatis viris consolidaverit incrementum, ut regio fulti præsidio accuratius divinis assistant obsequiis. Notum igitur facimus universis tam præsentibus quam futuris, nos bene dilectorum nostrorum Infantium Albæ de choro Ecclesiæ Parisiensis humilem recepisse supplicationem, continentem, eosdem supplicantes, dum parvuli sunt in ætate tenera & Albæ Infantes in dicta Ecclesia, adeo occupatos esse, tam Musicæ artem studendi, quam divinis diurnæ & nocturnæ deserviendi gratia, atque studio Grammaticæ commode vacare non posse, sine qua, cum voce nutriti sunt & adulti, efficiuntur dictæ Ecclesiæ minus habiles & idonei, atque ad beneficia, personatus, officia & alios ejusdem gradus & dignitates ascendere non valent: imo cum Albam relinquunt, sine tremore indisciplinati manent. Ex quo conveniens eis foret & necessarium, ut dum in Alba amplius servire non possunt, & vox eorum mutatur, aliquo persisterent in Collegio, quo in Grammaticalibus studentes, inque tremore & disciplina nutriti, scientia fundati, ac bonis ædificati moribus, possint ad gradus jam dictos facilius ascendere, & in divinis dictæ Ecclesiæ deservire. Quod commode fieri non potest, eo obstante, quod ipsi supplicantes ex humili genere communiter trahunt originem, & suorum parentum inopia seu modica causante facultate, non habent unde*

sibimet ipsis subvenire, nec expensis studentium in Collegio necessariis satisfacere possint, etiam quia dum Albam relinquunt & ab infantia chori discedunt, alii eorundem in locis retinentur oneri dictæ Ecclesiæ, quæ ob deteriorationem proventuum ejusdem duplicia ex hoc onera sustinere non posset. Supplicantes idcirco humiliter, quatinus horum consideratione, & maxime quod nullum aliud sit Parisius magis conveniens Collegium, in quo Scholares in Grammaticalibus studere facilius & instrui possint, ac Musicæ continuare artem, præter Collegium Domus nostræ regalis Campaniæ de Navarra nuncupatæ, cujus in Capella die noctéque divinum celebratur Officium, & quotidianæ continuantur horæ, eisdem parvulis supplicantibus vnam de bursis Grammaticalibus dicti Collegii volumus concedere & perpetuo astringere. Itaque vnus eorundem post alium qui dispositus fuerit, illam valeat assequi, & eis super hoc nostram impartiri gratiam. Quapropter nos præmissis consideratis, supplicationi dictorum Infantium pietatis intuitu ac benevolo inclinati favore, ex his aliisque justis de causis nos in hac parte moventibus, præsertim ob reverentiam gloriosissimæ virginis Mariæ matris Domini nostri JESU-CHRISTI, *in cujus honorem dicta Ecclesia Parisiensis dedicata est, & in qua est spes & devotio singularis, vtque orationum precum & operum caritatis, quæ in dicta Ecclesia fiunt & inposterum fient, participes continuo efficiamur, eisdem Infantibus supplicantibus dedimus, concessimus & conferimus, & ex nostra certa scientia specialique gratia & plenitudine potestatis & auctoritate regia damus, concedimus & conferimus per præsentes vnam de prædictis bursis Grammaticalibus præfatæ Domus nostræ Campaniæ seu Collegii regalis de Navarra nuncupati Parisius, videlicet primam ex eisdem, quam per cessum vel decessum, absentiam, resignationem, assecutionem seu ascensionem ad bursas artistales vel alio quovismodo vacare continget, vni scilicet dictorum Infantium Albæ de choro dictæ Ecclesiæ Parisiensis, quem cari & bene dilecti nostri Decanus & Capitulum dictæ Ecclesiæ inter eosdem Infantes duxerunt nominandum & magis dispositum ad eandem bursam habendam, tenendam & possidendam, quandiu eodem in Collegio studens in eadem Facultate Grammaticæ permanebit. Et quam quidem bursam grammaticalem per nos eisdem supplicantibus in dicto Collegio de Na-*

varra modo prædicto collatam, de nostris scientia, gratia, potestate & auctoritate prædictis voluimus, ordinavimus & decrevimus, volumusque, ordinamus & decernimus per easdem præsentes esse astrictam & affectam nunc & in perpetuum dictis Infantibus supplicantibus, qui nunc sunt & pro tempore fuerint, ad utilitatem videlicet & commodum illius & eorundem Infantium, qui per dictos Decanum & Capitulum dictæ Ecclesiæ dispositus, repertus & nominatus fuerit dilectis nostris Magistro & Provisori ejusdem Domus seu Collegii: ita tamen quod dum & quotiescunque eandem bursam grammaticalem seu locum per unum ex dictis Infantibus, sicut præmittitur, nominatum, assecutum, per cessum vel decessum, absentiam seu per ascensionem ad bursas artistales, aut alio quovismodo vacare continget, alter ex eisdem Infantibus, quem loco illius ob quem vacabit, dicti Decanus & Capitulum duxerint eligendum & nominaverint, & cui ipsi Decanus & Capitulum, quibus in hac parte potestatem dictam bursam conferendi uni ex dictis Infantibus contulimus, vice nostra contulerint, eandem bursam seu locum assequatur: & sic successive uno ex eisdem supplicantibus a dicta bursa discedente, unam alius sicut supra nominandus & assumendus obtineat & possit perpetuis temporibus obtinere. Et quem Infantem, dicti Magister & Provisor prædictæ Domus nostræ seu Collegii regalis de Navarra, qui pro tempore fuerint, ad nominationem & collationem dictorum Decani & Capituli Ecclesiæ Parisiensis duntaxat, in locum & ad bursam prædictam admittere & recipere teneantur & debeant, ac de fructibus ejusdem eidem respondere, nullo alio a nobis vel alio quocunque potestatem habente, super hoc exspectato mandato. Et in signum nostræ hujusmodi perpetuæ collationis volumus & ordinamus, quod Infans ille ex dictis supplicantibus qui dictam bursam obtinebit, Scholaris beatæ Mariæ vocetur & in antea nuncupetur. Dantes prætera in mandatis dilectis & fidelibus Consiliariis nostris Gentibus Curiæ Parlamenti & Compotorum nostrorum, Præposito Parisiensi, & prædictis Magistro & Provisori dicti Collegii regalis de Navarra, ac ceteris Justitiariis nostris aut eorum locum tenentibus præsentibus & futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, quatinus dictos Infantes Albæ de choro Ecclesiæ Parisiensis supplicantes hujusmodi gratia, donatione, collatione, concessione, decreto & or-

dinatione nostris vti & gaudere faciant, patiantur & permittant pacifice & quiete, nihil disturbii aut impedimenti eisdem in contrarium faciendo seu fieri permittendo, sed secus facta cassando & ad debitum statum reducendo, compellendo viis juridicis. Præfatique Magister & Provisor dicti Collegii dictum Scholarem nostræ Dominæ eis modo prædicto nominandum, ad grammaticalem locum & bursam prædictam, cum locus vacationis evenerit, vbi ex parte dictorum Decani & Capituli fuerint requisiti, recipiant & admittant, eundemque in possessionem realem & corporalem dictorum bursæ & loci inducendo, & sibi de fructibus, reditibus, proventibus & emolumentis ad bursam & locum hujusmodi spectantibus & pertinentibus, ab omnibus quorum interesse poterit, integre responderi faciendo, quoniam sic fieri volumus: nonobstantibus, quod fundatio dictarum bursarum in favorem & commodum Scholarium, de certis nationibus oriundorum duntaxat, vt asseritur, facta fuerit, nec debeant ipsæ bursæ alteri quam oriundis ex nationibus, & sub certis modis & formis in dicta fundatione & statutis declaratis conferri; etiam quod similes bursas ad inperpetuum minime conferre consuevimus; ordinationibus, consuetudinibus & statutis dicti Collegii, quibus in hac parte derogare volumus, & literis ac mandatis in contrarium facientibus. Et vt hæc robur obtineant perpetuæ firmitatis, sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum Parisius mense Ianuario anno MCCCCLXXIV. *& regni nostri* XIV. *Per Regem, Episcopo Abrincensi & aliis præsentibus.*

Hoc privilegium quanti faciendum sit, cum Parisiensis Ecclesia cui conceditur, tum Rex Christianissimus qui cautione tanta concedit, luculenter ostendunt. Diploma Regis qui leget, non ibit inficias. Si Rex & Parisiensis Ecclesiæ per sese spectentur, quod tunc ingens fuit beneficium, nunc vel nullum vel exiguum esset beneficium. Grammaticorum Communitas dum quæritur, vix invenitur; & si tandem inveniretur quæsita, inveniretur in loco non suo. Domestici facti sunt extranei, & extranei domestici: quo nihil est Reginæ fundationi & legibus magis contrarium.

Anno MCCCCLXXVI. mense Novembri Lutetiam venit Ferdinandus Castellæ Rex, quem Sodalis Joannes Eschartus Theologus Academica gratulatione excepit. Ferdinan-

dus optavit vnum e suo comitatu Parisiensem renunciari Theologum, antequam ipse in Hispaniam rediret. Sed cum hoc impetratu difficile perspiceret, convenit Ludovicum Regem, vt conjunctis sive operis, sive mandatis, voti compos evaderet. Ludovicus Guidonem Rupefortium Cancellarium mittit ad Academiam, vt ei significet, quid ab illa Reges duo enixe postularent. Selecti sunt ab Academia Joannes Eschartus & Antonius Ursus Sodales e Navarra Theologi, qui vtrumque adeant Regem; doceantque id fieri non posse, quin plures Academiæ leges violentur; in eas veniam cadere nullam posse, quin Romanus Pontifex interveniat. Negotium istud, quod magnis, vt apparet, difficultatibus non caruit, ita prudenter tractant, vt Ludovicus & Ferdinandus repulsam animo æquo tulerint. Hoc autem quod nunc dierum quibus scribo, fidem excedit, diserte testantur Acta Francicæ Nationis, procurante eam Guillelmo Rogerio. & sic se habent: *Die* XXII. *mensis Novembris fuit congregata alma Universitas Parisiensis apud sanctum Maturinum, super duobus articulis. Primus fuit, ad audiendum literas credentiæ a supremo domino nostro Rege Universitati transmissas super receptione Regis Castellæ & Portugalliæ, &c. Quantum ad primum articulum, dominus de Gaucour; Locumtenens regius, eleganter & egregie explicavit mentem supremi domini nostri Regis, & qualiter inter Principes terræ, volebat eundem Regem in sua villa Parisiensi honorari. Qua declaratione audita, veneranda Francorum Natio deliberavit, quod cum omni honore & reverentia possibili reciperetur; & quod omnes Regentes & alii cum cappis & habitibus honestis & decentibus adventui ejusdem Regis adessent. Et in adventu prædicti Regis proposuit M. noster M. Ioannes Eschart.*

Die XXVI. *Novembris fuit convocata alma Universitas Parisiensis in Iacobitis, super duobus articulis. Primus fuit, ad audiendum literas regias missas Universitati ex parte supremi domini nostri Regis, quibus literis rogabat, & nihilominus strictissime mandabat Universitati, vt quidam Magister de familiaribus Regis Castellæ ad gradum Licentiæ & Doctoratum in Theologia admitteretur, in favorem prædicti Regis Castellæ præsentis, qui etiam instanter rogabat pro receptione ejusdem, &c. Quantum*

tum ad primum articulum, deliberat veneranda Natio Franciæ, quod parata erat parere mandatis & jussibus Regis, & quod salvis statutis Papalibus, de quibus Universitas non poterat dispensare, si esset possibile, reciperetur in favorem supremi domini nostri Regis, cujus mandatis adversari nullatenus poterat; & quantum ad illam receptionem pertinebat, quia factum concernebat & spectabat Facultatem Theologiæ, eidem Facultati remisit.

Die XXVIII. *Novembris fuit convocata alma Universitas Parisiensis in sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad avisandum de responso dando Cancellario Franciæ super prædicta supplicatione, qua supplicaverat præfatus Magister familiaris Regis Castellæ, pro admissione ad gradum Doctoratus in Theologia, &c. Quantum ad primum articulum, deliberat veneranda Natio Franciæ, quod præfato domino Cancellario Franciæ daretur simpliciter responsum negativum, remonstrando sibi, quod eundem Magistrum recipere non poterat ad gradum Doctoratus in Theologia, attento quod non acquisiverat tempus Parisius, nec unquam studuerat in Universitate Parisiensi: & hoc esset incurrere perjurium & sententiam excommunicationis secundum statuta Facultatis Theologiæ, de quibus Facultas non posset dispensare. Dominus Cancellarius Franciæ, audito responso negativo, adhuc hortatus est Universitatem, ut super hoc adhuc avisaret & maturius deliberaret: & dicit, quod si isti supplicationi & mandato regio non pareret, graviter offenderet Regem, & incurreret indignationem Regis, & forte postea perditionem suorum Papalium privilegiorum.*

Die ultima Novembris congregata est iterum alma Universitas Parisiensis super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum responsum domini Cancellarii Franciæ datum deputatis Universitatis, qui responsum negativum super prædicta supplicatione eidem Cancellario dederunt. Exposuit dominus Rector mentem domini Cancellarii Franciæ, & qualiter ægre ferebat responsum & deliberationem Universitatis super materia illius supplicationis, admirans quomodo Universitas non annuebat supplicationi domini nostri Regis, attento quod alimentis ejusdem Regis fovebatur, & privilegiis ejus regalibus florebat; & multa alia similia retulit. Audita expositione & responso deliberat veneranda Natio Franciæ, quod Universitas adiret prima die post prandium hora prima

regiam majestatem Regis Castellæ in cappis & habitibus honestis, & quod Magister noster Ioannes Eschart, qui prima die erat propositurus, coram prædicto Rege excusaret Universitatem, & exponeret causas propter quas Universitas, & signanter Facultas Theologiæ, non poterat admittere prædictum Magistrum ad gradum magisterii in Theologia: & si non posset pacari animus Regis Castellæ, quod mitterentur ad dominum nostrum Regem aliqui notabiles viri cum literis, qui consimiliter exponerent Regi pericula, vt perjurium & sententiam excommunicationis quam incurreret Universitas, si eundem Magistrum admitteret, & qualiter Universitas non poterat petitionem regiam licite adimplere. Facta propositione coram Rege Castellæ, habuit Universitatem excusatam, pollicitusque est apud regiam majestatem Universitatem super hac materia excusare, & si novisset primam requestam fuisse contra statuta & juramenta Apostolica, nunquam fecisset illam requestam pro eodem Magistro familiari suo.

Die II. *Decembris fuit congregata Universitas Parisiensis in sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum relationem Magistri nostri Ioannis Eschart, & etiam Magistri nostri Magistri Antonii Ursi, qui fuerat missus ad dominum Cancellarium Franciæ, pro excusatione Universitatis super prædicta & sæpenumero iterata supplicatione, &c. Quantum ad primum articulum, veneranda Natio Franciæ plurimas grates retulit dominis proponentibus, de elegantibus propositionibus & relationibus suis, & deliberat vlterius, quod mitterentur aliqui de Magistris nostris in Theologia ad Regem Castellæ, ad impetrandum literas excusatorias pro Universitate, quibus literis præfatus Rex Castellæ haberet Universitatem excusare erga regiam majestatem, quia non poterat petitionem adimplere.*

Die VII. *Decembris fuit convocata alma Universitas Parisiensis in Iacobitis post Missam Universitatis, super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum aliqua denunciata domino Rectori ex parte domini de Gaucourt, Locumtenentis regii, qui rescripserat domino Rectori, quod deputati notabiles & de Facultate Theologiæ adirent dominum Cancellarium Franciæ, audituri aliqua quæ dicturus erat idem Cancellarius ex parte supremi domini nostri Regis. Quantum ad istum articulum, veneranda Natio Franciæ dedit deputatos graves, vt M. Ioannem de Martigniaco,*

M. Ioannem Guerin, M. Michaelem de Alnetis, cum quibusdam aliis, ut irent ad prædictum dominum Cancellarium cum aliis deputatis aliarum Nationum, audituri quæ dicturus erat dominus Cancellarius. Et paullo post supplicavit dominus Rector, quod si occasione prædictæ supplicationis illius supplicantis pro receptione ad gradum Doctoratus in Theologia, aliquid sinistre contingeret in periculum personæ suæ, vel detrimentum, quod Universitas eundem tueretur, & rem ipsam tanquam proprium factum acciperet.

Anno MCCCCLXXVIII. Regi, aulicis & amicis Collegii dantur birreta, pilei scilicet rotundi, quibus in Facultate Theologiæ Doctores inaugurantur. In festo sancti Ludovici apparatum est convivium, cui *Thesaurarius Franciæ dominus de Monglast, & Biterrensis Episcopus frater illius, adsunt.* Joanni Raulino, qui nuper designatus in Theologia Magister fuerat, *datur summa octo nummorum aureorum de pecuniis Collegii ex ordinatione dicti Collegii, eo quod ipse ad supplicationem Collegii invitavit aliquos amicos Collegii in festo sui doctoratus, ne gravaretur.* Ad hoc tempus spectat quod Joannes Major de Raulino tradit in quartum Sententiarum dist. XX. quæst. II. editionis secundæ: *Laudo factum optimi cujusdam viri & doctissimi Ioannis Raulini piæ memoriæ, qui cum in Theologia licentiatus esset, & hi Quæstuarii* (Indulgentiarum) *sibi offerrent pecuniam pro suo doctoratu, ea lege, ut cum eis proficisceretur de parochia in parochiam concionando id tanquam se indignum recusavit.*

Thomas Gerso, qui anno MCCCCXLIX. Doctoris titulum obtinuerat, Cantor Ecclesiæ sancti Martini Turonensis inibi moritur, relicta ingenti cum doctrinæ, tum virtutis existimatione.

Anno MCCCCLXXIX. Petrus Deonvillus Submagister Artistarum, ne septimus Sorbonicæ Disputationis locus vacaret, de Sorbonica respondit pro sua Tentativa. Id in Facultatis regestis memoriæ proditum est hoc modo: *Petrus Deonville respondit de Sorbonica* VII. *loco pro sua Tentativa.* Sic Disputationi illius principia fervebant.

CAPUT XII.

Collegium designatam pecuniæ summam nonnullis Theologis suppeditat, quo majores certis de causis sumptus faciant in die accepti a Cancellario magisterii. Raimundus Peraldus Legatus per Germaniam ad publicandas Indulgentias, mox Cardinalis. Carolus Rex VIII. Actui Vesperiarum & Disputationi Aulicæ interest, & ei dantur birreta duo, rubeum unum, violaceum alterum. Actuum Scholasticorum qui tunc fiebant, recensio. Aliquando de Sorbonica pro Tentativa respondetur. Cardinales cum Disputationibus Sorbonicis adsunt, respondenti eodem in scamno assidere contenti.

ANNO MCCCCLXXX. quo beneficii genere Collegium ornaverat Joannem Raulinum, eodem, immo majori, Joannem Blesensem ornat, vt illius Acta testantur: *Magistro Ioanni de Blesis, quondam Bursario Theologorum, ex ordinatione Collegii data fuit summa decem nummorum aureorum, quod invitaverat ad supplicationem ejusdem aliquos amicos Domus in festo sui doctoratus, (Qui interfuerunt in Aula Parisiensi & in prandio, sunt dominus de Gaucourt, domini Præsides Parlamenti, & alii Consiliarii illius Curiæ) ne Magister Ioannes gravaretur.*

Hoc anno Raimundus Peraldus Legatus a Sixto IV. mittitur in Germaniam, vt Indulgentiam plenariam fidelibus annunciaret. Id ita testatur Henricus Mutius in libro XXIX. Chronicorum Germaniæ: *Tempore isto* (anno MCCCCLXXX.) *erat in Germania Legatus Apostolicus Raimundus Pairaudus, qui habuit potestatem a summo Pontifice non solum vivos a peccatis absolvendi, sed etiam mortuos. Ejus enim Pontificium Indultum se ad vivos & mortuos extendebat.* Tunc erant hujusmodi Indulgentiæ, quæ a Romanis Pontificibus concede-

bantur. Sed de iis Indulgentiis tractare nostri non est instituti: historiam scribo, disputationes non habeo.

Anno MCCCCLXXXI. Guillelmus Castrofortius postquam Collegium præclare rexerat annos XXVIII. plus minus, e vita discedit V. Nonas Octobris. Sub hoc Archididascalo Domus maxime floruit. Guillelmus Rogerius nepos & testamenti exequendi præfectus, a cœtu fidelium summotus est, quod invito cum primis & repugnante sancti Stephani Curione sepeliendum esse Castrofortium curasset. Navarræ Domus privilegium hac in parte vel immunitatem a parochiali Presbytero nullam habet, etiamsi fundationis sit regiæ & a Rege in omnibus & singulis partibus suis pendeat quam proxime. Hierarchicum ordinem cum Gersone suo colit & observat. Vel ex hoc vno erroris arguuntur, qui sibi fingunt fundationem regiam huic ordini contrariam esse, & quodcunque immunitatis genus secum importare.

Anno eodem de Gaufrido Normani qui Magister Grammaticorum olim fuerat, & de Joanne Normani qui Artistarum Magister, germanis duobus, id in Actis Facultatis Theologicæ traditur, quod oblivioni minime dandum esse videtur. Est ejusmodi: *Magister Gaufridus Normani antiquus & senex atque debilitatus valde ætatis* LXXXVIII. *anno vel circiter, qui fuerat licentiatus anno* MCCCCXLV. *fuit vesperisatus per Ioannem Normani fratrem suum & juniorem.*

Anno MCCCCLXXXII. prandii, quod in festo beati Ludovici paratum est, convivæ fuerunt *dominus Cardinalis de Borbonio cum suis Cantoribus, domini Præsidentes cum aliquibus Consiliariis Regis & amicis tam de Curia Regis quam Parlamenti: expensa fuit libellarum* XII. Ætas illa præteriit, qua & pretio tali & viris tam illustribus moderatum & honestum juxta parabatur convivium.

Anno eodem Joannes Relicus lectus est, qui orationem in generalibus regni Comitiis haberet: habuit, eamque elegantissimam & ad persuadendum aptissimam. Is cum esset Carolo VIII. a confessionibus, auctoritate apud eum magna pollebat, nec multo post Andegavensi Episcopatu potitus est.

Anno MCCCCLXXXIII. *Ioanni Laurentio ſumma aureorum octo data eſt, qua accepti magiſterii ſumptus ſublevaret.* Deinde *emuntur birreta* XII. *& chirothecarum paria* XII. *quæ per Proviſorem & Baccalarium unum oblata fuerunt Cancellario Franciæ qui ſex habuit. Reſiduum vero datum domino Meldenſi & aliis amicis Collegii, qui ſe habuerunt favorabiliter cum Rege pro Collegio.*

Anno MCCCCLXXXV. prandio, quod in feſto beati Ludovici paratum eſt, *Præſides Parlamenti & amici Collegii interſunt.*

Hoc anno contigit extraordinaria celebritas in Actu, quo Petrus Deonvillus Navarræ Socius, Magiſter in Theologia renunciatus eſt. Hæc ita narratur in commentariis Theologicæ Facultatis: *In Aula Magiſtri noſtri Petri Deonville* VI. *Februarii, comparuerunt Rex Carolus VIII. ætatis ſuæ* XVI. *& cum eo comparuerunt Dux Aurelianenſis, Dux Lotharingiæ, dominus de Beaujeu maritus ſororis Regis & frater Ducis Borbonii, Comes Engoliſmenſis, dominus de l'Iſle, frater quondam Reginæ Franciæ, Cancellarius Franciæ, Præpoſitus Pariſienſis, dominus Baſtardus magnus Burgundiæ, dominus des Cordes magnus Capitaneus, duo vel tres Camerarii Regis, Confeſſor & Eleemoſynarii Regis, plures Barones & Milites, plures Epiſcopi & Abbates, tres Præſidentes Curiæ Parlamenti, nonnulli Doctores & Magiſtri: & fuit oſtium magnum introitus Domus Epiſcopalis Pariſienſis cum cuſtodia hallebardarum & armatorum Regis cuſtoditum & ſervatum, ita quod non intraverunt, niſi Doctores & Magiſtri ac Baccalarii cum illis qui invitati erant ad feſtum. Præſentatum fuit birretum de ſcarlato rubeo Regi & præſcriptis Ducibus & Comitibus.*

Anno MCCCCLXXXVII. *Ioanni de Charmeres data fuit ſumma* VIII. *aureorum propter amicos Collegii in utraque aula invitatos.*

Anno MCCCCLXXXVIII. Rex Privilegium ſimile ei, quod ante Pariſienſi Eccleſiæ conceſſerat, Eccleſiæ beati Martini Turonenſis conceſſit. Qua de re ſic Regeſtorum Senatus recenſio in volumine II. *Collatio perpetua unius burſæ in Collegio Navarræ facta per Regem Ludovicum XI. in menſe Aprili* MCCCCLXXVIII. *uni ex Infantibus Albæ de choro ſancti Martini Turonenſis, per Decanum, Theſaurarium*

& Capitulum ejusdem Ecclesiæ nominando. Quæ tunc sufficiebat vnaquæque Grammaticorum bursa, nunc minime sufficit, vt Reginæ fundatricis intentio servetur.

Anno MCCCCXC. Innocentius VIII. vt subveniret expeditioni, quam adversus Turcas parabat, in Germaniam misit, qui publicatis Indulgentiis exinde pecuniam tantæ rei necessariam colligeret. Raimundus Peraldus huic negotio interfuit. Id Joannes Nauclerus tradit in volumine II. Generatione L. *Deinde anno* MCCCCXC. *conventionem Oratorum Regum, Principum & Communitatum Romæ habuit* (Innocentius VIII.) *pro expeditione contra Turcas. Ei rei sumptus collecturus, plenarias Indulgentias in Germaniam pro exequenda expeditione misit, auxilio Raimundi Pairaudi Archidiaconi, cujus Indultum & ad vivos & ad defunctos sese extendebat. Magnam is copiam auri collegit.*

Anno eodem: *In festo beati Ludovici Suessionensis & Carnotensis Episcopi anno* MCCCCXC. *&* MCCCCXCI. *Regis Confessarius, Præsides Parlamenti & amici Collegii intersunt,* vt Acta Collegii fidem faciunt.

Anno eodem MCCCCXCI. Carolus VIII. in Navarræ Collegium pergit, vt Actibus Vesperiarum Ludovici Pinellæ & Joannis Charronis interfit, vt Acta Facultatis Theologicæ sic testantur:

Magister Ludovicus Pinelle, primus vocatus ad Licentiam, fuit vesperiatus die Lunæ post Lætare, in quibus Vesperiis fuit præsens Rex & multi alii domini temporales cum eo. Fuerunt facta in navi Capellæ Collegii Navarræ, & erat Rex cum sua comitiva in pulpito, & Schola cum aliis tam de Parlamento quam Prælati erant in navi.

Magister Ioannes Charron vesperiatus fuit per dispensationem Facultatis in vigilia dominicæ in Ramis Palmarum, & fuit Rex præsens cum domino Aurelianensi & aliis Principibus in loco prædicto.

Deinde Rex interest in Aula Parisiensis Episcopi, cum Pinella ibi magisterii lauream accepit: *Aula Magistri nostri Pinelle fuit vltima Aprilis, in qua Rex fuit præsens cum domino Aurelianensi & aliis Principibus associantibus Regem, cui fuerunt per bidellum præsentata duo birreta, vnum rubeum, alterum*

vero violetum ſimile birreto Magiſtrorum noſtrorum. Ludovico Pinellæ datur *ſumma libellarum* XI. *pro feſto doctoratus ſui.* Hic Doctor non multo poſt inſtituitur Archididaſcalus Navarræ.

Anno MCCCCXCIII. intereſt *ſancti Ludovici*, vt aiunt, *prandio Raimundus Epiſcopus Gurcenſis, Legatus Apoſtolicus & Imperialis, cum amicis Collegii: expenſa libellarum* XXVI. quæ pecuniæ ſumma eſt exigua, ſi noſtrum; idonea, ſi tempus illud conſideres.

Huc ſpectant epiſtolæ quædam Joannis Raulini, qui ex magno Navarræ Magiſtro factus eſt Cluniacenſis Monachus. Sic enim ſcribit in epiſtola XXXII. ad Ludovicum Pinellam: *Cupio inſuper ſcire qualiter valeat reverendus Pater Andegavenſis, & ſi finem habet proceſſus ſui Epiſcopatus. Nuper audivi ſuper hoc ſiniſtra quædam, quæ certe cordis mei penetralia laceraverunt; ſed his non cito fidem accommodavi. Is enim dum tuam regerem Domum, amicus fuit fidiſſimus, tribulationibus & anguſtiis occurrere paratiſſimus, qui optimis ingeniis Domum quam regis, ædificans, etiam temporalibus locupletabat.* Hic Epiſcopus Andegavenſis eſt Joannes Relicus, qui titulum Magiſtri pridem conſecutus erat. Deinde in epiſtola XL. ad eundem Andegavenſem Epiſcopum: *Neque me recedente prior receſſit amicitia, quin potius nullam crede, Deo teſte, præteriiſſe diem, nullam denique abſque tui ſpectabilis nominis memoria tranſegiſſe noctem. Vivunt adhuc tua quondam in me beneficia, quibus etſi minime poſſum reſpondere meritis, ſaltem vel votis innitor, neque mutata veſte habitu inventus vt Monachus in nullo videor immutatus, ſed tantum commutatus. Hoc intereſt quod cum Pariſius ſub tua prudentiſſima directione militarem, tirones in Schola ſcientiæ quos noveram optimos optimeque capaces Academiæ, ſollicite tibi inter cognatos & notos, inter alienigenas & ignotos requirebam.*

Anno eodem Archiepiſcopus Bituricenſis in Collegio perſonam Joannis Relici Andegavenſis Epiſcopi & regii Confeſſarii ſuſtinet: nec multo poſt alius Regis Confeſſarius ſubſtituitur Joannes Burellus Carmelita, Pariſienſis Theologus, de quo Raulinus ſcribit in epiſtola XXXII. *Vehementer hilareſcit animus meus veſtri Collegii audiens incrementa,* carif-

cariſſime frater, & quæ decori & exaltationi ejus conferunt; vellem tamen per te ſcire, quo cum affectu burſis Theologorum providit novus Confeſſor. Animadverto ipſum, ſi mutatus non ſit, ſatis eſt honoris cupidus: quam ob cauſam exiſtimo ipſum pro viribus vindemiare Univerſitatis botros, & fæce exinanita, mixtoque ſepoſito in regalibus horreis, nonniſi merum & vindemiam defæcatam introducet, eritque pro gloria prædeceſſorum ſuorum dorſo groſſior digitus ejus, dum anteceſſores magnanimus ipſe beneficentiis vicerit, quem in veritate diligo. Tum in epiſtola XXXVIII. ad eundem Confeſſorem regium: *Gaudeo quod regalis Domus Navarræ curam geris, ſpero, quod ſub alis tuis proſperabitur & meliorabitur. Agnoſco zeli tui fervorem, quem circa ſtudii agones & agoniſtas pridem habuiſti. Similis enim ſibi ſimile natura optavit ſemper, nec tui pro ætate refrigeſcentis in corpore requieſcet caritas in mente, propter quod ſi illam Domum tibi commendavero, non dubito quin benedicta Curiæ aqua me aſpergas, ſed magis rem tibi gratiſſimam ſuggerem repulſam minime patiar, & ut me ſcias non ficto animo, ſed te vera zelare amicitia, quaſi patrem, quaſi fratrem, quaſi amicum tenerrimum, quaſi peregrinationis & ſtudii & laboris mei (ſicut & ſpero) præmii futuri conſortem amantiſſimum, ſi te contingat Domum illam caſtiſſimam atque religioſiſſimam viſitare, pro facie mea videbis quos ibi reliqui nepotes meos, exhortans eos ad Chriſtum, quem eis ſolummodo cum permodica ſuppellectili dereliqui.*

Anno eodem Petrus Lerma Hiſpanus de Regis gratia in ſodalitium Theologorum admiſſus eſt, & adſcribo verba cautionis.

Ne quis vero dubitet, Petrum Lermam Hiſpanum Navarræ Sodalem fuiſſe, adſcribo cautionem, quam tunc cum eſſet Communitatis Theologorum Præpoſitus, Joanni Fortino Proviſori ſic fecit:

Ego Magiſter Petrus de Lerma, Socius & Præpoſitus Communitatis Theologorum regalis Collegii Navarræ, confiteor recepiſſe a diſcreto viro Magiſtro Ioanne Fortin, dicti Collegii Proviſore, pro tredecim Burſariis præſentibus ſummam quinque librarum & quatuor ſolidorum Pariſienſium, & hoc pro hebdomada octava Martii anno Domini MCCCCXCIII. *ante Paſcha, teſte*

ſigno meo manuali hic appoſito, anno & die præfatis.

Petrus de Lerma.

NOMINA PRÆSENTIUM.
Ludovicus Galli.
Guillermus Capel.
Guillermus Bachelerot.
Eleutherius Audacis.
Carolus de Gonda.
Joannes Maignen.
Joannes de Foſſatis.
Antonius Thevenard.
Joannes Monthaſſon.
Simon Iacquet.
Petrus de Valle.
Ludovicus Budé.
Ioannes Saulnier.

NOMINA ABSENTIUM.
Dionyſius de la Houſſoye.
Ludovicus Buchin.
Guillermus Caſtel.
Michael Deu.
Ioannes Bolvaci.
Robertus Rebourſel.
Matthæus le Lieur.

Ad annum M.CCCCXCIV. Raimundus noſter Peraldus, ſatagente Maximiliano I. Cæſare Cardinalis renuntiatus eſt: qua de re Floraventes Martinellus audiendus eſt in additione ad Ciaconium editionis II. *Eodem in Conſiſtorio publice coacto die 22. Aprilis 1494. datum fuit pileum Cardinali Gurcenſi, & aſſignatus titulus ſanctæ Mariæ Novæ in Coſmedin, tum ſancti Vitalis, ex quo poſtea, anno nempe 1494. die 29. Aprilis aſſumptus ad ſanctæ Mariæ Novæ, qui hac occaſione fuit erectus e Diaconatu in Presbyteralem, ut notat Brucardus in Diario.*

Tunc Matthæus Boſſus Veronenſis Raimundo de purpurea dignitate gratulatur in epiſtola ad eundem quadiageſima nona. Gratulatio eſt hujuſmodi: *Ex quo a nobis abiens Capitolia excelſa ſacro pallio coronandus ſubiiſti, tua mihi continue, Raimunde, occurſat animo virtus, tua ſalus, tuaque affectata ab omnibus vita, qui non ſecreta tibi conſcientia tantum, ſed publica cum laude piiſſimæ ac ſacratiſſimæ ſuæ Eccleſiæ decori, atque iis qui boni ſunt, omnibus exemplo & auxilio conſpicuus vivis ac nites. Qua ſane de re apud optimos quoſque & certiſſimos, qui pauci non ſunt, virtutum tuarum cultores, de delata tanta hac tibi dignitate ea congratulatio eſt, ac ſi pater omnium eſſes. Tanta æque ſuſcepta eſt de te opinio ſtatim, tanta &*

ad capessenda gerendaque maxima omnia ac præclarissima pro Christo & Ecclesiastica laude, tuis admiratoribus sperata omnia, vt tibi videatur anteferri ex his sane vel nemo, qui in Romano culmine isto spectabiles clarent. Quo fit, vt cum nuper tua ad vsque cubicula pestis repentina perrepserit & fuerit in tuos, quos caros & honestissimos alis, grassata ministros & pueros, non facere non potuerimus, quin tanto in vitæ discrimine tibi metuamus, & per omnes quidem horas sollicitemur, qui tuam plane vitam per incomparabilem virtutem hactenus ductam, & maximis nunc quidem rebus vivere inchoantem, non abrumpi protinus, sed extendi ad Matusalem & Nestoris annos anhelemus & voveamus. Ad ea enim quæ tibi proposuisti, summa gloriosaque facinora, tuæ vni egregiæ virtuti paria & animi magnitudine digna, nihil tam opus tibi fore, quam vitam agnoscimus, quæ longa si tibi contigerit, ita cetera divina providentia suppeditata sunt tibi, vt sit nihil tam magnum & sanctum, quod tua virtute non possis aggredi & tueri. Tuos humeros, tuos lacertos, tuas denique vires & nervos his temporibus desiderare videtur inclinata & prolabens in deterius semper christianissima & sancta Respublica: sed tanta o vtinam adhuc tibi fiat accessio auctoritatis atque potentiæ, quo vim divinæ mentis & ingentis pectoris tui ad firmitatem & gloriam sacrosanctæ Ecclesiæ Christi possis effundere ac dilatare. Quare vt ab acerbo & pestilenti isto genere leti, quod non tam a corpore educit animam, nec tam sensum & mentem extenuat, quam mergit & sepelit, te eximat pientissimus & maximus IESVS, *efflagitare nunquam, Raimunde, desistimus, additis ad preces votis supplicibus atque gemitibus. Sed dum hæc, Pater, tua tanta de virtute excellentiaque tecum palam ita commemoro, gestiente de virtute lætitia, nolim tuæ sobrietatis singularisque modestiæ captator adulatorque videri, quippe qui mercari mihi gratiam aut commodum vllum, nisi honestissimum his teneris putaverim verbis. Ea vitæ ratio, quæ mortalibus multis, mihi minime est, si non potius, vt servile peccatum, ambire salutationes, prævenire mensas & his invitatum accumbere, gaudereque sportula, ausus sim semper: quippe qui pauper & modicus factus sim sponte, & his me subtraxisse etiam in Domino gaudeam. Sed quod vehementer cupio, quod flagrat gliscitque animus, quod & præsagio verus vtinam vates, occultum fovere interius*

ſatis haud equidem poſſum, qui te tuis cum meritis, eminentiſſime ſine dubitatione Raimunde, dum effero, non mentiri ſum arbitratus; ſed quod tuum eſt tibi equidem reddere, Deumque tuis in virtutibus celebrare, cujus gratiæ & clementiæ eſt quidquid in homine bonæ mentis & validi operis nitet. Vale, ſpes publica, ſanctaque & reverendiſſima in Domino anima. Veronæ ex ſancto Leonardo Nonis Iulii.

Boſſus in epiſtola LI. ad Raimundum, vocat eum ſanctæ fidei & Eccleſiæ columen. In epiſtola LII. vocat eum *Eccleſiæ decus, religioſorum hominum gloriam & jubar Eccleſiæ.* In epiſtola LIII. ſcribit de quærenda Italiæ pace, de conciliandis inter ſe Cæſare & Galliæ Rege, & de iis in Turcas animandis. *Nihil*, inquit, *potuit agi rectius, nihil prudentius, nihil conſultius, quam quod ſapientia conſummatiſſima & bonitas maxima egit tua; ſed ceteris omiſſis, hoc in uno immortales imprimis Deo habeo gratias, qui in te propoſitum ſervat atque exaggerat, quod ardentiſſimum tecum ſemper nutriſti atque foviſti, ſerendæ pacis ac fœderis in Italiæ noſtræ viſceribus. Hoc tuo Cæſari, hoc tuo Carolo ſuggeſſiſti ſemper atque vehementer, quo per quietem Chriſtianorum atque concordiam debellari Turcus, communis omnium hoſtis & adverſarius ſpurciſſimus Crucis, perfacile poſſet. Quæ fuit prima cogitatio, ut mihi ipſe narraſti, Chriſtianiſſimi Regis, cui ſtuduiſſet ingenti ſpiritu, ſudoreque & ſanguine, niſi contracta atque inita tot Potentatuum & Principum Chriſtianorum fœdera, & improba ſuæ gentis conſilia ab inſtituto illius animum deflexiſſent contra tuam ſententiam, qui illum ad hoc facinus maximum & glorioſiſſimum ſemper impuliſti. Italia ipſa ſervata & ſacro ſimul & immolabili vinculo copulata, quod credere, niſi qui intus & in cute te norunt (ut ego ſane) admodum pauci potuerunt, te putantes contra pacem moliri, & pectus habere varium, & ſecretis angulis plenum tam eſt cæca nullorum opinio, quam ejuſdem ipſi, ut interdum ſua ex iniquitate aliorum animos metiantur.* Et paullo poſt: *Nemo eſt ſane, qui rem tantam melius (pacem & quietem Italiæ) quanta poſſit efficere tum virtute & ingenio maxime tuo, tum propter gratiam quæ tibi ſuperna & meritiſſima eſt apud Cæſarem & Carolum Regem.*

Adjicio quæ ad eundem ſcribit in epiſtola LIV. *In te quo,*

ties converto animum, agnosco uni tibi inesse, Raimunde, quidquid ornamentorum & laudum a magnis viris possit exquiri, humanitatem, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, Dei timorem & augendæ Christianæ religionis ardorem, ut tua colluceat in Ecclesia vita, veluti inter matutina nubila Lucifer & inter umbras serotinas Hesperus, a quo spero fructus emanaturos, tua tanta virtute dignissimos, & nostris temporibus miseris necessarios, si Ecclesia fidelesque populi exaudire te potuerint, & tuis fidelissimis monitis sanctissimisque consiliis acquieverint. Denique in epistola LV. Raimundum nominat *sacrorum Patrum gloriam.*

Anno MCCCCXCV. nulla fuit in festo beati Ludovici celebritas, quod Lutetiæ pestis grassaretur. Hoc anno Eleutherius, cognomento Audax, suorum Actuum scholasticorum ordinem describit: & quia hic ordo singularis est, & Scholæ disciplinam continet, referendum illum esse censeo. Unde colliges ex recentibus institutis antiqua non semper æstimanda esse.

Prima Iunii quæ fuit Veneris, supplicavit pro primo cursu Decano & Facultati Magistrorum apud sanctum Maturinum anno MCCCCLXXXVII. *die Lunæ ejusdem mensis & anni* MCCCCLXXXVII. *fecit suum Principium in Scholis Navarræ, & prandium in aula Magistri nostri.*

Die Lunæ sequenti ejusdem mensis & anni legit epistolam Pauli ad Philemonem. Die Martis VI. *Septembris anni* MCCCCXCI. *fecit secundum Principium in Collegio regali Navarræ, & legit secundam canonicam beati Ioannis.*

Die VIII. *Novembris* MCCCCXCI. *respondit de Tentativa in Collegio regali Navarræ sub eruditissimo domino Magistro nostro Magistro Petro de Caneio.*

Die XIV. *ejusdem mensis & anni fecit tertium Principium in librum tertium Sententiarum, & solvit pro bursis octo scuta auri.*

Die V. *Martii ann.* MCCCCXCI. *fecit quartum Principium super librum quartum Sent.*

Die VIII. *Februarii ann.* MCCCCXCIV. *respondit in Scholis Navarræ de Magna Ordinaria sub Magistro nostro Magistro Ioanne de Blancbaston.*

Prima Augusti respondit de Sorbonica sub Magistro Guillermo

de Quercu, Priore Collegii Sorbonæ, ann. MCCCCXCV.

Vicesima Novembris respondit de Parva Ordinaria sub Magistro nostro Magistro Petro Foliot, ann. MCCCCXCV.

Vicesima prima Februarii licentiatus fuit in Theologia eodem anno a Magistro Ambrosio de Cambray, Cancellario Parisiensi. Nunc dierum non fiunt tot Principia, quot tunc fieri consueverant.

Anno MCCCCXCVI. Carolus VIII. dedit libellas bismille quadringentas, quibus Bibliotheca & Scholæ Theologorum jam instauratæ absolverentur. Fundamenta hujus ædificii, quod amplissimum est, prius jacta fuerant a Joanne Raulino, qui rem memoriæ prodidit in epistola x. ad Ludovicum Pinellam: *Regalis Collegii Navarræ asseris prope reparatam Bibliothecam, amicos insuper ad id agendum eum immensis muneribus tibi comparas, super his gaudes, & ego tibi congaudeo. Ego siquidem regiis munusculis illum a fundamentis plantavi, rigaverunt amici, & Deus, te cooperante, incrementum, imo & complementum dedit.*

Anno MCCCCXCVI. & XCVII. habitæ sunt a Navarricis Sodalibus Disputationes, quæ propter certa quædam singularia prætermitti silentio non debent, & in Facultatis Theologicæ commentariis ita repræsentantur:

M. Ioannes le Maignen Navarricus respondit de septima Sorbonica, & in ejus responsione comparuit dominus Cardinalis Cenomanensis, & habuit sedem in banco in capite, & fecit illi locum dominus respondens, qui paululum descendit. Ea tunc viguit eminentissima illa in viris eminentissimis simplicitas, quæ nunc dierum ingenti vitio daretur.

M. Michael Pavie primus celebravit Vesperias in Scholis magnis Navarræ, Præside R. P. M. N. Ioanne de Reli, Episcopo Andegavensi.

Ante id tempus Actus celebrabantur in Capella dicti Collegii, in qua respondit de Magna Ordinaria M. Ioannes le Maignen, Rector Universitatis, Præside Magistro nostro Petro le Secourable, deposita cappa Rectoris. Baccalaurei argumentando dicebant: Contra vestra dicta, domine Rector, sic argumentor. Die sequenti fecit convivium Magistris nostris, sed ipse non sedit.

Anno MCCCCXCVII. in extrema parte pinnaculi Biblio-

thecæ ad Orientem, Joannæ Reginæ, & in extrema parte ejusdem pinnaculi ejusdem quoque Bibliothecæ ad Occidentem, Caroli VIII. statua collocata est.

In festo beati Ludovici prandent apud Collegium Bituricensis & Lodovensis Episcopi, Præsides Senatus Curiæ Rationalium.

Anno MCCCCXCVIII. ad VII. Idus Aprilis obiit Carolus VIII. qui Navarræ Domum insigniter dilexit, & Socios complures in sacerdotia & honores Ecclesiasticos promovit, extulit, evexit. quod & in Actis Facultatis Theologiæ notatur. Card. Gurcensis Caroli exequias celebravit Ambasiæ.

Anno eodem *Petrus de Lerma Hispanus respondit de Tentativa in Scholis Navarræ: illi de Collegio non arguerunt, scilicet Lerma & Bursarius & Commensalis erat.* In sequenti anno *Petrus de Lerma Hispanus de Collegio Navarræ fecit tertium Principium.* Verba sunt Regestorum Theologicæ Facultatis. In Sorbonæ Collegium transivit postea, & anno MDII. Prioris munere donatus reperitur.

Ludovicus Villanova Hispanus ex Regis privilegio Sodalis factus, *quinto loco de Sorbonica respondit, cujus Actum sua præsentia cohonestarunt Raimundus Cardinalis Gurcensis & Sedis Apostolicæ Legatus, Romani & Hispani Oratores, cunctorum ordinum & generum multitudo.* Sic Acta Theologicæ Facultatis.



CAPUT XIII.

Recensentur nomina Scholarium, qui ab anno MCCCC. *usque ad annum* MD. *in Grammaticorum, Artistarum & Theologorum ordinem admissi sunt.*

CONCLUDAM hoc secundum Collegii sæculum recensione illorum Scholarium, qui ab anno MCCCC. usque ad annum MD. in tres illius Societates admissi fuerunt. Sed imprimis observandæ sunt causæ duæ, cur ab anno MCCCCXVII. usque ad annum MCCCCL. compariturus sit exiguus Scholarium numerus. Et primum quidem, quod Burgundiones Parisiis rerum potiti tantam effecerunt vastitatem in Collegio, ut nulli vel certe pauci Scholares in eo remanserint, disturbati fere omnes alio quo potuerunt, se contulerint. Deinde quod successit administratum cum Anglis bellum, idque diuturnum, & Carolo VII. magna regni sui parte exuto, regiæ

Domui ſolitudo fuit pro frequentia: pauci recepti. Et hæ ſunt cauſæ duæ, cur rari nantes in vaſto gurgite apparuerint.

Anno MCCCC.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Deſignati in Theologia MAGISTRI.*
			F. Philippus, *Abbas ſancti Dionyſii, hoſpes.*
			Henricus Chicotus.
			Jacobus Pathouïn.
			Joannes Ballivi.

Anno MCCCCIII.

			Matthæus Roeder.
			Petrus de Cantella.

Anno MCCCCIV.

Petrus de Parochia, *Magiſter Grammaticorum.*	Joannes Richard.	Petrus de Dierreio.	
Guillelmus Chataut.	Reginaldus Raguier.	Joannes le Clere.	
Joannes le Breton.	Petrus le Preſtre.	Joannes Gerſon, *Pariſ. Cancellarii frater.*	
Jacobus le Loiee.	Simeon Trouvé.		
Reginaldus Richard.	Joannes Benoiſt.		
	Joannes Prudhomme.		

Anno MCCCCV.

			Matthæus de Mauro.
			Joannes de Mataia.
			Joannes de Dulcimeſlino.

Anno MCCCCVI.

Joannes Colleton.	Joannes Richardi, *Magiſter Artiſtarum.*	Reginaldus Nobilis.	
Joannes Jeudi.	Petrus Gautier *Pariſ.*	Radulfus de Porta.	
Joannes le Fevre.	Petrus Gautier *Senon.*	Girardus Macheti.	
Jacobus Aloti.	Jacobus Sillieres.	Nicolaus Gomaudi.	
		Joann. de Monte-Leonis.	
		Martinus de Berrueriis.	
		Petrus de Salſeia.	
		Petrus Galteri.	
		Joannes de Chavigniaco.	
		Guillelmus Tronqueti.	
		Joannes de Templis.	
		Joannes de ſancta Beata.	

Anno MCCCCVIII.

			Jacobus de Noviano.
			Reginaldus de Fontanis.

Anno MCCCCIX.

			Pontius Simoneti.

Anno

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
Anno MCCCCXI.			
Petrus de Brena, *Magister Grammaticorum.*	Joannes Crassi, *Magister Artistarum.* Joannes Campani. Joannes Monachi.	Jacobus de Celeriis. Joannes Fabri. Hugo de Origniaco. Paulus Natalis.	Radulphus de Porta. Nicolaus Gomaudi. Girardus Machetus.
Anno MCCCCXIII.			
Joannes Campani, *Submagister Artistarum.* *Hic desunt nomina Grammaticorum in tabulis Collegii.*			Joannes de Monteleonis. *Ab hoc anno usque ad annum* MCCCCXXI. *desunt nomina Magistrorum in Theologia in tabulis Theologicæ Facultatis.*
Anno MCCCCXIV.			
	Petrus de Aseenceriis.	Ægidius Carlerii. Ioannes de Templis. Ioannes Fabri. Ioannes Probi.	
Anno MCCCCXVII.			
	Nicolaus de Longolio. *Hic quoque desunt nomina Artistarum.*	Iacobus de Celeriis.	
Anno incerto.			
	Richardus Mareschal.		Ægidius Carlerius.
Anno MCCCCXX.			
	Guillelmus Erardi, *Submagister Artistarum.*	Dionysius Sabrevois. Guillelmus Erardi. Petrus de Credulio.	
Anno MCCCCXXV.			
			Dionysius de Sabrevois.
Anno MCCCCXXVII.			
			Guillelmus Erardi seu Evrardi.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.

Anno MCCCCXXVIII.

	Nobilis vir dominus Dionysius de Montmorenci.		Ioannes Germani. Hugo Majoris. Nicolaus Bethin.

Anno MCCCCXXXIII.

	Simon Germani.	Petrus de Vaucello. Carolus de Turcis.	

Anno MCCCCXXXV.

	Nicolaus Dauchi. Joannes Caillier.		

Anno MCCCCXXXVI.

		Guillelmus Aligreti.	

Anno MCCCCXXXVII.

	Guillelmus Pommier, *Magister Artistarum.* Joannes de Palatio. Hugo Gaudeau.	Radulphus de Porta, *Magister Collegii.*	Robertus Bibole.

Anno MCCCCXXXIX.

	Antonius Ursi.	Petrus de Vaucello. Ioannes de Oliva. Sanctius Vigonis. Petrus Carrouge. Ludovicus Caramboere. Martialis de Ianilhac. Ioannes Adriani. F. Ioannes de Ruella, *Hospes.*	Paulus Nicolai.

Anno MCCCCXL.

Gaufridus Normanus, *Magister Grammaticorum. An hi sint plures vel pauci, minime traditur.*		Bernardus de Miromonte. Ioannes Souller, *alias* Sollerii. Thomas de Gersono. Ioannes Capel. Ioannes Monet. M. Burellus.	

Anno MCCCCXLII.

	Ambrosius de Cameraco.	Petrus de Vaucello, *Magister Domus.*	Petrus de Vaucello. Joannes de Oliva.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	*Designati in Theologia* MAGISTRI.
	Ioannes Normanus, *Submagister Artistarum.*	Petrus de sancto Amãte.	Guillelmus Pommier.
	Ambrosius de Cameraco, *qui factus est postea in Decretis Doctor.*	Joannes Milet.	
		Simon Germain, *Abbas S. Victoris, Hospes.*	
		Joannes Pluiette.	

Anno MCCCCXLIII.

Victor Textoris, *Submagister Grammaticorũ.*	Joannes Normani, *Submagister Artistarum.*	Martinus Chabon.	
Gaufridus Mileti.	Joannes Milonis.	Joannes Hue.	
Joannes Lotherii.	Ambrosius de Cameraco.	Salomon Dagorne.	
Giraedus de Folia.	Guillelmus Nicolai.	Joannes de Couei.	
Joannes Biseais.	Joannes Dulcisamici.	Guillelmus Aligret	
Joannes de S. Desiderio.	Philippus Roier.	Joannes Berthe.	
Ægidius Bouverii.	Gilbertus de Clamenceeriis.	Joannes de Constantio.	
Joannes Aeuti.	Jacobus Vertonis.	Guillelmus de Castroforti.	
Joannes de Barro.	Joannes Ramier.		
	Robertus Langtenois.		
	Joannes Chappellain.		
	Petrus Burelli.		
	Joannes Cordis.		
	Joannes du Louchet.		

Anno MCCCCXLIV.

	Jacobus Lhuillier.		
	Joannes de Martigniaco.		

Anno MCCCCXLV.

		M. Bonetus.	Martinus Chabon.
		Petrus Bedellus.	Joannes Solletii.
			Gaufridus Normani.

Anno MCCCCXLVI.

		Gilbertus de Scotia.	

Anno MCCCCXLVII.

		Joannes Eremont.	Salomon Dagorne.
			Joannes Hue.

Anno MCCCCXLIX.

		Joannes Ramier.	Guillelmus de Castroforti, *Rector Vniversitatis.*
			Thomas de Gersono.
			Bernardus de Miromonte.
			Joannes Berthe.

Dd ij

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.

Anno MCCCCL.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Nicolaus de Clamengiis.	Guillelmus Charmoulue.	Herveus Cadouet.
Joannes de la Faie.	Henricus Chasserat.	Nicolaus Ripaut.
Joannes Crassi.	Petrus Briconnet.	Guillelmus Bremont.
Joannes Pacquot.	Girardus Seguier.	Ivo du Boehet.
Joannes Capitis.	Jacobus Benoisteau.	Joannes Dulcisamici.
Joannes de Bouhain.	Joannes de Claremonte.	Girardus Rotarii.
Joannes Mercatoris.	Joannes Fremont.	Matthæus de Chastillon.
Joannes Flavi.	Joannes Lherbier.	Guillelmus Houppelande.
Jacobus Geuffroy.	Joannes Clerici.	Petrus Marie.
Bartholomæus Barraut.	Joannes Jolive.	Petrus Regis.
Ægidius Burgaut.	Guido Templier.	
Ricardus Blondelli.	Petrus Simoneti.	
Petrus de Calaia.	Guillelmus Rabache.	
Guillelmus de Loira.	Petrus Dargent.	
Ægidius de Jonglet.	Jacobus Beze.	
Girardus Cordarii.	Petrus Marguingnier.	
Antonius Robelin.	Petrus Vacherii	
Guillelmus Soupplanivillæ.	Maturinus de Bonavalle.	

Anno MCCCCLI.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
Gaufridus Normani, *Magister Grammaticorum.*	Joannes Normani, *Submagister Artistarum.*	Joannes Brette.	Joannes Moneti.
	Martinus Magistri.	Reginaldus Bruslé.	Antonius Ursi.
	Nicolaus Fabri.	Guillelmus Roncelli.	Joannes Militis.
	Joannes Militis.	Reginaldus de Viende.	Joannes *seu* Guillelmus Bremont.
	Petrus Briconnet.		

Anno MCCCCLII.

Petrus de Vaucello, *Magister Domus.*
Joannes Pluiete.
Jacobus Lhuillier.
Joannes Ramier.
Ioannes Brette.

Anno MCCCCLIII.

Girardus Rotarii.

Anno MCCCCLVI.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.
Claudius Pellorde.	Michael Clerici.	Guillelmus Charmouluë.
Ioannes Rufi.	Guillelmus Doré.	Ioannes Dulcisamici.
Ioannes Rapouelli.	Robertus de Couci.	Guillelmus Ripaut.
Simon Lemeron.	Ioannes Generi.	

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Guillelmus Briconnet.	Ioannes Fabri.	Guillelmus Campanili.	
Petrus Graeuli.	Ioannes Chappe.	Ioannes de Conflans.	
Stephanus Garneri.	Petrus de Villagio.	Ioannes Theodorici.	
Ioannes Metille.	David Drouet.	Simon Germain.	
Inguerrandus de Bohan.	Cantianus Hue.	Ioannes Carré.	
Ioannes Gandelli.	Gaufridus Boussard.	Bertrandus Bartaut.	
Stephanus Saget.	Ioannes Munerati.	Nicolaus Ripaut.	
Ægidius Burgaut.	Ioannes Desfaches.	Guillelmus Quionis.	
Guillelmus Muti.	Imbertus Champagne.	Antonius Guerri.	
Carolus Fromont.	Ioannes Bouchard.	Ioannes de Valle.	
Robertus Fabri.	Ioannes Fromont.		
	Dalmatius de Fossis.		
	Ioannes Evrardi.		
	Adam Feret.		
	Ioannes de Loira.		

Anno MCCCCLVII.

Nicolaus de Foro.
Guillelmus Houppelande.
Iacobus Lhuillier.

Anno MCCCCLX.

Ioannes Clerici.
Ioannes Ramier.
Ioannes Dulcisamici.
Matthæus de Chastillon.
Ioannes de Conflans.

Anno MCCCCLXI.

Eustachius Carbonnerii, *Magister Grammaticorum.*	Ioannes Ramier, *Magister Artistarum.*	Guillelmus de Castroforti.	Ioannes Normani.
Nicolaus Anglici, *Submagister Grammaticorum.*	Cantianus Hue.	Ioannes Carreti.	Ioannes Brette.
Guillelmus Rogerii.	Ludovicus Guetier.	Ioannes de Vallibus.	Ioannes Carreti.
Guillelmus Rati.	Ioannes Merlin.	Ioannes de Valle.	
Renatus Morelli.	Antonius Omerandi.	Philibertus Savetier.	
Robertus de Vallibus.	Petrus la Date.	Quintinus Instori.	
Ludovicus Destreaux.	Stephanus Archembault.	Petrus Dorigni.	
Nicolaus Capel.	Petrus Thomas.	Balduinus Regis.	
Ioannes Fromont.	Desiderius Michaelis.	Guillelmus Belli.	
Ursinus Pacquot.	Bartholomæus Regnaut.	Michael Pondesoti.	
Robertus Charlemagne.	Ioannes Vulpis.	Ægidius Nettelet.	
Iacobus de Bonavalle.	Renatus de Cherbaio.	Guillelmus Bataille.	
	Ioannes Godelli.	Vvalticus Coneti.	
	Claudius Pellorde.	Martinus Briconnet.	
	Robertus de Pratis.	Claudius Baudonis.	

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Petrus Amici. Albertus Hugonis. Petrus Bodin. Stephanus Garnot.	Petrus Militis. Joannes Hieronymi. Stephanus de Scarpentis. Ioannes Militis Theodorici. Simon Roussin.	

Anno MCCCCLXIII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
			Antonius Guerin. Reginaldus de Brussé. Petrus Marie. Nicolaus Ripaut. Balduinus Regis.

Anno MCCCCLXV.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Ioannes Magdalenes, *Submagister Grammaticorum.*	Desiderius de Maio. Ioannes Bidaut.	Iacobus Mangny. Ioannes Hanehet. Petrus Militis. Petrus Brieonnet. Renatus de Carleio. Ioannes Milonis. Ioannes de Reli. Petrus de Has. Petrus Dolit. Ioannes Esehart. Ioannes le Munerat.	

Anno MCCCCLXVI.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Guillelmus de Curis. Ioannes de Reli, *Submagister Artistarum.*	Ioannes de Hirlandia. Petrus Iniqui.	

Anno MCCCCLXVII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Hugo de Virduno. Guillelmus de Ganay. Ioannes de Pareria. Petrus Quatrelivres.	Stephanus Archembault. Philippus Langueti.	Ioannes Parmentarii.

Anno MCCCCLXVIII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Cantianus Hue, *Magister Grammaticorum, quorum nomina desiderantur.*	Ioannes Milon, *Magister Artistarum.* Petrus de Bove. Edmundus Maret. Ioannes du Geloy. Guillelmus de Curis, *Magister Artistarum.*	Gilbertus de Pareria. Petrus de Dieppe, *Hospes.* Guillelmus de Curis. Guillelmus Cadier. Guillelmus Boutier. Olivetius de Monte.	

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.

Anno MCCCCLXIX.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
			Petrus de Has.
			Quintinus Justori.
			Claudius Baudonis.
			Simon Rouslin.

Anno MCCCCLXX.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
	Joannes de Cambray.	Ioannes Aragonelli, *Hospes.*	
		Michael de Artaxona, *Canonicus Regularis, Hospes.*	
		Ioannes Bubulet.	
		Guillelmus Rogier.	
		Magister Raimundus Periaudi *fecit primum Cursum die* XXVII. *Ianuarii sub M. N. Guillelmo de Castroforti. Ita in regestis Theologicæ Facultatis.*	

Anno MCCCCLXXI.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
Andreas Perier, *Magister Grammaticorum.*	Ioannes Milon, *Magister Artistarum.*	Guillelmus Poitevin.	Ioannes de Reli.
	Dionysius Marcelli.	Nicolaus de Capella.	Iacobus Mangni.
	Franciscus Iuron.	Ioannes de Blesis.	Ioannes Eschart.
	Nicolaus Toussains.	Ioannes Lautenrii.	Ægidius Netteleti.
	Ioannes Fortin.	Ioannes Eschart.	
	Theobaldus de Fromentariis.		

Anno MCCCCLXXII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
Ioannes de Bosco.	Radulfus de Refugio.	Raimundus Periaudi.	
	Nicolaus Cappel.	Ioannes Viel.	
	Hector de Charlemagne.	Iacobus Viel.	
	Philippus Sabrevois.	Stephanus Minerie.	
	Ioannes de Blesis.		
	Petrus de Montmiral.		

Anno MCCCCLXXIII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
	Radulphus Dolbec.	Ioannes Oliverii, *Hospes.*	Martinus Magistri.
		Clemens de Novavilla.	Guillelmus de Curis.
		Ioannes Burgundi.	Martinus Brieonnet.
		Guillelmus Militis.	Philippus Langueri.
		Petrus Guerbilliart.	Ioannes Hieronymi.
		Petrus Caellier.	

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
		Petrus de Britannia.	
		Ioannes Fortin.	
		Anselmus de Sanseio.	

Anno MCCCCLXXIV.

	Ioannes de Launay, *Hospes.*	Ioannes de Lenoncourt, *Hospes.*	
	Guillelmus de Curis, *Magister Artistarum.*	Franciscus Brulé.	
	Petrus Parvi.	Guillelmus de Monre.	
	Nicolaus Quatrelivres.	Gilbertus	
	Ioannes Raulinus.	Dominicus Beguin.	
		Robertus de Vallibus.	
		Oliverius de Monte.	
		Ioannes Raulinus.	

Anno MCCCCLXXV.

	Nicolaus Bonel.	Ioannes Emeri.	Ioannes de Irlandia.
	Thomas Gaillard.		Stephanus de Scarpetis.
	Ioannes de Brugis.		Thomas Corner.

Anno MCCCCLXXVII.

Ioannes de Vinolis.	Ursinus Pacquot.	Ioannes Paumier.	Cantianus Hue.
	Nicolaus Albi.	Ioannes Viosle.	Stephanus Munerie.
	Andreas Minart.	F. Franciscus de Burgo, *Abbas Ord. S. Aug. Hospes.*	Dominicus Beguin.
	Arturus de Troia.		

Anno MCCCCLXXVIII.

	Petrus de Montmirel.	Iacobus de Gonda.	
	Ricardus de Campis, *Hospes.*	Ioannes Orcin.	
	Ioannes Bourdin.	Petrus Foliot.	
	Ioannes Rivolle, *Submagister Artistarum.*	Robertus Guelain.	
	Theobaldus de Campo-rotundo.	Gauffridus Boussard.	
	Ioannes Hebert.	Ioannes Boivin.	
	Ricardus Guillart.	Radulphus Dolbec.	
	Franciscus de Bacarato.	Martinus Guerin.	
	Ioannes le Herpeur.	Guillelmus Castel,	
	Petrus Deonville, *Submagister Artistarum.*	Thomas Guillart.	
	Iacobus Scoti.	M. Maxentius.	
	Ioannes Boivin.		
	Ioannes de Charmeres.		
	Ioannes Montigni.		
	Iacobus Bongars.		
	Iacobus de Bosc.		

Anno

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Ludovicus Laillet.		
	Ludovicus le Coq.		
	Anno MCCCCLXXIX.		
			Joannes Raulin.
			Guillelmus Militis.
			Anselmus de Sanscio.
	Anno MCCCCLXXX.		
Nicolaus Dorigni, *Hospes Grammaticorum, quorum nomina desiderantur.*	Joannes le Herpeur, *Magister Artistarum.*	Jacobus Jullain.	
		Joannes Bourdin.	
	Anno MCCCCLXXXI.		
			Joannes de Blesis.
			Guillelmus Bourier.
			Guillelmus Dautigni.
	Anno MCCCCLXXXII.		
	Carolus de Gouda.	F. Joannes Tabouret, *Hospes.*	
	Joannes Briconner.	Guillelmus Cappel.	
		Joannes Violle.	
	Anno MCCCCLXXXIII.		
Andreas Perier, *Magister Grammaticorum, quorum nomina desiderantur.*	Franciscus Mangot.	Joannes Raulinus, *Magister Collegii.*	Ioannes Laurentii.
	Joannes Favereau.	Ludovicus Pinelle.	Petrus Folior.
	Joannes de Ponte.	Ioannes Bourdin.	Gilbertus de Pareria.
		Ioannes de Charmeres.	
		Ludovicus Galli.	
		Gaufridus Boussard.	
	Anno MCCCCLXXXIV.		
	Guillelmus Celeri.	Guillelmus Bachelerot.	
	Thomas Dadré.	Stephanus Sedille.	
	Ioannes du Ban.	Ioannes le Maigneu.	
		Guillelmus Gaillard.	
		Ioannes Saunier.	
		Petrus de Lignieres.	
		Ioannes du Bochet.	
		Ioannes des Fossez.	
		Guillelmus Budé.	
		Eleutherius Audacis.	
		Antonius Thevenard.	
		Petrus de Valle.	
		Michael Pavie.	
		Ioannes de Vinolis.	

Anno MCCCCLXXXV.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Ioannes de Bolvaco, *Regens in Grammaticis.*	Ioannes Dulcis. Ludovicus Galli, *Regens Artistarum.*	Martinus Pichon.	Petrus Deonville. Robertus Quelain, *Benedictinus.*

Anno MCCCCLXXXVI.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Natalis Hue, *Regens in Grammaticis.* Ioannes Carillean, *Regens in Grammaticis.*	Guillelmus Briconnet, *Hospes.* Iacobus Turquam. Ioannes Orcin, *Magister Artistarum.*	Ioannes de Grangia, *Hospes.* Ioannes Blancbaston. Ioannes Tanquerel. Petrus Bandouïn. Ioannes Violle.	

Anno MCCCCLXXXVII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Joannes Fromont, *Regens in Grammaticis.*	Petrus Regis. Robertus Fournet. Guillelmus Briconnet. Ioannes Charmeres, *Regens.*	Ioannes Citharedi. Claudius Merlin. Michael Manterne.	Ioannes Charmeres. Ioannes Blancbaston. Michael Manterne.

Anno MCCCCLXXXVIII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Petrus Deonville, *Submagister Artistarum.* Iacobus Albi. Ioannes Drapt. Ioannes de Villemor.	Ioannes Charron.	

Anno MCCCCLXXXIX.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Andreas Perier, *Magister Grammaticorum, quorum nomina, ut supra, desiderantur.*	Nicolaus de Rupe, *Hospes.* Ioannes de Magno Vico. Michael Briconnet. Nicolaus Parmentier, *Submagister Artistarum.*	Robertus de la Tourette. Robertus Rebourset.	Martinus Pichon. Gaufridus Boussard. Nicolaus Parmentier. Ioannes Paumier. Ioannes Boivin.

Anno MCCCCXC.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
Petrus Cappel, *Regens.*	Ioannes Paris. Petrus de Lignieres. Nicolaus de Dere.	Petrus Danin.	

Anno MCCCCXCI.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Nicolaus Molineau. Adrianus Barrois. Ioannes de Vico.	Episcopus Nivernensis, *Hospes & Socius.*	Ludovicus Pinelle. Ioannes Charron.

Anno MCCCCXCII.

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Ioannes de Grandiac.	Ludovicus Bouchin.	

GRAMMATICI.	*ARTISTÆ.*	*THEOLOGI.*	*Designati in Theologia MAGISTRI.*
	Joannes Fabri, *Hospes.* Petrus Boucher. Joannes Morelli.	Petrus de Valle. Michael Deu. Joannes Monthasson, *alias* Mansochun.	
	Anno MCCCCXCIII.		
Michael Jourdain, *Hospes.*	Joannes de Launoy, *Hospes.* Joannes Pastoris. Joannes Marcelli.	Ludovicus du Bellay. Petrus de Lerma. Joannes Lentement.	Guillelmus Cappel. Ludovicus Galli.
	Anno MCCCCXCIV.		
	Stephanus Dasinieres. Joannes Grossicapitis. Guillelmus Anjorrant.	Ludovicus de Novavilla. Dionysius de la Houssoie. Joannes le Quenais.	
	Anno MCCCCXCV.		
	Dionysius Briconnet, *Hospes.* Simon Guillemart.	Joannes Belvaci. Matthæus le Lieur. Simon Jacquet.	Michael Pavie. Carolus de Gonda. Eleutherius Audacis. Robertus de la Tourette. Ludovicus de la Houssoye. Guillelmus Bachelerot,
	Anno MCCCCXCVI.		
	Franciscus Bouquet. Guillelmus Croquet.	Joannes Paris. Jacobus Lupi, *Prior Grandimontensis, Hospes.*	
	Anno MCCCCXCVII.		
Joannes Bolu, *Magister Grammaticorum.*	Simon Jacquet, *Magister Artistarum.* Petrus Pastoris. Joannes Vernoulet.	Joannes le Saunier. Joannes de Villanova. Joannes de Camba. Michael Pavie. Joannes le Munerat. Joannes du Hestre. Dominicus le Cirier. Joannes Cename. Joannes Bolu. Joannes Pinelle. Henricus Cename. Guillelmus Marcel.	Joannes le Maignen. Simon Jacqueti. Petrus de Valle. Joannes des Fossez. Jacobus Lupi. Joannes Mansochon, *tunc Magister Artistarum Lexoviensis Collegii.* Petrus Petri, *Bursarius Artistarum Navarræ, anno* MCCCCLXXIV.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.


Anno MCCCCXCVIII.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
Stephanus Regnaud.	Ludovicus Lasseré.	Petrus de Lignieres.	
Submagister Grammaticorum, Quelain.	Guillelmus de Riparia.	Guillelmus Emeri.	
	Antonius Seurre.	Petrus Pavie.	
	Petrus de Villamauri.		
	Florentius de Camba, *Submagister Artistarum.*		
	Dionysius de Rivo.		

Anno MCCCCXCIX.

GRAMMATICI.	ARTISTÆ.	THEOLOGI.	Designati in Theologia MAGISTRI.
	Guillelmus du Ban.	Ludovicus Pinelle, *Magister Domus.*	Ludovicus de Villanova.
	Michael Quelain.	Simon de Launoy.	Michael Deu.
		Joannes Drapt.	Joannes Bolvaci.
		Joannes Grosseteste.	Florentius de Camba.

Hactenus quæ ex variis & regiæ Domus & Theologicæ Facultatis, Academiæ, & præsertim Procuratorum Gallicanæ Nationis codicibus mss. vt potui, collegi, nec ea tamen collegi omnia quæ colligere voluissem. Ex iis qui prolatos a me codices exararunt, parem non adhibuerunt omnes diligentiam; nonnulli paullo negligentiores fuerunt, adde quod multa perierint temporum injuria. In iis quæ supersunt Theologicæ Facultatis monimentis, antiquus non est ordo Magistrorum, qui supremum in sacra Facultate gradum obtinuerunt. Incipit duntaxat ab anno MCCCLXXIII. & ibi quæ ab anno MCCCCXIII. vsque ad annum MCCCCXXI. gesta sunt, desiderantur. Sic cogimur iis tantum frui, quæ tempus edax rerum minime consumpsit.



REGII

NAVARRÆ GYMNASII

PARISIENSIS

HISTORIÆ PARTIS PRIMÆ

LIBER III.

Quæ ab anno MD. vsque ad annum MDCXL. gesta sunt, continens.

CAPUT I.

Raimundi Cardinalis Gurcensis & Legati Indulgentiarum diplomata duo referuntur. Hic Viterbii moritur, & ibi sepulturam accipit. Illius epitaphium in Ecclesiasticis Annalibus Rainaldi valde laudatur. Judocus Clicthoveus Magister in Theologia designatur, & illius gratiarum actiones iis redditæ, a quibus beneficia acceperat. Beati Ludovici festum celebre. Ludovicus Lassereus Provisor Collegii recipitur, vir magnæ in Academia auctoritatis. Ludovicus XII. & Pisanum Concilium Parisiensi scribunt Academiæ, vt Caietani libello contra Conciliorum auctoritatem responderi curent. Selectus est Jacobus Almainus qui respondit, & Gersonem defendit. Guillelmus Crassus Rotomagensis Decanus, & Ludovicus Archiepiscopus Tolosanus, benefactores Collegii.

HUic sæculo illustre dabit initium Raimundus Peraldus, quem Alexander VI. Legatum anno MDI. misit

in Germaniam, vt Jubilæum annunciaret. Rem ita narrat Nicolaus Basellus Hirsaugiensis Monachus, in Auctario Joannis Naucleri, ad generationem LI. *Eodem*, inquit, *anno* (MDI.) *Alexander VI. Raimundum Cardinalem sanctæ Mariæ Novæ, Gurcensem Episcopum, cum gratia & Indulgentiis Iubilæi in Germaniam, Daciam, Sueciam & Prussiam Legatum a latere misit, multis illum facultatibus dotis nomine condonando. Hic aliquandiu Tridenti subsistit, propterea quod Maximilianus Rex Germanorum, atque regni proceres Electores, qui interesse prætendebant. . . . . Verum post multos & varios desuper tractatus tandem admissus Inspurchk ad Maximilianum Regem se transtulit, vbi per aliquot menses moratus post Nurimbergam, deinde Coloniam venit.*

Ubi vero fuerit Legatus anno MDII. & quid fecerit, Joannes Trithemius in Sponheimensi Chronico scribit: *Raimundus Cardinalis sanctæ Mariæ Novæ, Apostolicæ Sedis Legatus, ante Palmas Moguntiam ingreditur, & gratia Iubilæi prædicatur.*

In annum eundem quadrant diplomata duo, quibus Raimundus noster Sedis Apostolicæ Cardinalis & Legatus Sanctorum Reliquias & Indulgentias Collegio dedit. Primum sic se habet: *Raimundus miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sanctæ Mariæ Novæ Presbyter Cardinalis Gurcensis, ad vniversam Germaniam, Daciam, Sueciam, Novergiam, Frisiam, Prussiam, omnesque & singulas illarum provincias & civitates, terras & loca etiam sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta ac eis adjacentia, Apostolicæ Sedis de Latere Legatus, ad perpetuam rei memoriam. Prout susceptæ nostræ ac sanctæ Sedis legationis officium crebro nos admonet, saluti cunctorum Christi fidelium libenter consulimus, ac ea quæ propterea facta sunt, vt eo firmiora persistant, quo majori videlicet sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate fuerint communita, nostri officii præsidio approbamus, ac pro cultus divini augmento ipsos Christi fideles ad majorem devotionem spiritualibus muneribus invitamus, prout auctore Domino viderimus salubriter expedire. Sane itaque pro parte dilecti nobis in Christo fratris Ioannis Capel, Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum, divini Iuris Professoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ipse nonnullas Reliquias venerabiles ex beatorum Annæ*

matris gloriosissimæ virginis Mariæ, ac Mariæ Iacobi & Salomæ filiarum, necnon Mariæ Magdalenæ & beatarum virginum & martyrum Ceciliæ, Agathæ, Agnetis, Barbaræ, Ursulæ, Constantiæ sororis sui sponsi, & Apoloniæ, ac sanctorum Martyrum Sebastiani, Blasii, ac Confessorum Episcoporum Nicolai Mirensis, Huberti Leodiensis civitatis, Sulpicii Biturici, Germani Autissiodorensis, & Eligii Noviomensis, de reverendi in Christo Patris Ioannis Episcopi Leodiensis voluntate & assensu, ipsiusque intuitu, ex diversis locis civitatis & diœcesis prædictarum reportaverit, ac Collegio insignis Universitatis Studii Parisiensis certisque aliis locis pro Christi fidelium devotione excitanda communicaverit. Et si, prout eadem subjungebat petitio, extractionem ac ejus approbationem, literasque dicti reverendi in Christo Ioannis de Horrues Episcopi Leodiensis, desuper concessas, auctoritate nostræ legationis cum aliquarum Indulgentiarum elargitione confirmaremus, devotio Christi fidelium, pro qua excitanda, ut præfertur, præmissa omnia facta fuerunt, in dies plus augeretur, atque divinus cultus, quo Christi nominis gloria promoveretur, notabile acciperet incrementum. Quare pro parte dicti fratris Ioannis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ei in præmissis omnibus & singulis de opportunæ subventionis remedio providere dignaremur. Nos igitur qui literas prædictas, ac eis appensum sigillum recognoscimus, quique in dicti insignis Studii Parisiensis & ejus Collegio Navarræ nuncupato sacrarum literarum, quas profitemur, olim dum in minoribus essemus, prima fundamenta & rudimenta accepimus, ad cunctorum Christi fidelium devotionis propagationem ex debito gratitudinis erga personas, Studio & Collegio præfatis devotas nostræ legationis onere sollicitante promoveri supernis affectibus desideramus literas prædictas ac in eis contenta, necnon prout literas easdem concernunt, inde secuta quæcunque auctoritate nostræ legationis prædictæ qua fungimur in hac parte, tenore præsentium confirmamus, ratificamus & approbamus, ac præsentis scripti perpetuo præsidio communimus, supplentes omnes & singulos defectus tam juris, quam facti. Si qui præter dolum & fraudem intervenerunt in eisdem, ut nihilominus attendendum dicti fratris Ioannis Capel, sollicitudinem & curam circa devotionem Christi fidelium propagandam, quodque suis justis petitionibus non est denegandus assensus: cupientesque ut dicta alia-

que loca sacra quæcunque, ad quæ prædictas Reliquias pro Christi fidelium devotione augenda, aliquas rite deferri, & in quibus easdem detineri contigerit, debitis frequententur honoribus, & a Christi fidelibus jugiter venerentur, ac in earum structuris & divinis Officiis debite conserventur, & manuteneantur, necnon libris, calicibus, luminaribus & aliis ornamentis Ecclesiasticis pro divino cultu necessariis decenter fulciantur & muniantur; in eis quoque cultus augmentetur divinus; & ut Christi fideles ipsi eo lubentius devotionis causa ad loca prædicta confluant, & ad illorum restaurationem, conservationem, manutentionem & fulcimentum aliaque præmissa manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratiæ uberius conspexerint se refertos: dilecti nobis in Christo fratris Ioannis prædicti devotæ in hac parte supplicationi inclinati, omnibus & singulis Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis qui eadem sacra loca & easdem Ecclesias singulis quatuor anni principalioribus, ac beatissimæ virginis Mariæ & sanctæ Annæ ejus matris, necnon Francisci & aliorum Sanctorum prædictorum festivitatibus & diebus, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas devote visitaverint, quique ad illas seu illarum aliquam manus porrexerint adjutrices, pro singulis diebus & vicibus, quibus & quotiens præmissa seu præmissorum aliquid fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus præsentibus futuris temporibus duraturis. In quorum fidem præsentes literas fieri, nostrique sigilli jussimus appensione communiri. Datum Erfordiæ Moguntinensis diœcesis anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo secundo, tertio Nonas Novembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri domini Alexandri divina providentia Papæ sexti anno undecimo.

Alterum vero sic se habet: *Raimundus miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Mariæ Novæ Presbyter Cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Daciam, Sueciam, Norvegiam, Frisiam, Prussiam, omnesque & singulas illarum provincias, civitates, terras, & loca etiam sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta, ac eis adjacentia, Apostolicæ Sedis de latere Legatus, universis & singulis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Notum facimus per præsentes & attestamur, quod nos a Vicario monasterii sancti Ana-*

Anastasii de tribus fontibus extra muros urbis Romæ, pro reverendissimo in Christo Patre & domino domino Raphaele, miseratione divina sancti Georgii ad velum aureum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, & perpetuo Commendatario ejusdem monasterii deputato, vigore cujusdam brevis Apostolici sanctissimi domini nostri Papæ ad recipiendum quascunque Sanctorum Reliquias in eadem urbe & extra eam, nobis desuper concessi, & inferius nonnullas sanctorum decem mille Martyrum in Capella Scala cæli nuncupata, sita juxta & prope dictum monasterium, reconditas Reliquias nobis per eundem Vicarium gentrose & gratis concessas & datas, humiliter & cum ea qua decuit reverentia, in reverendorum Patrum dominorum Ruperti Episcopi Trecorensis, Marcelli de Clodiis, Canonici sancti Laurentii in Damaso de urbe, & Sebastiani de Bonis, Sedis Apostolicæ Protonotariorum, ac plurimorum aliorum fide dignorum nobiscum tunc existentium præsentia, necnon nonnullas Reliquias undecim mille Virginum, quas manualiter ex monasterio undecim mille Virginum Coloniensium, nobis tunc personaliter existentibus, de mense Aprili præsentis anni Domini MDII. *de consensu Abbatissæ & Conventus ejusdem monasterii, vigore ejusdem brevis recepimus: quarum quidem Reliquiarum tam decem mille Martyrum, quam undecim mille Virginum, partem sive particulam venerabili nobis in Christo dilecto fratri Ioanni Capel, sacræ Theologiæ Professori, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, in provincia Franciæ moram trahenti, dedimus præsentandas egregiis nobis in Christo dilectis magno Magistro, Provisori, Magistris Bursariorum in Artibus & rudimentis Grammaticæ, Studentibus Bursariis ac Capellanis famosissimi Collegii regalis Navarræ almæ Universitatis Parisiensis, in quo quidem Collegio alias moram traximus Bursarius, dando operam, licet minus diligentem, in sacra Theologia, ut dictas sanctas Reliquias nostro nomine reverenter recipiat, illasque in Capella ejusdem famosissimi Collegii pro Dei & dictorum sanctorum mille Martyrum & undecim mille Virginum honore & veneratione, ac Christi fidelium majori devotione inibi perpetuo & honeste ac cum reverentia & honore, quibus decet, custodiendas reponat. Nos enim ut Christi utriusque sexus fideles ad Capellam prædictam eo devotius pro Dei honore & dictarum sanctarum Reliquiarum veneratione confluant, quo se magis sa-*

lutem animarum suarum cognoverint adipisci: de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui Capellam dicti Collegii die qua prænominatæ sanctæ Reliquiæ per eundem fratrem Ioannem Capel præfatis magno Magistro, Provisori, Bursariis & Capellanis antedicti Collegii præsentabuntur, ac Reliquiæ hujusmodi per eosdem in Capella præfata honorifice recludentur & reponentur, necnon in sanctorum Ludovici & aliis tribus per eosdem Magistros, Provisorem, Bursarios & Capellanos nominandis diebus sive festivitatibus, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusive, devote visitaverint, annuatim pro singulis diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis. Tenor vero dicti brevis sequitur, & est talis: Alexander Papa sextus, dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Honestis petitionibus tuis, in quibus præcipue Sanctorum Reliquiæ venerantur, libenter annuimus, easque quantum cum Deo possumus, favore benevolo conservamus. Cum itaque nos trans Germaniam aliasque provincias illi adjacentes Legatum de Latere nostro destinavimus, nos ad ea per quæ Christi fidelibus & Ecclesiasticis ac piis locis te possis reddere generosum, favorabiliter intendentes, tibi quascunque Sanctorum Reliquias in urbe & extra eam ubicunque existentes, ad te a volentibus tibi dare, generose recipere, & ad quæcunque loca deferre, & Ecclesiis ac aliis locis piis, necnon Principibus & ceteris Christi fidelibus utriusque sexus, quorum devotionem cognoveris ad illas honorifice conservandas, concedere libere & licite, quibusvis prohibitionibus, etiam sub censuris, ac in provincialibus & synodalibus Conciliis, etiam Apostolicis, in contrarium editis, constitutionibus & ordinationibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII. Octobris MD. Pontificatus nostri anno nono, dilecto filio nostro Raimundo, tituli sanctæ Mariæ Novæ Presbytero Cardinali Gurcensi, nostro & Apostolicæ Sedis Legato. In quorum fidem præsentes literas fieri, nostrique sigilli jussimus appensione communiri. Datum Erfordiæ Moguntinensis

diœcesis, anno Incarnationis dominicæ MDII. *Nonis Novembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri Alexandri divina providentia Papæ præfati anno undecimo.* Exemplaria horum diplomatum asservantur in tabulario Clarissarum Abbatisvillæ.

Hic Legatus quam grato erga Collegium animo fuerit, in suis literis semel atque iterum testatur. Semel quidem in prioribus, dum ait : *In Studii Parisiensis Collegio Navarræ nuncupato, sacrarum literarum, quas profitemur, olim dum in minoribus essemus, prima fundamenta & rudimenta accepimus.* Iterum in posterioribus, dum sic loquitur : *In famosissimo Collegio regalis Navarræ almæ Universitatis Parisiensis alias moram traximus Bursarius, dando operam, licet minus diligentem, in sacra Theologia.*

Raimundus anno MDIII. Sponheimensi Abbati dedit portatilis altaris privilegium, ex quo intelligimus quam longa & lata est illius legatio, & quod privilegia non concedantur in alterius præjudicium. Id commemorat Trithemius in Sponheimensi Chronico ad annum MDIII.

Eodem quoque anno dominus Ioannes Abbas privilegium super usum altaris portatilis sibi & successoribus suis impetravit a domino Raimundo Card. Apostolicæ Sedis de Latere ad universam Germaniam Legato, cujus tenor sequitur, & est talis : Raimundus miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Mariæ Novæ Presbyter Cardinalis, Episcopus Gurcensis, ad universam Germaniam, Daciam, Sueciam, Nortvvegiam, Frisiam, Prussiam, omnesque & singulas illarum provincias, civitates, terras & loca, etiam sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta, ac eis adjacentia, Apostolicæ Sedis de Latere Legatus, dilecto nobis in Christo Ioanni Trithemio, Abbati monasterii Sponheimensis, Ordinis sancti Benedicti, Moguntinæ diœcesis, salutem in Domino. Sincera devotio quam ad Romanam Ecclesiam, nosque illius legatione fungentes, gerere comprobaris, non indigne meretur, ut petitiones tuas ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos tuis devotis in hac parte supplicationibus inclinati, ut liceat tibi & successoribus tuis habere altare portatile cum debitis reverentia & honore, super quo in locis ad hoc congruis & honestis, (sine tamen alieni juris præjudicio) &

cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, si ad loca quoque Ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate supposita, te vel successores tuos Abbates Sponheimenses declinare contigerit, in illis, clausis januis, (excommunicatis & interdictis prorsus exclusis) non pulsatis campanis, & submissa voce, in tua & successorum tuorum ac familiarium vestrorum domesticorum præsentia, Missas & alia divina Officia per teipsum vel quemcunque alium Sacerdotem idoneum, sæcularem, vel cujuscunque Ordinis regularem, celebrare seu celebrari facere possis, successoresque tui possint & valeant, dummodo tu vel illi causam hujusmodi interdicto non dederitis, nec id tibi vel illis specialiter contigerit interdicto proviso, quod parce hujusmodi indulto ante diem celebrare, sive celebrari faciendi utaris, successoresque tui utantur: quia cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster JESUS-CHRISTUS *Dei filius, qui candor est lucis æternæ, congruit id non noctis tenebris fieri, sed in luce, nonobstantibus constitutionibus & ordinationibus & synodalibus & provincialibus editis, Conciliis generalibus vel specialibus, ceterisque contrariis quibuscunque. In quorum fidem præsentes literas fieri, nostrique sigilli jussimus appensione communiri. Dato Moguntiæ anno Incarnationis dominicæ* MDIII. XIV. *Calend. Iulii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri domini Alexandri divina providentia Papæ VI. anno* XI.

Porro de Cardinalis hujus morte sic loquitur Odoricus Rainaldus in tomo X. Annalium Ecclesiasticorum ad annum MDV. num. XLV. *Obiisse vero hoc anno magnum sacri Senatus decus & ornamentum Raimundum, Episcopum Gurcensem, a quo Lubecense bellum, quo Germania, Suecia, Daniaque conflagraturæ erant, sedatum vidimus. Refert his verbis Chronicon Sponheimense:* VII. *die mensis Septembris obiit Raimundus Presbyter Cardinalis sanctæ Mariæ Novæ, Gurcensis Episcopus, Viterbii sepultus, qui per triennium continue Sedis Apostolicæ fuit Legatus de Latere per universam nationem Germanicam, vir moribus & vita sanctissimus, & omni integritate conspicuus, magnus Trithemii Abbatis nostri amicus & fautor singularis, justitiæ cultor magnus, & honorum simul ac divitiarum mundi contemptor omnium constantissimus, cui similem non habebat ætas nostra.*

Prætermittere mihi non licet epitaphium, quod Raimundi tumulo Viterbii in Ecclesia Eremitarum Augustiniani Ordinis ita superscriptum est:

Raimundus Perauldi, patriæ suæ Xantonensis Episcopus, ac S. R. E. Presbyter Cardinalis Gurcensis, proque ea Legatus, adeo opulentiæ contemptor, vt elargiendo nihil sibi relinqueret: ab Iulio tamen II. Pont. Maximo ditatus, dum Patrimonii legatione fungitur, Viterbii obiit Nonis Septembris anno salutis MDV. *Utque ab Iulio tradita solum retinere occæperat; sic monumentum hoc haud quæsitum reverentia ejusdem approbare credendum est. Vixit annos* LXX.

Anno MDV. designatus est cum pluribus aliis Magister in Theologia Judocus Clicthoveus, de quo an communitati Theologorum regiæ Domus nomen dederat, injecta est a nonnullis qui pridem desierunt vivere, difficultas. Hanc non ego, sed ipsemet Clicthoveus solvet pluribus in locis.

Primus petitur ex Theologicæ Facultatis commentariis, in quibus singulorum Baccalariorum & Magistrorum Actus scholastici describuntur. Ibi sic se res habet:

Anno MDVI. *M. Iudocus Clicthoveus fuit vesperiatus die* XVII. *Novembris per honorandum M. N. Petrum de Valle.* Hic autem Petrus de Valle tunc erat magnus regiæ Navarræ Magister, ad quem proprie spectat moderatio Actus Vesperiarum, quem qui celebrat, communitatis est Theologorum.

Alter petitur ex oratione quam habuit post Lauream in aula Parisiensis Episcopi acceptam anno MDVI. pridie Nonas Decembris, vbi redditis Deo & cælitibus gratiis, ad mortales sese convertens subjicit: *Deinde dignissimo sacratissimæ Facultatis Theologiæ Decano, honorandisque Magistris sacrarum literarum interpretibus exactissimis, qui pro sua benevolentia me in suum admiserunt consortium, grates itidem agimus immortales, præsertim præstantissimo domino Procancellario & regalis Collegii Navarræ moderatori primario M. Petro de Valle, qui me in Theologica desudantem palæstra singulari benignitate pervigilique cura direxit, suoque moderamine ad optatum vsque finem perduxit.*

Tertius quæritur ex gratiarum actione, quam in Basilica Parisiensi habuit. *Præstantissime*, inquit, *domine Procancel-*

larie, de beneficiis cumulatissime a tua humanitate in me collatis gratias quidem agere debeo, sed revera quantas exolvere debeo, non possum. Tuum enim munus est, quod ad optatam Theologici Studii metam sine offendiculo pervenerim, tua facillima & rectissima moderatione ad id plurimum adjutus. Tuum praterea munus est, quod nunc insigni Theologicæ professionis Laurea decoratus sum.

Quartus petitur ex alia gratiarum actione quam sub primæ lectionis magistralis fine habuit, post redditas Deo & Sanctis ejus gratias. *Deinde dignissimo Facultatis sacratissimæ Theologorum Decano, & sapientissimis M. N. sacrarum literarum Professoribus eximiis, qui me suo dignati sunt honoratissimo consortio, gratias itidem habemus non mediocres, præstantissimo domino Vicecancellario & regalis Domus Navarræ moderatori præcipuo, M. Petro de Valle, qui nostram inter fluctus & procellas pelagi cymbam sedulo gubernavit, & ad optatum stationis tutæ portum perduxit. Deinde reverendo in Christo Patri Iacobo de Ambasia, Episcopo Claromontano, Abbatique Cluniacensi, qui pro sua humanitate nepotes suos ingenuos mihi instituendos commisit, & ad absolvendum hunc Actum largas suæ munificentiæ porrexit manus, meipsum totum debeo; necnon & sacratissimo Præsuli Lodovensi Guillelmo Briçonneto plurimum sum obnoxius.* Et quibusdam interpositis: *Meo vero præceptori semper observando M. Iacobo Fabro Stapulensi, cujus moderationem & institutionem mihi obtigisse non minus gaudere & gloriari debeo, quam olim Philippus Rex Macedonum gavisus est Alexandrum filium temporibus Aristotelis, cujus doctrina institueretur, sibi natum.* Et quibusdam interpositis: *Venerandæ præterea Nationi Picardorum perpetuo devinctus sum obsequio, quod materna viscera sua in me alumnum extenderit, gratuitoque pecuniariæ donationis munere me cumulaverit. Vobis denique commilitonibus meis haud modicas identidem gratiarum actiones debeo, quod hactenus cum summa benevolentia sub iisdem tectis versati estis, meum nunquam contubernium aspernati.* Ecce tibi homo post hominum memoriam gratissimus in referenda gratia iis quibus acceptæ sunt beneficia. Inferiores multos habuit, paucos pares, superiorem neminem. Hinc efficitur, vt quorum in tot tantisque gratiarum actionibus non meminit, ab iis beneficii nihil vnquam acceperit.

Quintus petitur ex sermone quem pro more habuit anno MDVII. in die festo beati Ludovici mensibus novem post acceptam Theologici magisterii Lauream. *Ceterum*, inquit, *ex cælestium incolarum senatu sanctissimum Ludovicum pietate & meritis insignem hæc florentissima Domus Navarrica, literatissimorum virorum fœcundissima nutrix, & multiplici semper prole beata, quotannis prædicandum delegit, regalisque Domus Regem reverenter honorat. In ea vallis tutissima munitissimaque conspicitur, firmissimaque petra totam ædificii structuram consolidans, secundum Isaiæ oraculum, aquæ cælestis aspergine impleta, & vt sacriloquus loquitur David, spirituali frumento doctrinæ largiter abundans.* Et post pauca: *Verumtamen quia ex hujusce vallis fœcunditate literariam suscepi educationem, non potui oblatam detrectare provinciam. In ejus declivitate tutus delitui, dum procellarum peractæ navigationis inundarent fluctus: par est igitur tutelam hoc quantulumcunque officio compensare.* Extant plures de sancto Ludovico sermones, sed non ab aliis quam a Navarricis Sodalibus habiti, nisi fortassis Theologiæ Facultas aliter statuerit. Unus Petri Alliaci, duo Gersonis, vnus Ægidii Carlerii, sed nondum excusus, vnus Joannis Raulini, vnus Claudii Espencæi, alii aliorum recentiorum.

Sextus quæritur ex epistola, in qua librum sermonum Parisiis editorum anno MDXXXIV. studio & opera Ludovici Lasserei Navarræ Provisoris, eidem inscribit. *Cum versarer*, inquit, *in celebri Collegio Cardinalis Monachi, & postea in regali Domo Navarrica, in ædibus tuis hospes & incola interdum sermones exhortatorios habui ad Magistros & Scholasticos illorum Gymnasiorum.* Sic loquitur, quia qui victitabat sumptibus illorum, quos privatim ad optimas artes erudiebat, stata pensione seu bursa apud communitatem Theologorum non fruebatur. Is tunc mos erat ac disciplina Collegii, vt fructu bursæ carerent, qui ὁμοτράπεζοι non essent, & eidem mensæ non accumberent.

Ad hæc loca numero sex accedunt, quæ ex Diario Ludovici Lasserei Navarræ Provisoris sequuntur. Sed præmittendum est, quod Judocus Clicthoveus aliquanto post acceptam magisterii Lauream excessit Navarræ Collegio, tunc partim Lutetiæ Parisiorum in Gymnasio, partim in Cœno-

bio Cluniacensi degit cum Cardinalis Georgii Ambasiani nepotibus. Sed anno MDXIII. ad Collegium Navarræ revertitur literariam Ludovici Guillardi Tornacensis Præsulis educationem suscepturus. Ibi hæsit vsque ad annum MDXVII. publicæ Scripturarum interpretationi & piorum librorum editioni incumbens, & quo anno Clicthoveus exiit Navarræ Collegio, vt cum Episcopo suo Tornacum Nerviorum vrbem peteret, Ecclesiæ Dei serviturus.

De hoc Clicthovei exitu Ludovicus Lassereus Navarræ Provisor, ita loquitur in Diario suo: *Le* VII. *Iuin* MDXVII. *Clicthouë donna* LX. *ducats pour reparer la maison qu'il a loüée ad vitam.* Quod Latine dicitur: *Clicthoveus ducatos nummos* LX. *dedit ad reparandam domum quam ad vitam conduxit.* Et Lassereus continuo subjungit: *Probitas, religio & doctrina viri sunt ornamento, & decori Collegio.*

Deinde ex Diario ejusdem Provisoris.

Le College luy a promis qu'il pourra avoir sa sepulture & tombe devant le petit autel de bois, qui est en la Nef du costé du jardin commun, I. *Feb.* MDXVII. Quod Latine dicitur: *Collegium Clicthoveo promisit eum habere posse sepulturam & tumulum ante parvum altare ligneum, quod est in navi a parte communis horti, Calend. Februarii ann.* MDXVII.

Tum ex ejusdem Provisoris Diario.

Le I. *Ianvier* MDXX. *Clicthouë consentit que l'argent qu'il avoit donné pour paver l'Eglise, fust emploié à dorer la table d'autel de bois d'Hollande, taillée à personnages; où est la Paßion de nostre Seigneur, qu'avoit donnée le R. P. Louïs Guillard Evesque de Tournay.* Quod Latine dicitur: *Clicthoveus anno* MDXX. *Calend. Ianuarii consensit, vt pecunia quam dederat ad paviendam Ecclesiam in altaris mensa ex ligno Bataviæ confecta, vbi eminentes quædam figuræ, personæ vulgo dictæ, & dominica Passio repræsentantur, inauranda collocaretur. Hæc porro altaris mensa ea est, quam reverendus Pater Ludovicus Guillardus Tornacensis Episcopus dono dederat.*

Hinc ex computo ejusdem Provisoris ad annum MDXXI.

A tertia camera prædictæ Domus, quæ tradita est per locagium venerabili viro & scientifico Magistro Iudoco Clicthoveo, Doctori Theologo, ad vitam suam occasione summa CXXIV. *librarum*

brarum & x. solidorum dicto Collegio daturum pro reparatione dictæ Domus, quæ minabatur ruinam, quotiescunque voluerit dictus Clicthoveus dictam cameram inhabitare. In absentia autem illius Magister & Provisor dicti Collegii poterunt locare dictam cameram ad vtilitatem ejusdem Collegii, sicut de facto locaverunt Magistro Ioanni Veillart Presbytero, commoranti cum aliquibus Grammaticis commensalibus in communitate Grammaticorum, pretio per annum librarum VII.

Denique ex alio computo ejusdem Provisoris ad eundem annum:

Alia missa pro fundatione facta per venerabilem & scientificum virum Magistrum Iudocum Clicthoveum, Doctorem Theologum. Provisor facit hic missam de summa trium solidorum Turonensium in distributione facta Sacerdotibus, qui celebraverunt magnam Missam in crastino Nativitatis dominicæ, præsentis computi, insequendo fundationem factam per dictum dominum Clicthoveum in dicta Capella, prout fertur in aliquibus certis gestis, ad quod illi de Collegio se obligaverunt: & in contemplatione horum dedit dictus Clicthoveus summam centum librarum Turonensium applicandam ad pavimentum Ecclesiæ, vel aliud ornamentum. similiter ad onus dicendi in fine cujuslibet magnæ Missæ illius cujusque termini crastini festorum Nativitatis, Paschæ & Pentecostes, Psalmum De profundis, cum Oratione, Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c. pro dicto Clicthoveo. qui quidem Psalmus dicetur submissa voce in fine magnæ Missæ per Sacerdotem qui celebraverit dictam Missam, cui distribueretur summa XII. *denariorum Turonensium. ad onus etiam eligendi sepulturam per dictum Clicthoveum in navi dictæ Capellæ, prout constat amplius per literas dictæ fundationis factæ* MDXVII.

Exinde asservantur in Bibliotheca regiæ Domus Clicthovei plures mss. codices, vbi videre est eas lectiones omnes, quas die sanctæ Euphemiæ annis MDXVII. MDXIX. MDXX. MDXXI. MDXXII. MDXXIII. MDXXIV. MDXXV. MDXXVI. MDXXVII. MDXXVIII. MDXXIX. tradidit; cum Carnoto vel aliunde accedebat Lutetiam, vt librorum suorum editioni vacaret; vel forsan, vt pro more jus honorarium consequeretur. Unde illud apud Petrum Ramum in libello pro reformanda Academia Parisiensi ad Carolum

IX. *Eo tempore* (sanctæ Euphemiæ) *e tota fere Gallia Magistrorum nostrorum conventus Lutetiæ longe frequentissimus fieri solet, ejusque diei professione universi Professores ordinarii declarantur, atque hinc vulgo ab urbanis hominibus Magistri nostri Doctores Euphemiani nominati sunt.* In summa, quo expressiorem sui imaginem abiens e Collegio communitati Theologorum relinqueret, curavit, vt anno MDXVIII. filius ex fratre admitteretur Hieronymus Clicthoveus, qui Magister in Theologia designatus est anno MDXXI.

Mos olim fuit, vt Doctores multi post adeptum in Theologia magisterium, in Collegio domum locarent ad vitam. Locavit Joannes Gerso; sed creatus Parisiensis Cancellarius, in claustrum beatæ Mariæ se recepit, & domum suam Petro Cameracensi Episcopo cessit.

Atqui hæc sunt quibus Judocus Clicthoveus Navarræ Collegio vt affluenter, ita & splendide vindicatur, qui & quamvis non manserit in Sorbonæ Collegio, ei tamen sic benigne fecit, vt inter beneficos locum in necrologio quondam adeptus fuerit.

Hoc in loco & anno prætermittenda non est epistola, quam Guillelmus de Mara ad Ludovicum Pinellam Navarrici Collegii Archididascalum ita scripsit: *Guillelmus de Mara Ludovico Pinellæ magno Navarræ Magistro, sacræque Theologiæ Doctori consummatissimo. Si Ulysseos errores & labores plusquam Herculeos, quibus ad saturitatem usque saturati sumus, tibi enarrare vellem, vir omnium optime, & mihi maximo pariter honore prosequende, dies equidem me deficeret. Adeo huc illuc sine intermissione, ne dicam sine ratione, per Provinciam & Galliam Occitanam discursavimus, & nequid miseriæ deesset, jam tertio Tolosam repedavimus, propediem, vt arbitror, superum clementia reversuri. Quoties Leucotetiæ præclara ædificia, aerem salubrem prælabentisque Sequanæ amœnitatem atque incolarum animi dotes, literaturam, virtutes & humanitatem mente revolvo, e diversoque patriæ hujus gentes non secus ac aerem pestilentes, sævas, inhumanas atque inclementes intueor: magna profecto cupido Parisios revisendi animo incedit meo, quos si repetere corpore incolumi vitaque sana, Deo annuente, contigerit, hoc reliquum ævi, quod variis ex infirmitatibus mihi a Domino concessum est, sibi*

& literis tribuere inprimis desidero: nam perditissima vita nostra nihil perditius esse duco. Sed de his hactenus frater Girardus harum tabellarius, quod deest, sua prudentia suppleturus est. Hic, ni fallor, vir profecto bonus est, & quem tibi cupio esse commendatissimum. Michael Villebresme tibi apprime cognitus habet filium, quem reverendissimus Dominus noster sacro de fonte levavit atque suscepit, cui bene optat & sperat evadere in virum doctum tuo ductu atque auspiciis, prout suis ex literis satis superque animadvertere poteris. Hunc ad te dirigit, ut in Grammaticis imbuendum tuo in Collegio apud aliquem & prudentem & literarum virum sisti jubeas ac vigilanter edoceri. Qua in re (nolo tamen docere Minervam) præcipue cavendum est, ne malorum admixtione aliquando valeat fieri deterior, & ut vir hujusmodi quem dixi, hunc semper in oculis habeat, summopere providendum. Solent enim ex negligentia juvenes, ut scis, nequissimos induere mores, quos nulla postmodum ætas possit exuere. Salutant meæ literæ Paulum Æmilium virum optimum & nostri amantissimum. Vale Tolosæ. Hæc ille, qui Guillelmo Briçonneto Narbonensi Archiepiscopo tunc erat a literis & privatis studiis.

Anno MDVII. cum deesset qui de Sorbonica decimo loco responderet, ne locus is vacaret, Jacobus Almainus Navarricæ Societatis Alumnus, pro Tentativa respondit de Sorbonica. Quod ita refertur in commentariis Theologicæ Facultatis: *Iacobus Almain respondit decimo loco de Tentativa, Baccalarii de proxima Licentia arguerunt duobus mediis.* Id facere non poterat, nisi præstantissimi vir ingenii: insigne futurum esse in Theologia magisterium portendit. Hoc anno Ludovicus Pinella ex magno Navarræ Magistro fit Parisiensis Cancellarius.

Anno MDVIII. beati Ludovici festum celebre fuit. Lugdunensis Archiepiscopus sacrum fecit. In Collegio prandent *hic Pontifex, dominus Guisiæ frater illius, dominus Gouffier Consiliarius in Parlamento, Cancellarius Parisiensis, colendissimus Magister Ioannes Raulinus. M. N. le Magnen concionem habuit.* Hæc commentarii Collegii.

Hoc anno Ludovicus Lassereus, qui deinceps magnæ in Academia auctoritatis fuit, Navarræ Provisor institutus est, ex Regis diplomate:

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, dilectis nostris Magistro & Bursariis Domus nostræ seu Collegii Campaniæ, alias Navarræ, Parisius, salutem & benedictionem. Notum vobis facimus, quod nos officium Provisoris ejusdem Domus seu Collegii quod obtinere solebat dilectus noster Magister Andreas Perier, ad præsens vacans per resignationem de ipso officio, in manibus dilecti & fidelis Consiliarii & Confessoris nostri per eundem Perier factam, & per eundem Confessorem nostrum admissam, dilecto nostro Magistro Ludovico Lasseré, in Artibus Magistro & in Theologia Baccalario dedimus & contulimus, damusque & conferimus, meritorum suorum intuitu, per præsentes: earum serie vobis mandantes, quatenus eundem Lasseré ad dictum officium Provisoris recipiatis & admittatis, eundemque in possessionem realem & actualem dicti officii Provisoris ponatis & inducatis, & ipsum fructibus, reditibus & honoribus, præeminentiis & emolumentis universis ad dictum officium Provisoris quomodolibet & ex quacunque causa spectantibus, uti & gaudere pacifice faciatis, statutis & consuetudinibus dicti Collegii observatis. Datum Parisius die XXIII. *Octobris anno Domini* MDVIII. *& regni nostri undecimo. Sic signatum, C. Petit, Per Regem, ad relationem Confessoris Episcopi Massiliensis.*

Antonius Massiliensis Episcopus Confessor Regis, in dorso quarum literarum scriptum est quod sequitur: Anno in albo, die vero VII. *Novembris, præsidente venerabili & scientifico viro M. Petro de Valle, regalis Collegii Campaniæ, alias Navarræ, principali Magistro, & pluribus Bursariis, in choro Capellæ Magister Ludovicus Lasseré infra nominatus, fuit receptus in Provisorem dicti Collegii, & per præfatum Magistrum positus in possessionem realem & actualem dicti officii Provisoris. Sic signatum: Ita est, Petrus de Valle.* Sic in Regestis Collegii.





CAPUT II.

Joannis Aurelianensis Archiepiscopi Tolosani, Ludovici Borbonii Laudunensis Episcopi, & Ludovici XII. Regis beneficia in Collegium collata. Ludovicus XII. & Pisana Synodus ad Facultatem Theologiæ mittunt Caietani de auctoritate Papæ & Concilii librum, cui Almainus respondet. Guillelmus Crassus Rotomagensis Decanus, bursam fundat lignariam pro communitate Theologorum: hinc institutus rei lignariæ Præfectus. Academia initis inter Franciscum I. & Leonem X. concordatis intercedit, Rectore Nicolao Menuele, & Gaufrido Boussardo perorante, Navarricis Sodalibus. Michael Manternus Claudiam Reginam salutat publico nomine. Franciscus I. prohibet ne quis in Theologia Magister in Collegio Sacellanus fiat, idque justa de causa. Insignis Joannis Majoris locus de Collegiorum Navarræ & Sorbonæ bursis.

ANNO MDIX. Joannes Aurelianensis Tolosanus Archiepiscopus, Longavillani Ducis frater, Navarræ Hospes, ei dedit libellas octoginta, vt pedum fieret cupreum, quo sacra pixis, quæ inclusam habet Eucharistiam, suspensa teneretur.

Anno eodem ad XVII. Calend. Septembris migrat Pictavium, ex Jurisprudentia delibaturus nonnihil, antequam Tolosam adiret.

Anno MDXI. ad III. Idus Septembris, Ludovicus XII. curavit scalas in cochleam circumactas ædificari, quibus ad Bibliothecam iretur, ob idque libellas ducentas dedit Collegio.

Anno eodem ad V. Calend. Novembris Ludovicus Bor-

bonius Laudunensis Episcopus, Collegii Hospes, ei dedit libellas centum, vt claustra laquearibus ornarentur.

Anno MDXII. Regis & Ludovici Borbonii Laudunensis Episcopi stemma gentilitium in claustrorum angulis quatuor collocatum est.

Anno eodem idem Episcopus Collegio dedit libellas centum tanquam minerval, quo acceptam inibi disciplinam remuneraret. In Collegio mansit annos quatuor, quorum decursu ad humaniores Literas & ad Philosophiam informatus est. Hæc omnia in manuscripto Diario Ludovici Lasserei, Navarræ Provisoris.

Anno eodem Thomæ Caietani liber de auctoritate Papæ & Concilii adversus Gersonem, a Pisana Synodo & a Ludovico XII. missus est ad Parisiensem Academiam, vt ei responderetur. Synodi epistola hæc est:

Sacrosancta generalis Synodus Pisana in Spiritu sancto legitime congregata, vniversalem Ecclesiam repræsentans, & per continuationem Mediolanum ad tempus translata, dilectis filiis Rectori, Doctoribus, Magistris & Regentibus almæ Universitatis Studii Parisiensis, salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Dilectus filius Gaufredus Boussard, Cancellarius Parisiensis, jussu nostro tradet vobis libellum quendam suspectum & plenum injuriis contra Concilium Constantiense & Basiliense ac nostrum, & contra Ioannem Gersonem, optimum Ecclesiæ defensorem, compositum per quendam fratrem Caietanum, hominem audacem & periculosum, quem desideramus pro suo demerit ocastigari. Ideo hortamur vos in Domino, vt libellum ipsum diligenter examinetis & discutiatis, mittatisque ad nos celeriter determinationem vestram doctrinalem, qua possimus juxta ejus audaciam cum vestris sapientissimis consiliis prudenter procedere, &c. Datum Mediolani in generali congregatione nostra x. Ianuarii MDXII. *B. Card. sanctæ Crucis, G. Card. Narbonensis, R. Card. Bajocensis, F. Card. de sancto Severino, P. de Prie Card. F. Archiepisc. Lugdunensis, Tristandus Archiepisc. Senonensis, P. Lucionensis Episcopus, G. Magalonensis Episcopus, A. Episcopus Engolismensis, Iacobus Abbas Cistercii, Ioannes Abbas Suessionensis.*

Ludovicus Rex Galliæ ea super re ad Academiam ita scripsit:

Tres-chers & bien amez, nous avons esté advertis, que le Concile de Pise, seant de present à Milan, vous envoie par nostre cher & bien amé Maistre Geoffroy Boussard, Chancelier de l'Eglise de Paris, un certain livret, pour estre par vous visité & examiné, lequel a nagueres esté composé par quelqu'un au deshonneur des saints Conciles de l'Eglise, & depression de l'autorité d'iceux, auquel livret, comme l'on nous a rapporté, sont contenus plusieurs grands & dangereux erreurs qui ne sont a tolerer. Et pour ce que sommes deliberez de toûjours aider, porter & favoriser les saints Conciles generaux de l'Eglise, à l'exaltation & gloire & autorité d'iceux, comme la raison veut : à cette cause nous vous prions tres-acertes, que vous receu ledit livret, le visitiez & examiniez diligemment, & le confutiez par raisons & points & articles, ésquels il vous semblera estre contre verité, si n'y veuïlliez faire faute, & vous nous ferez service tres-agreable, en ce faisant. Donné à Blois le XIX. jour de Fevrier. Signé, Loüis, & au dessous, Robertet. & au dos : A nos tres-chers & bien amez les Recteur, Maistres, Docteurs & Regens de nostre aisnée fille l'Université de Paris.

Academia Synodo & Regi paruit, per Gymnasia singula quæsivit, qui calamo manum admoveret, Caietanum refelleret, Gersonem defenderet, antiquam Ecclesiæ etiam Romanæ doctrinam & traditionem assereret. In regia Domo inventus est Almainus qui anno post acceptum magisterium vno pensum hoc obiit excellentissime. Digniorem ac magis idoneum scriptorem inventum non fuisse alium recentis magisterii tempus ostendit. Ut Caroli VI. sic & Ludovici XII. tempore præclara Navarræ Schola murum se pro Conciliis Ecclesiæ ad omnes nefarios impetus opposuit, admurmurante Academia, comprobante Gallia, applaudentibus vniversi regni ordinibus.

Ceterum hoc in Concilio Academia Procuratores habuit quinque, quorum tres erant Sodales, Gaufridus Boussardus Parisiensis Cancellarius, Simon Jacquetus, & Antonius Seurreus.

Ad annum MDXIII. Gaufridus Boussardus jam factus erat Parisiensis Cancellarius, cum Joannes Ravisius Textor illum hoc carmine commendavit in Dialogis & Epigrammatibus:

Claudere qui modica Rhodanum tentaverat vrna,
Aut numerum cunctis ponere sideribus:
Qui volet exili pelagus concludere testa,
Dicere quot pisces parturit oceanus:
Æstiuis quot apes modicas parit hybla diebus,
Quotque gerit suaves dulcis himete favos:
Ponere litoreæ numerum conetur arenæ,
Dicere quot foliis silva superba viret:
Quotque Ceres campis flavas emittat aristas,
Quot violas verno tempore terra parit:
Antyciras numquid dignus sorbere meracas
Esset, & immodici hic indigus hellebori?
Dignus & a fœdis squillas auferre sepulcris,
Aut superis porium cedere numinibus?
Virtutum pariter numerum titulosque tuarum,
Qui modicis satager claudere carminibus,
Sit licet & Musis & Phœbo digna locutus,
Et gerit egregia laurea serta coma:
Nunquid mentis inops fuerit, rationis & expers,
Aut cursu plusquam præditus Icareo?
Ergo mihi sat erit, dignum te dicere summis,
Felicesque inter vivere semideos.
Plura quid eloquerer, cum vastis cognita terris
Laus tua percurrat solis vtramque domum?
Nota satis, nulla fas est aperire camœna,
Hoc erit & sat erit, commemorasse. Vale.

Boussardum probe noverat Textor, qui in eadem cum illo Navarræ Domo & Schola diu multumque vixerat.

Anno MDXV. Idibus Junii Guillelmus Crassus Rotomagensis Canonicus & Decanus, cum perspiceret Theologorum Sodalitium indigere ligno, quo per hiemem ignis foci publici succenderetur, necessitati huic providendum sibi esse censuit. Is habebat certas quasdam in Sequana insulas ad Rotomagum, quas in illum vsum dedit: hæ nunc insulæ Rotomagenses a Scholaribus vocantur. Conducuntur, ex annuo reditu lignum emitur, ex quo a Calendis Novembribus vsque ad Paschales ferias statim post prandium & cœnam ignis omnibus conficitur. Accedunt Socii,

in

in semicirculum componunt sese, & familiariter colloquuntur. Calefactionis tempus horæ dimidium est, quo transacto vnusquisque se in cubiculum recipit, & Theologiæ vacat. Huic contractui, quem Crassus modis omnibus fixum ratumque esse voluit, hoc ordine subscribunt Archididascalus & Socii; *Petrus du Val Magister Collegii, Nicolaus Raulin, Tristandus Ravault, Guillelmus le Gay, Stephanus Loret, Matthæus du Lorey, Oliverius de Lugduno, Natalis Galiot, Realdus Cename, Michael Moricet, Ioannes des Grosseliers, Monsieur Maistre Nicole Bouchart, Recteur de l'Université de Paris, Nicole le Franc, Thomas de Bures, omnes Baccalaurei formati, Robertus Pietrequin, Franciscus de Combles, Iacobus Boulay, & Ioannes Dançoit, Bursarii Theologi.* Magna non sunt contractus onera, nimirum vt post prandium inter agendas Deo gratias pro Crasso recitetur Psalmus LXVI. eique adjungatur Oratio, *Retribuere digneris*, & post cœnam pro eodem dicatur Psalmus CXXIX. Psalmi prioris initium est, *Deus misereatur*: posterioris, *De profundis.*

Anno eodem ad XVI. Calend. Iulii, Ludovicus Archiepiscopus Tolosanus dedit libellas quadraginta, vt pedi cuprei solutio perficeretur. Hoc insigne & pium munus hodieque perseverat ad æternam rei memoriam. Aurelianensis Domus Navarræ Collegium semper dilexit, ex quo partes illius contra Burgundionem secutum est: vel filios Collegio instituendos tradidit, vel Sodales habuit, a quibus instituerentur. Ludovicus hic noster domestico præceptore vsus est Guillelmo Launoio, quem Navarræ Domus aluerat.

Natalis Galiotus e Navarrica Theologorum Societate transivit in Sorbonæ Collegium, vt Prioris partes obiret.

Anno MDXVI. IV. Calend. Ianuarii, Gaufridus Boussardus academico nomine salutavit Card. Lucemburgicum, quem Romanus Pontifex Legatum in Galliam miserat, vt in Regestis Academiæ traditur: *Excipitur Legatus apud sanctum Stephanum de Gressibus a Rectore, Decanis Facultatum, Procuratoribus Nationum, Deputatis singularum Nationum, ac Officiariis & Bedellis, orationemque ad eum habuit nomine publico M. Gaufridus Boussardus Facultatis Theologicæ Decanus & Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius.*

Anno MDXVII. XVII. Calend. Aprilis Bouſſardus idem coram Tremollio orationem habuit de concordatis quæ inter Franciſcum I. & Leonem X. inita fuerant : *Rector cum Deputatis Universitatis comitantibus ipſum D. Rectorem præſentaverunt requeſtas dominis Præſidentibus & Conſiliariis Curiæ, nomine Universitatis, inſequendo concluſionem ejuſdem Universitatis : & exinde viſitaverunt D. de la Trimouille, & dominus Cancellarius Bouſſard orationem habuit coram eo.* Dum ad intercedendum Franciſci I. & Leonis I X. concordatis ſeſe accingit Academia, in actis Curiæ dicitur : *Eligatur bonus Rector. Electus eſt autem Rector M. Nicolaus Menuel, & inſtructus die* XXVI. *Martii de publicis negotiis per D. Antiquum, Decanos Facultatum & Procuratores Nationum.*

Anno eodem XI. Calend. Aprilis facta eſt in Univerſitate congregatio, in qua *dominus Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis D. Bouſſard recitavit orationem per eum habitam coram domino de la Trimouille, & reſponſum ejuſdem.*

Anno eodem & die *Dominicus le Cirier* (qui Sodalis erat Navarricus) *præſentavit Universitati Bullas Apoſtolicas proviſionis parochialis Eccleſiæ ſancti Germani veteris ſibi factæ in vim præſentationis Universitatis, & ſupplicavit hujuſmodi proviſionem approbari.*

Anno eodem IV. Idus Maii Claudia Regina ingreditur Lutetiam, & ei Michael Manternus e ſodalitio Navarræ Pariſienſis Theologus ſalutem dixit Academiæ nomine, vt in Actis publicis refertur : *Anno Domini* MDXVII. *die Martis duodecima Maii, dominus Rector cum Decanis, Procuratoribus, Deputatis in numero determinato per Universitatem, Officiarii Universitatis & Bedelli Facultatum & Nationum comparuerunt in Eccleſia ſanctæ Genovefæ de Miraculo Ardentium : & ibidem erant barræ ad exſpectandum ingreſſum illuſtriſſimæ Claudiæ Reginæ. Et ipſa die fecit ſuum ingreſſum Pariſius, & tranſeundo fuit ſalutata ex parte Universitatis organo domini Decani Facultatis Theologiæ Magiſtri noſtri Manterni.* Hoc in loco Regina ſignificavit viris academicis velle ſe eos adhuc commodius videre. Quo fit, vt ii decreverint, ſe Idibus Maii ad Reginam adituros eſſe in Turnellarum palatium. Adierunt *& ibi Gaufridus Bouſſardus, orationem ha-*

buit elegantissimam, qua Reginæ bene precatus est. Cujus responsum & benignam exceptionem postridie in comitiis Boussardus retulit.

Olivarius de Lugduno ad eundem annum evasit in magnum Navarræ Magistrum, ad quem Guillelmus Budæus in libro v. epistolarum ita scribit: *Non mediocri nuper lætitia affectus sum, cum audissem Gymnasium istud tuum ita te formare ac instituere cœpisse, præclaris vt institutis ordinatum, claritati nominis famæque brevi responsurum sit. Scholæ enim hujus vrbis clarissimæ atque principis exemplum non dubitarem Scholas alias confestim secuturas, quæ cum ipsa architecto te disciplinæ puerilis rationem informare optimam instituisset, fore videbam vt literis elegantioribus paucis annis suum restitueretur decus, quod crassa ac rudi multarum ætatum institutione prorsus exoleverat.* Hæc Budæus, qui & ad annum MCCCCLXXXIV. in communitate Theologorum manserat, & doctrinæ sacræ vacaverat, sed postea ad Jurisprudentiam se contulit.

Anno MDXIX. in mense Januario Guillelmus Emericus, Parisiensis e Navarra Theologus, cum Joanne Jacqueto litem habuit de certa quadam causa beneficiaria, quæ primum agitata est in Artium Facultate, a qua Emericus provocavit ad Universitatem. Sic rem Procurator Gallicanæ Nationis enarrat: *Die XX. Ianuarii congregata fuit præclara Artium Facultas apud sanctum Iulianum pauperem super tribus articulis. Quoad tertium supplicavit M. Ioannes Iacquet, quatenus insequendo conclusionem jamdudum dictam per dominum Rectorem in processu pendente coram Facultate inter ipsum & M. Guillelmum Emery in Theologia Doctorem, injungeretur dicto Emery suas productiones porrigere: cujus supplicationi annuit Facultas, voluitque quod infra triduum partes haberent omnia sui processus acta producere in manibus domini Rectoris.*

Deinde v. Idus Februarias: *Supplicavit Magister Guillelmus Emery in Theologia Doctor, quoniam a sententia Facultatis* (Artium) *ad Universitatem appellaverat, vt sibi deputarentur aliqui ex superioribus Facultatibus, qui suum processum haberent visitare, & de eodem judicium ferre. Cujus supplicationi annuit Universitas in forma, & ita conclusit dominus Rector ex omnium Facultatum deliberationibus.*

Tum XI. Calend. April. *Alter etiam vocatus Iacqueti supplicavit, quod compelleretur Magister noster Emery pro sacco suo coram domino Rectore deferendo, inter quas partes jamdudum fuerat certus processus motus beneficialis & remissus super quodam incidenti ad Universitatem.* Et post alia: *Quantum ad supplicationem Iacqueti Facultas Artium, quia functa erat officio, nihil deliberavit. Ceteræ autem ordinaverunt, quod evocaretur Magister noster Emery in prima congregatione, dicturus causas, propter quas recuset tradere saccum suum: & ita conclusum extitit.* Hæc est litis & movendæ & ditimendæ disciplina quæ tunc apud Universitatem obtinuerat. Sed anni jam sunt plures, quod illa mutata est, & perinde mutata, quasi obtinuisset nunquam. Sic nec ex veteribus institutis recentia, nec ex recentibus vetera semper æstimanda sunt.

Circa hoc tempus excitata est inter Jacobum Merlinum, Parisiensem e Navarra Theologum & Decanum, & quosdam alios Theologos contentio de Origenis Apologia, quam Merlinus editis a se auctoris illius operibus præfixerat. Quæstio erat quæ non in juris, sed in facti conditione versabatur. Post sat multa annorum curricula Gilbertus Genebrardus Merlini causam, quam adversariorum meliorem esse censuit, & Origenis Apologiam denuo confecit, cui Parisienses Theologi temporis sui non repugnarunt.

Fuit quoque inter Senonensem Archiepiscopum & Parisiensem Episcopum ex vna parte, & Gaufridum Boussardum Cenomanensis Ecclesiæ Canonicum, paulo ante Parisiensis Ecclesiæ Cancellarium, controversia *propter præfationem quam Boussardus vir eximiæ & virtutis & doctrinæ, suo in Psalmos pœnitentiales Commentario præposuerat. Antistites conquerebantur se in ea præfatione læsos & a prava Sacerdotiorum collectione confixos esse. Qua de re in Curia diu disceptatum est.* Lis tota facile potuit canonica beneficiorum distributione sedari. Utinam hacce ratione sedata fuerit in difficillimis illis Ecclesiasticæ hujusce disciplinæ temporibus, vt vel vnus nos docet Hadrianus VI. in mandatis quæ Francisco Cheregato in Germaniam eunti dedit.

Anno MDXX. Ludovicus Guillartus ex alumno Collegii Tornacensis Episcopus, Calend. Augusti dedit altaris tabu-

lam in Belgio affabre factam, pluribus ornatam statuis, quibus quicquid est dominicæ Passionis exprimitur. Hæc tabula quingentis nummis aureis & eo amplius constabat. Anno eodem Calend. Januarii dedit nummos aureos triginta, vt ad eam pingendam & inaurandam insumerentur. Judocus Clicthoveus nuper dederat pecuniam, qua Navarræ templum pavimentari curaretur; sed eo die consensit, vt ea pecunia ad perficiendam tabulæ auraturam conferretur. Ara templi maxima, quæ ornamentis talibus decorata est, hodieque post annos centum quinquaginta quinque persistit, & duorum Sodalium, Guillarti & Clicthovei, quorum hic præceptor, ille discipulus erat, beneficium cunctis spectantibus exponit.

Anno MDXXI. Joannes Ravisius Textor, quem ab ætate tenera Collegium aluit, Joannam Reginam claris feminis accensuit: ejus elogium conscripsit, & nonnullorum Sodalium laudes admiscuit. Hoc eodem anno Franciscus I. consultis pluribus e Collegio Theologis vetuit, ne quis Doctor Sacellanus inibi fieret, & rei causam sic in edicto suo proponit:

Franciscus Dei gratia Francorum Rex universis præsentes literas inspecturis, salutem. Ratio & æquitas suadent, vt domos pias per prædecessores nostros dotatas & fundatas non modo conservemus & manuteneamus, sed earum honestatis & prosperitatis augmentum, vt decet, easque juxta votum & sanctam intentionem dictorum prædecessorum nostrorum laudabiliter erigi & regulari magno desiderio affectemus. Cum itaque illustris memoriæ Ioanna, quondam Franciæ & Navarræ Regina, Campaniæ, Briæque Comitissa Palatina, & illustris etiam memoriæ Philippi Pulchri prædecessoris nostri sponsa inclita, ducta salubri & laudabili consilio, de rerum suarum substantia & bonorum Collegium Campaniæ, alias Navarræ, Parisius fundaverit, vt ex assiduis Scholarium illic residentium laboribus per continuam studii disciplinam susceptis fons exiret aquæ vivæ, qui velut Euphrates uberrimus filios Dei gigneret adoptivos, & sicut alter Iordanis fluvius totius orbis superficiem tam per vitæ munditiam, quam per veram doctrinam irrigaret. Hinc aliquot Bursarios in dicto Collegio, alios qui Grammaticæ, alios qui Dialecticæ, alios

qui Theologiæ studiis vacarent; alios denique quos Presbyteros esse voluit, qui rem divinam in Capella dicti Collegii facerent, horisque diurnis & nocturnis interessent, horas canonicas decantando; Grammaticos, Dialecticos & Theologos, post peractum studii sui cursum, ut in ipsorum locum novi semper succederent, bursa omnino relicta, a dicto Collegio abire & recedere statuit; Presbyteros vero, quos Capellanos vocant, perpetuos in dicta Domo esse voluit, quibus certum domicilium infra septa ejusdem assignavit, ut promptius & magis competenter Capellæ prædictæ deservire valerent, & divina Officia melius exercere: expresse statuens dicta Regina, quod si illi dictam Domum inhabitare nollent, & ad Missas diei & noctis continuam facere residentiam, ut decebit, bursis privarentur, quandiu Capellanos contingeret a Domo & Capella absentari. At cum virorum fide dignorum relatione acceperimus, quod nonnulli Doctores Theologi post adeptum Doctoratus gradum, cum deberent talentum sibi a Domino creditum foris & maxime in suis beneficiis secundum institutionem dictæ Reginæ fundatricis multiplicare, & ab agro dominico tollere zizania & malas herbas: media tamen seu occasiones quærunt obtinendi Capellanias prædictas prætextu perpetuitatis, ut perpetuam valeant in dicto Collegio mansionem facere, desidesque illic permanere contra fidei christianæ augmentum, animarum salutem & intentionem Reginæ fundatricis, quæ statuit, quod unus esset in prædicta Domo Magister in Theologia contra quem machinantur, & ab illius obedientia Bursarios subtrahere nituntur, & ad præfatas Capellanias aspirant, non ut prosint & Capellæ deserviant, sed contra dictæ fundatricis intentionem seu statutum, ut occasionem habeant & colorem occupandi domicilia seu cameras Capellanis deputatas, & illic desides permaneant in gravamen Presbyterorum Capellæ deservientium, quibus omnia emolumenta ex dictis Capellaniis provenientia cum domicilio afficiuntur, & inde multis modis divinum cultum in dicta Capella diminui contingit. Nos itaque honoris cultusque divini integritate & nostræ prædictæ Domus splendorem semper conservari desiderantes, habentes oculum ad intentionem illius inclitæ Reginæ fundatricis, quæ ad replendum orbem Christianum viris probis cavit & statuit, ut Theologi adepto gradu Domo exeant, ut pie credimus, mota affectione & studio augmenti rei Christianæ

& zelo salutis animarum, ut scilicet præfati Bursarii adepto gradu verbum Dei & in suis beneficiis & ubique terrarum prædicent. Propter prædictas causas & alias nos moventes statuimus, & per præsentes perpetuo edicto ordinamus, ne Doctor Theologus beneficiatus Capellaniam in dicta Domo in posterum obtineat; sed conformiter ad æquitatem & intentionem fundatricis ad beneficium seu beneficia sua se mox & indilate transferat. Quod si nullum habeat beneficium, & contingat ei de prædictarum Capellaniarum aliqua provideri, non gaudeat domicilio præfatæ Capellaniæ affecto, nisi in propria prædictæ Capellæ deserviat, & horis nocturnis & diurnis, ut ceteri Capellani tenentur, intersit, ac Magistro prædictæ nostræ Domus, suisque superioribus debitum honorem ut ceteri domestici impendat. Quod si post datam præsentium, importunis precibus, vel per inadvertentiam, nos aut Vicarii nostri quicunque fuerint collationem aliquam de prædictis Capellaniis in contrarium fecerimus, per præsentes eam exnunc & ipso facto irritamus, ac irritam haberi volumus. Et ut prædicta, firma & stabilia perpetuis temporibus permaneant, nostrum præsentibus literis fecimus apponi sigillum, salvo in ceteris jure nostro, & in omnibus quolibet alieno. Datum Parisius in mense Februario anno Domini MDXXI. *& regni nostri octavo.*

Ex hoc autem regio diplomate confecta est constitutio, quæ primariis Collegii constitutionibus adjicienda fuit. Sic se habet: *Item quia multi Theologi post adeptum Doctoratus gradum, cum deberent talentum sibi a Domino creditum foris & maxime in suis beneficiis multiplicare, & ab agro dominico tollere zizania & malas herbas: media tamen seu occasiones quærunt obtinendi Capellanias dicti Collegii prætextu perpetuitatis, ut perpetuam valeant in dicto Collegio mansionem facere, desidesque illic permanere contra fidei Christianæ augmentum, animarum salutem & intentionem dictæ fundatricis, & ad præfatas Capellanias aspirant, non ut prosint & Capellæ deserviant, sed contra dictæ fundatricis intentionem, ut occasionem habeant, & colorem occupandi domicilia seu cameras Capellanis deputatas, & illic desides permaneant in gravamen Presbyterorum Capellæ deservientium, quibus omnia emolumenta cum domicilio afficiuntur, & inde multis modis divinum cultum in dicta Capella diminui*

contingit. Nos itaque honoris cultusque divini integritatem & nostræ prædictæ Domus splendorem semper conservari desiderantes, habentes oculum ad intentionem illius inclitæ Reginæ fundatricis, quæ ad replendum orbem Christianum viris probis cavit & statuit, vt Theologi adepto gradu Domum exeant, & vt pie credimus, mota affectione & studio augmenti rei Christianæ & zelo salutis animarum, vt præfati Bursarii adepto gradu verbum Dei in suis beneficiis & vbique terrarum prædicent. Propter prædictas causas & alias nos moventes statuimus, & perpetuo edicto ordinamus, ne Doctor Theologus beneficiatus Capellaniam in dicta Domo in posterum obtineat, sed conformiter ad æquitatem & intentionem fundatricis ad beneficium seu beneficia sua se mox & indilate transferat. Quod si nullum habeat beneficium, & contingat ei de prædictarum Capellaniarum aliqua provideri, non gaudeat domicilio præfatæ Capellaniæ affecto, nisi in propria prædictæ Capellæ deserviat, & horis matutinis & diurnis, vt ceteri Capellani tenentur, intersit, ac Magistro prædictæ Domus suisque superioribus debitum honorem vt ceteri domestici impendat. Quod si post datam præsentium, importunis precibus vel per inadvertentiam nos vel Vicarii nostri quicunque fuerint, collationem aliquam de prædictis Capellaniis in contrarium fecerimus, eam nunc & ipso facto irritamus & irritum haberi volumus.

Constitutio hæc servatur hodieque; sed an a tempore Francisci I. servata semper fuerit, pronunciare non audeo; servatum tamen fuisse facile crediderim, cum nusquam defuerit, qui rerum suarum satagens sacerdotium seu beneficium jure caduci non petierit. Ad hæc constitutio tot munita est adjunctis & conditionibus, vt de ea violanda nemo vnquam cogitare potuerit aut voluerit.

Antequam regia hæc ederetur constitutio, Joannes Major Parisiensis e Navarra Theologus, tractavit quæstionem, quæ in eam quadrare sat potest. Adscribo verba illius ex Commentario in quartum sent. dist. XXIV. quæst. IX. *Dico istas bursas communes (Parisiis fundatas pro certis diœcesibus) non esse beneficia. Beneficium enim est aliquis reditus assignatus in titulum perpetuum pro Officio divino celebrando. Modo non est de ratione bursarum, quod sint perpetuæ. Nam quamprimum magisterium in Theologia assequuntur Bursarii in Navarra, suas bursas*

burfas amittunt, & aliis Studentibus cedunt. Similiter de Sorbona, poſt paucos habitos reditus burſæ vacant. Inſuper dantur intuitu inopiæ, vt homines literis potiſſimum vacent, poſtea in vinea Domini laboraturi: parum ad divinum Officium aſtringuntur, vt liberius literis vacent. Dixi de burſis communibus, quia Sacellani Navarrici poſſunt dici Beneficiati magis proprie, quam Burſarii. Hæc autem ſcholaris diſciplina ſervabatur in Navarræ & Sorbonæ Collegiis, quo tempore Franciſcus I. regebat Galliam, hodieque in Theologorum Navarræ ſodalitio conſtantiſſime ſervatur.

Tunc vel a Proviſore Sorbonæ, vel a Gubernatore Domus regiæ, nonnullis in Theologica Facultate ſtudentibus, qui ſpem magnam offerebant in eadem proficiendi, jus ſocietatis ſine burſa (cum impletus erat Burſariorum numerus) nonnunquam dabatur. Hi ſtudendo exſpectabant quouſque burſæ quædam vacarent; & cum burſæ vacabant, eas hac qualicunque anteoccupatione aſſequebantur. Qui vero habebant vnde inter conficiendum Theologiæ Curſum commode ſe ſuſtentarent, his burſæ neutiquam dabantur, ne iis qui burſis carere facile non poterant, fieret injuria, & quæ ſacra eſt fundatorum intentio, nefarie violaretur. Unde illud:

Sed legum eſt ſervanda fides ſupremaque voluntas,
Quod mandat fierique jubet, parere neceſſe eſt.

Nam de jure teſtamentorum agitur, quorum interit omnis poteſtas, ſi neglexerint imperia mortuorum, vt eleganter diſſerit Seneca in controverſia III.

Hoc anno Martinus B.lnenſis Navarræ Sodalis, ex Decano Turonenſi factus eſt Archiepiſcopus.

Anno MDXXII. XVI. Calend. Januarii electus eſt in Rectorem Nicolaus Truiartus, e Navarræ ſodalitio Theologorum. Inſequenti anno Jacobus Merlinus Ludovico Berquino, qui primus e Lutheranorum ſecta ſupplicium luit vltimum, opitulatus eſt, in tomo I. Hiſtoriæ Eccleſiarum Reformatarum.

Deinde eodem anno XV. Calend. Aprilis Robertus Bucchingius e Navarra, in Rectorem optatus eſt: quo Rectore Franciſcus I. Univerſitatem ab omni tributo immunem ac liberam eſſe decrevit.



CAPUT III.

E Navarrica Theologorum Societate Baccalaurei complures in Rectorem subinde eliguntur. Ludovicus Cardinalis Borbonius & illius frater dominus a Vindocino dictus, veniunt in Collegium, acturi cum de precibus ab Academia pro Rege captivo ad Deum fundendis, tum de quibusdam viris academicis ad Consilium, in quo publica Regni negotia tractanda erant, ablegandis. Francisci Rohani Lugdunensis Archiepiscopi legatum seu pia fundatio discutitur & admittitur. Quæ ad Parisiensem & Nannetensem Jacobi Merlini Parisiensis Pœnitentiarii captivitatem spectant, referuntur. Carolus Borbonius venit in Collegium literis operam daturus, cui abeunti fratres succedunt. Franciæ Regina & Imperator Lutetiam advenientes a Sodalibus academico nomine salutantur. Franciscus Picartus in exilium, a se tamen electum, mittitur; sed inde statim revertitur decernente Rege, cui fraudulenter obreptum fuerat. A Senatu reformatur Academia, ediciturque, ut in Navarræ Collegium fiant lectiones duæ de Scripturis sacris. De minuendo tempore Cursus Artium in utramque partem disputatur, ne in cujusquam gratiam Theologicæ Facultatis leges relaxentur. Facultas ipsa agit apud Regem, qui votis illius respondet.

ANNO MDXXIV. Ludovicus Tornacensis Episcopus in beati Ludovici festo solenne fecit Officium. In Collegio prandent hic Pontifex, Nicolaus Dorignius, In-

quisitionum Præses & Parisiensis Cancellarius, & Guillelmus Capellus Theologorum Decanus, qui concionem ad populum habuit. Tres Navarræ Socii Episcopus & Decanus in Theologorum, & Dorignius in Artistarum sodalitio educati.

Hoc anno evenerunt quæ ad commendationem Gymnasii nostri maxime pertinent, & quæ in Actis Gallicanæ Nationis ita narrantur : *Die Martii undecima convocata est Universitas apud sanctum Maturinum super tribus articulis per Decanum Facultatis Theologiæ eo tempore quo suffectus erat in Rectorem dominus Magister Petrus Lhuillier*, Navarræ Socius.

Primus super declaratione eorum, quæ dominus Cardinalis Borbonius dixerat in Collegio Navarræ, superioribus Facultatibus & Facultate Artium præsentibus, Decanus Facultatis Theologiæ cœpit recensere quæ ab eo audiverat. Illum scilicet habuisse orationem aiebat, in qua Universitatem magnifice & luculenter laudavit, ejusque alumnum se ejusdem & fautorem semper fore promisit. Quinimo si qua privilegia fuissent adempta, sese toto conamine, ut restituerentur, annixurum, imo & acturum pro viribus. Deinde quod admonuit, ut Universitas pro Rege ab hostibus detento ad Dominum preces effunderet, ut iis placatus labenti Regno succurreret, promittens se una cum fratre domino a Vindocino, si Deus auxilium non denegaret petitum, ita Regno & Ecclesiæ interea profuturos, ut non suæ, sed publicæ utilitati consulentibus, omnia quantum possunt in tempore, prospere succederent.

Secundus super electione duorum virorum ex Universitate & Natione, qui cum aliis a Senatu deputatis interessent Consiliis Regni nostri Gallici res concernentibus. Electus est a Natione dominus Provisor Collegii Navarræ Dominus Lassireus.

Anno eodem x. Calend. Maii *Ioannes Hestræus Parisiensis, e Societate Navarrica Theologus, ad Universitatis accessit comitia, supplicavitque ut admitteretur testamenti a Francisco Rohano Lugdunensi Archiepiscopo conditi clausula, qua libras mille legabat eidem Universitati.* Clausula sic se habet :

Item pource que j'ai esté nourri dans l'Université de Paris, & mesmement au College de Navarre, auquel j'ai estudié quatre ou cinq ans, en laquelle Université j'ai toûjours veu grande multi-

tude de notables personnes, & mesmement au College, je donne à l'Université mille livres tournois pour une fois paié, à la charge de faire un obit pour moy chacun an à perpetuité, qui se dira le jour S. François, qui est le 4. du mois d'Octobre, tant que je vivrai, & aprés mon trespas le jour de S. François sera comme au jour de mon decés : auquel Obit je veux que les Vigiles soient chantées, qui se diront le jour de devant à trois heures aprés midi, & le lendemain la Messe de Requiem à Diacre, Sousdiacre & Chappiers: lequel Obit je veux qu'il soit dit & celebré à perpetuité en la Chapelle du College de Navarre, en contemplation de la demourance que j'ai faite en icelui. Auquel Obit je desire & veux estre presens & assister tous les Maistres des trois Facultez de Theologie, Decret & Medecine.

Et pource que la Faculté des Arts de tout temps est plus peuplée sans comparaison, que les trois dessusdites, dont pourroit venir à confusion audit Obit, combien que je connois assez qu'il y a grande multitude de principaux des Colleges, grand nombre de Regens, & plusieurs autres notables personnes en la Faculté des Arts, lesquels je desirerois assister à l'Obit, si le revenu qu'on acquerra pour la somme, le pourroit porter : mais pour ce qu'il est clair que le revenu ne pourroit fournir à si grosse multitude d'assistans, je requiers les Maistres de la Faculté des Arts qu'ils se contentent, à ce que pour leur Faculté assistent les personnes qui s'ensuivent. Premierement Messieurs le Recteur, qui est le chef de l'Université & Suppost de la Faculté des Arts, les quatre Procureurs des Nations, les quatre Receveurs d'icelles, les cinq Doiens des cinq provinces de la Nation de France, le Receveur, Procureur & Scribe de l'Université, le Proviseur du College de Navarre, les Maistres & Sousmaistres des Artiens & Grammairiens d'icelui College.

Item les quatorze Bedeaux, dont il y en a huit de la Faculté des Arts, & six autres des trois autres Facultez, de chacune Faculté deux.

Item je veux qu'à chacun desdits assistans en chappe, comme on a de coustume és hautes Facultez, le Recteur, Procureur & autres assistans audit Obit, & au lieu de Navarre, soient distribuez à Vigiles dix deniers tournois, & à M. le Recteur au double, & à chacun d'eux dessusdits presens à la Messe soient distri-

buez vingt deniers tournois, & à M. le Recteur le double.

Item je veux que la Messe de Requiem *soit dite par le grand Maistre du College de Navarre, qui est toûjours Docteur en Theologie, lequel aura cinq sols tournois, outre les distributions qu'il aura comme Docteur.*

Item pource que l'Obit se celebrera en la Chapelle de Navarre, est convenable qu'iceux du College livrent luminaire & chappes, chantres, sonnerie & autres choses necessaires. Ie veux que pour les choses dessusdites soit baillé chacun an le jour S. Remi premier jour d'Octobre, au College de Navarre, ou au Proviseur pour le College, six livres tournois, pour livrer les choses dessusdites, sur laquelle somme se prendra ledit luminaire & ornemens, & le surplus se distribuëra à ceux qui auront chanté & celebré ledit Service ou Obit, à la discretion du grand Maistre & du Proviseur dudit College, qui choisiront pour faire ledit Service tels gens que bon leur semblera, & leur distribueront ainsi qu'ils verront pour le mieux. Et où l'Université faudroit à entretenir perpetuellement ladite fondation, faudra qu'ils en baillent seureté par lettres, que sur ce passeront pardevant deux Notaires Roiaux, lorsqu'on leur délivrera ladite somme de mille livres tournois.

Academia legatum hoc gratum minime habuit initio; sed progressu temporis postquam variis in Comitiis disceptata est controversia, desierunt Facultates omnes illud repudiare, & tandem VII. Calend. Augusti sponte acceperunt.

Anno MDXXV. Martialis Masurerius Sodalis Navarricus, qui beneficium in Meldensi diœcesi possidebat Ecclesiasticum, in novæ doctrinæ suspicionem venit. Adversarii erant Meldenses Franciscani, a quibus accusabatur. Pridie Calend. Decembris in monasterio sancti Martini de Campis carceri mancipatur, vt Acta Parisiensis Ecclesiæ testantur; sed non multo post vbi quid sibi volebat, exposuit, liber evasit. Suspecto tempore suspecta videntur omnia, & potissimum apud eos qui parum in Scripturis & antiquis Ecclesiæ traditionibus exercitati sunt, & recentibus institutis vetera metiuntur.

Anno eodem Idibus Junii memoriæ proditum est in Parisiensis Senatus commentariis, Franciscum I. Regem duas

burſas Theologicas, duobus ex Ordine Minorum Sodalibus contuliſſe; ſed ne eas obtinerent, apud Senatum Regis ipſius Confeſſarium intercesſiſſe. Sic autem ſe habet intercesſio: *Ce jour l'Eveſque de Troie Confeſſeur du Roy, eſt venu en la Cour de ceans, qui a dit qu'il eſt arrivé en cette Ville deux Cordeliers, l'vn François, l'autre Eſpagnol, auſquels le Roy eſtant à Piqueton, a donné deux bourſes Theologales du College de Navarre, & luy a ledit Seigneur écrit, qu'il ait à les mettre en poſſeſſion deſdites bourſes & les en faire joüir, qui eſt vne choſe qui ne fut jamais veue, & directement contre la fondation dudit College, intention & vouloir de la fondatrice, & croit qu'il l'a plus fait par importunité des requerans, veu la captivité où il eſt, qu'autrement: au moien de quoy il n'a voulu obtemperer auſdites lettres, ſans premier en advertir Madame mere du Roy, Regente en France, & auſſi envoier les lettres de la fondation dudit College, afin qu'il luy plaiſe en ordonner à ſon bon plaiſir, & regarder ladite fondation. Mais leſdits Cordeliers le preſſerent fort, diſant qu'ils n'ont aucune choſe de quoy vivre, & demandent qu'en attendant la réponſe de ladite Dame, on leur fourniſſe argent pour vivre, & ſupplient la Cour d'y pourvoir, & ordonner argent eſtre baillé auſdits Cordeliers. Car ledit Cordelier Eſpagnol parle à cheval, & dit que ſi on ne le met en poſſeſſion du don à luy fait par le Roy, qu'il s'en retournera devers ledit Seigneur, & en fera plainte. A quoy Maiſtre Charles Haillart luy a fait réponſe, qu'il n'eſt queſtion que de la nourriture deſdits Cordeliers, en attendant la réponſe de ladite Dame, & que les lettres dudit Seigneur s'adreſſent audit Eveſque de Troie qui en a la charge, & qu'il les doit nourrir & entretenir, & en ce faiſant, qu'il fera ſon devoir.* Minorum par nobile burſarum genus id non quærebat, vt vacaret Theologiæ, ſed vt genio indulgeret. Neſciebant Minores iſti quam frugi adoleſcentem oportet eum eſſe, cui burſa in Theologorum ſodalitio confertur. Sufferre non potuiſſent exemplum temperantiæ, quod Joannes Benedictus, Joannes Gagnæus, Franciſcus Picartus, Burſariique reliqui tunc illis dediſſent: burſis libenti prolixoque animo tunc dixiſſent vale.

Anno eodem IV. Nonas Maii Joannes Faverellus e regia Domo, cum eſſet Rector, *queſtus eſt de Scriba Univerſitatis*,

quod litem sibi faceret in Curia, idque indigne, quandiu Rectoris officio defungeretur. Ab Universitate decretum fuit, vt abstineret Scriba Rectorem lacessere, donec in Universitate causa examinata fuerit.

Anno eodem VI. Idus Octobris Joannes Bertutus ex eadem Domo Baccalaureus, Universitatis Rector creatus est. Deinde III. Calend. Novembris vocatus est, invitatusque Rector ab vrbis Præfecto, vt iret communicaturus Consilium super pace cum Anglo facienda. Præfecti literæ sunt hujusmodi: *Plaise à M. le Recteur de l'Université de Paris de venir Lundi prochain à deux heures de relevée en l'Hostel de Ville, & amener avec luy tel nombre de Docteurs qu'il luy plaira, pour assister à l'assemblée qu'on y fait, & donner leur avis & opinions sur la réponse à faire aux lettres de Madame la Regente, touchant le traité de paix avec les Anglois, preparatif de la délivrance du Roy. Fait à l'Hostel de Ville le 28. jour d'Octobre.* Ex deliberationibus conclusit Rector, *quod non adibit in propria Domum de vrbe, nisi Capitulum Parisiense mitteret, & tunc Universitas convocaretur: nihilominus interim rogentur DD. Godequin & Provisor Navarræ, qui excusabunt Universitatem, & petent inducias ad convocandum Universitatem ad deliberandum super iis.* Hic Navarræ Provisor appellatur Ludovicus Lassereus, exaggeratæ vir sapientiæ.

Hoc anno Jacobus Merlinus Parisiensis Canonicus, factus est Pœnitentiarius x. Calend. Novembris, qui & postea Francisci Parisiensis Episcopi Vicarius generalis fuit & Archipresbyter parochialis Ecclesiæ quæ sanctæ Magdalenæ consecratur.

Anno MDXXVI. Joannes Gagnæus, etiamsi nondum esset Baccalaureus, jam splendere cœperat in Academia, cum in actis Procuratoris Stephani de Minorivilla vocetur *meritissimus regalis Collegii Navarræ Bursarius.*

Anno eodem Guillelmus Capellus, cujus antea mentionem fecimus, ab Academia lectus est, qui jucundum reditum Francisco Regi gratularetur.

Anno MDXXVII. Dominicus Cerarius, qui parochiæ de Bellomonte ad OEsiam Curio erat, ad Facultatis Theologicæ Decanatum pervenit. Is Parisiensis e Navarra renuntia-

tus Magister in Theologia fuerat anno MDIII.

Hoc anno consignantur, quæ de Jacobo Merlino traduntur in ms. quodam Cœnobii sancti Victoris Parisiensis Diario: *Le Samedi onziéme Avril 1527. par le commandement du Roy estant à S. Germain en Laie, Merlin Penitencier de Paris fut mis prisonnier au Louvre, lequel, comme on dit, n'avoit pas voulu estre de consentement, qu'on s'obligeast aux Anglois pour quelque dew, comme ils vouloient, sous vn nisi, qui fut vne chose assez étrange à oüir. Le Lundi 12. Avril l'an 1529. fut mis hors la garde des Huissiers du Parlement M. Merlin Penitencier, auquel il fut enjoint par Sentence d'aller demeurer l'espace d'vn an à Nantes.* Res hæc narratur distinctius in commentariis Parisiensis Ecclesiæ: *Iacobus Merlinus inter 9. & 17. Aprilis, quia nimis ardenter & pie concionatus fuerat adversus occultos hæreticos, hæreticorumque fautores, captivus factus est in castro Luparæ, ibique mansit vsque ad annum 1529. quo circa 12. Aprilis liberatur, postulantibus Canonicis Parisiensibus, & relegatur Nannetes ad certum tempus ex ordinatione Commissariorum Regis. Hic tam tempore captivitatis suæ, quam exilii, distributiones Ecclesiæ Parisiensis percepit. Capitulum Parisiense dat illi literas commendatitias ad Capitulum Nannetense, & 10. Iunii anno 1530. rediit.*

In Academiæ comitiis, quæ hoc anno ad diem XXIX. Aprilis habita sunt: *Vno omnium consensu decretum est, Facultatem Theologiæ daturam esse oratorem virum opere & sermone potentem ad regiam majestatem pro redemptione captivorum, inter quos annumerabatur vir moribus & doctrina præditus, meritissimus Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarius D. & M. noster Merlin. Quod si dicta Theologorum Facultas nollet exhibere oratorem, rogabat tota Vniversitas dignissimi domini Rectoris masculum animum, quatenus habeat oratoris munus suscipere. Verum id oneris suscepit M. de Molendino Doctor Theologus, sacræ Capellæ Cantor.* Hæc Gallicanæ Nationis Procurator in Actis publicis.

Hoc anno IV. Calend. Junii Nicolaus Gombaldus, qui Submagister erat Artistarum Navarræ, Rectoris munus accepit.

Anno MDXXVIII. Carolus Borbonius venit in Collegium,

gium, ædesque sub vlmis sitas incolit VIII. Idus Augusti. Quadriennio post discedit ad IV. Nonas Sextiles. In illius locum succedunt fratres numero tres, Abel, Joannes, & Nicolaus Reillaci, quorum primus Abbas erat monasterii sancti Joannis Angeliaci. Hæc in Actis Collegii.

Anno MDXXX. cum Petrus Lorgelius Gallicanæ Nationis Procurator esset, monimentis consignavit suis, quomodo Nicolaus Bochartus Reginam contentione summa & pari eloquentia salutavit Academiæ nomine. Verba sunt: *Universitatis legationem, principe illius legationis Rectore, obivimus apud Reginam in castro Luparæ, oratoremque habuimus in eloquentia clarissimum & in Theologia Professorem eminentissimum, Nicolaum Bochartum, cujus oratio partim e sacris literis, partim e profanis historiis & annalibus non illepide locupletata erat. Tota autem miro ingenio & excellenti artificio elaborata fidelissimeque tradita memoriæ, & tanta Reginæ Principumque & totius coronæ aulicæ circunstantis admiratione pronunciata & favore & gratia, vt nemo majori vnquam potuerit, vt plane dicas in illius labiis & lingua flexanimam illam Suadam sessitasse, quæ auditorum mentes atque animos quocunque flectat. Cumque perorasset Bochartus, voluit Regina vt responderet quidam e primo ordine aulicorum suorum.* Hæc de Bocharto, qui ad annum MDXVII. Magister in Theologia designatus fuerat.

Anno eodem interfuerunt prandio quod paratum est in festo beati Ludovici, Ludovicus Carnotensis Episcopus, qui fecit officium, & illius frater Andreas Guillart Consiliarius Parlamenti, dominus Decanus Facultatis: Magister Deu orationem habuit Latinam mane. Hæc Acta Collegii.

Anno MDXXXI. VI. Idus Octobris creatus est Rector Joannes Gagnæus, *vir*, vt in Actis Gallicanæ Nationis legitur, *omnibus & animi & corporis dotibus absolutus.* Eo Rectore celebratum est funus Ludovicæ Sabaudicæ, matris Francisci I. ad XV. Calend. Novembris, observatusque ordo his in exequiis, qui solebat observari.

Anno eodem Claudius Maillius, qui ab anno MDXXVI. Sodalis erat Navarricus, cum Rector Universitatis esset, sic in Commentariis Facultatis Theologicæ de magna Or-

dinaria respondisse legitur : *Claudius de Mailly Rector Universitatis, filius primi Ostiarii Curiæ Parlamenti, de magna Ordinaria* XVII. *Novembris respondit more solito. Induit cappam rectoralem usque ad portam Scholarum, deinde deposuit, & induit cappam Baccalarii, & intravit Scholas, & sedit in primo scamno, & quæstione proposita ivit ad scamnum* II. *&c. In suo prandio sequenti non fuit præsens, nisi in gratiis.*

Anno MDXXXII. VI. Idus Octobris optatus est in Rectorem Joannes Morinus, qui tum erat Submagister Artistarum Navarrici Collegii.

Anno MDXXXIII. Franciscus Picartus, cum adhuc esset Baccalaureus, contra Lutheranos occultos in Quadragesima prædicavit, & illorum insidiis in exilium missus est, vt manuscriptum quoddam cœnobii sancti Victoris Diarium testatur. Sed res aliter narratur in Actis Facultatis Medicinæ Paris. ad vicesimum primum diem Novembris : *Quod ad secundum articulum supplicavit quidam Doctor Theologus, cognomento Luillier, vt mitterentur oratores ad Regem nomine & expensis totius Universitatis, pro liberatione Natalis Bedæ & Nicolai Clerici, Doctorum Theologorum, qui tunc de mandato Regis detinebantur captivi in carceribus D. Parisiensis Episcopi, & cujusdam etiam licentiandi Theologi, cognomento Picard.* (scribendum fuit *Picart*) *Ad hanc supplicationem respondit Facultas una cum aliis Facultatibus, rem maturo consilio tractandam esse, neque ita præcipitanter Regem pro hujusmodi negotio adeundum esse, ne oleum adderemus camino, & moveremus camarinam. Parata tamen fuit Facultas omnem favorem & quod posset auxilium illis impertiri, data occasione. Clerici & Picard liberati sunt post aliquot dies, sed Beda missus est in exilium.*

Prætermittenda non est laus illa quam Theodorus Beza seu auctor quivis Historiæ Ecclesiarum Reformatarum, ad hunc annum Picarto tribuit. *Ceux de Sorbonne,* (id est, *ceux de la Faculté de Theologie*) *& notamment Beda, & un nommé Picart Parisien, jeune homme pour lors, mais d'un esprit tempestatif, s'il y en eut jamais, & qui depuis a esté tenu pour un des principaux pilliers de l'Eglise Romaine, furent interdits de la chaire.* Vituperari ab inimicis hujusmodi, in summa laude ponendum est; & sane vix ullum fieri potest elogium majus eo, in

quo vel ipsi consentiunt adversarii, Franciscum Picartum vnam e columnis Ecclesiæ Romanæ præcipuis fuisse.

Anno eodem x. Calend. Maii Matthæo Pavioto Rectore, qui tum erat Navarræ Baccalaureus, habita sunt comitia, vbi & Regis & Legati Apostolici literæ ad Universitatis emendationem pertinentes lectæ fuerunt: sed totum emendationis negotium Guillelmo Silvanectensium Episcopo & Regi a Confessionibus commissum est III. Calend. Maii. Qua de re sic Acta Germanicæ Nationis: *Habita sunt comitia in æde Maturinorum, vt audirentur quædam literæ regiæ, necnon a domino Legato Galliæ mandatum aliquod, quibus pium suum ac paternum affectum erga rempublicam literariam significarent, dolentes supra modum ob abusus quosdam, quos passim fieri audiebant, quibus ne incrementum, aut serpendi major locus daretur. Omne negotium colendissimo Episcopo Silvanectensi & regio Confessori crediderunt, eumque delegerunt, qui suffragia & deliberationes Facultatum & Nationum exciperent; parendumque esset Regi Christianissimo per eum abusus hujusmodi e medio tollere &, vt dicunt, reformare volenti. Aderant & viri Consulares harum deliberationum spectatores, qui in re tam pia dicto non audientes, lenire ac comprimere pro suo jure potuissent. Horum singulis gratias agentes omnium nationum nomine retulit vir spectatæ gravitatis & eloquentiæ Matthæus Paviot, Rector Universitatis dignissimus, & imprimis fidei regiæ & sinceritatis, qui tum suæ virtutis insignem & sui nominis defensorem acerrimum præstare sese videatur, quique daret operariis, vt quod audiret, esset; hoc est, in re Christiana Christianissimus.* Hoc elogium ei prorsus convenit, quem regia Schola jampridem aluerat.

Anno MDXXXIV. Franciscus Picartus, postquam in Theologica Facultate magisterii Lauream accepit, disseminari per vrbem in dies nova Lutheri dogmata conspexit: adversus latentes Lutheranos & eorum fautores concionari vehementius quam antea cœpit. Exinde in odium adversariorum & invidiam venit gravissimam, & veluti seditionis incentor ad Regem delatus est. Rex alioquin optimus, & in antiquam Ecclesiæ doctrinam bene affectus, specie recti decipitur, & aulicorum quorundam Luthero clam patroci-

nantium insidiis circumventus statuit, vt Picartus in eum qui tunc dicebatur, sancti Maglorii carcerem contruderetur. Sine mora contrusus est, occupatis & comprehensis illius libris & codicibus, qui in ejus cubiculo apud regiam Navarram reperti sunt. Doctor in custodia detentus ea fruebatur libertate, quæ sufficeret ad vacandum iis in epistolas B. Pauli prælectionibus, queis vacabat in Navarræ Collegio. Præterea crebras ad populum conciones habebat, quibus ille ad retinendum pietatem antiquam excitabatur; sed nimia auditorum copia & injecta ab hostibus factionis suspicio effecerunt, vt omnis ad audiendum talem Magistrum aditus interclusus fuerit.

Deinde quia difficile admodum erat, ne a pluribus inviseretur, impedire, de eo extra vrbem relegando actum est. Captivo proponitur, vt in quem vellet locum, modo ab vrbe leucis triginta distaret, sese recipere, seligeret. Durocortorum Remorum, vbi plures habebat consanguineos, selegit. Ex ea nobili procreatus erat familia, quæ per cognatos & affines suos multis in locis sese extendebat. Non mediocre commentarium vix ei sufficeret, qui de enumerandis Picartorum necessitudinibus & cognationibus vniversis cogitationem susciperet. Externa quærenda non sunt ornamenta, postquam tantus est in Doctore nostro splendor virtutum omnium, quæ statim atque in vrbem exilii sui se contulit, civibus illuxerunt, & dies lætiores importarunt. Interim Joannes Picartus Villeronis & Attilii dominus, adeo celebrati publice & privatim exulis parens, & affines omnem opem atque operam impendunt, vt illius innocentiam Francisco I. Regi probent, & intextas in viri optimi perniciem fraudes adversariorum detegant & dispellant. Operosum haud fuit prudentissimo Regi latentium dogmatistarum iniquitatem persuadere, & eum in eam adducere sententiam, vt Franciscum Picartum redire ab exilio permitteret. Permisit, & ea permisit ratione, qua quod putabatur exilium, libertas & insignis potius commendatio viderentur. Id omnino testantur literæ, quas ærarii Tribunus ad Joannem Picartum scribit hoc modo:

Monsieur d'Attily, je me recommande de bon cœur à vous,

& vous avise, que j'ai receu vos lettres du 19. de ce mois, qui me furent baillées le jour de Noël en ce lieu de Pagny environ à huit heures du soir; & au precedent trois ou quatre jours fut fait une dépesche à Monsieur le Docteur vostre fils, par laquelle le Roy luy mande retourner à Paris faire ses predications, ainsi qu'il a accoustumé. Ce qui est venu bien à propos & du propre motif du Roy, par le moien que je vous conterai si-tost que je serai avec vous, qui sera en bref, si Dieu plaist, & au grand honneur de vostre fils. Ce voiant, je n'ai voulu presenter la requeste que m'avez envoiée pour vostre fils. Bien ai-je au long communiqué de l'affaire d'iceluy avec Monseigneur le Cardinal le Veneur, qui est de vos amis, & avons avisé luy & moy de ce qui estoit de faire. J'espere que de cette heure aurez entendu nouvelles de sa délivrance, & qu'il est reintegré en sa premiere liberté. Je vous asseure, que là où je vous pourrai aider de quelques moiens & pouvoir que je puisse avoir, vous ne me tiendrez moins dégousté de vous faire service & à vostre fils, que si c'étoit pour moy-mesme de mon propre affaire; & davantage je veux vivre & mourir au plaisir de Dieu, en vray & bon Chrestien. Plus rien aurez à present, sinon que je le prie vous donner, Monsieur d'Attily, en santé longue vie. De Pagny ce 26. jour de Decembre. Vostre bien humble frere & serviteur,

Preudhomme.

Sic Doctorem nostrum non dedecorat, sed honestat exilium. Hoc infelicitatis genus feliciorem eum reddit, neque dicendus est per adversa venisse ad prospera, cum id quod aliquando nominatum est exilium, beneficii instar haberi debet.

Verumenimvero agendi modus ille, quem Rex erga Doctorem tenuit, mihi videtur obruere quidquid in Regem de impenso novis dogmatistis favore, inconsultis nonnullorum scriptionibus congestum est. His in literis dum Rex penitus inspicitur, uti certe inspiciendus est, id statim occurrit, quo nihil est ad omnis calumniæ liberationem & vacuitatem accommodatius.

Porro autem si bene spectentur omnia & singula, quæ de Picarto ante disseruimus, Doctor noster gloriosus iit in exilium, & ab exilio rediit gloriosior. Ut itus, sic & redi-

tus in magna laude ponendus est, & memoriam insuper postulat sempiternam. De reditu viri academici, Senatus, magnates, populus sibi inter sese, quasi ipsimet reversi essent ab exilio, vicissim gratulantur. Quot & quantas gratulationes a singulis accepit, nemo dicendo exequi potest. Verbo dicam, Parisiensis ipsa civitas in alacritatem & lætitiam effusa est vniversa: quos vir bonus hostes sustinuit, ii expalluerunt omnes.

Reversus igitur Rege volente, suas apud regale Collegium in epistolas beati Pauli prælectiones repetiit, & continuavit. Solitas ad populum conciones habuit, quibus cum contineret in antiquæ religionis officio, & exortarum de Catholica fide novitatum horrorem fugamque persuaderet. Id successu vero haud caruisse nos docet Joannes Calvinus ipse, dum in libro de Scandalis Doctori nostro sic petulanter maledicit: *Picartus Doctor Parisiensis, turbulenti quidam cerebri homo, adeoque fanaticus, tantæ est inter suos existimationis, vt pro certis oraculis habeantur omnes ejus næniæ, dum more suo pro suggestu bacchatur.* Dum Calvinus Picartum vituperat, laudandum; cum execratur, venerandum exhibet. Huc spectant quæ Renatus Benedictus Parisiensis e Navarra Theologus seorsum a Calvini maledictis scribit in sua ad Parisiensem populum epistola, quam codici sacrarum Picarti concionum præfixit: *Aime,* inquit ille, *revere & lis diligemment, Paris, les saints œuvres de celuy qui t'a rendu constante en la Foy & Religion Chrestienne au temps que tu sçais bien, & ainsi a esté cause de te conserver & rendre glorieuse. Aime & retien, Paris, les œuvres de celuy, lequel t'a par avanture autant aidée au temps de ta necessité, que firent Onias & Ieremias, les Iuifs combattant contre Nicanor.*

Anno MDXXXIV. Hugo Lespreverius e Navarra Baccalaureus, in Rectorem Universitatis electus est VI. Idus Octobris.

Anno MDXXXV. Joannes Balua & Robertus Buchignius a Facultate Theologiæ pridie Calend. Augusti mittuntur ad Regem, postulaturi, vt disputationem cum hæreticis verbo tenus non instituant, cum aliis de causis, tum maxime quia res est inutilis.

Anno eodem Senatus Parisiensis edixit, vt ordinariæ lectiones in Theologia fierent quatuor; sed quibus in locis & quibus horis & quibus de rebus, edictum Senatus ita declarat XVI. Calend. Februarii.

Ladite Cour a ordonné & ordonne par provision, & jusques à ce qu'autrement en sera ordonné, comme dit est, que doresnavant, outre les lectures qui ont accoustumé estre faites és Convens des Mandians & en aucuns Colleges de l'Université de Paris, il y aura quatre lectures ordinaires du vieil & du nouveau Testament, tous les jours depuis le lendemain de la saint Martin jusques au dernier jour d'Aoust, excepté les jours de Dimanches & Festes solennelles, & ceux ésquels il y aura Tentative, Sorbonne, grande ou petite Ordinaire, Vesperie ou Maistrise, ésquels jours n'y aura aucune lecture, afin que les Docteurs regens en ladite Faculté puissent librement assister ausdits Actes.

Deux desquelles lectures seront faites le matin au College de Navarre, & en commencera la premiere à sept heures jusques à huit, & la seconde depuis huit heures jusques à neuf; & l'apresdisnée autres deux lectures ordinaires au College de Sorbonne depuis vne heure aprés midi jusques à trois heures.

Pour faire lesdites lectures, ladite Faculté de Theologie sera tenuë de presenter chacune année le quatriéme jour de Novembre tel nombre desdits Docteurs, tant seculiers que reguliers, & pour tel temps qu'elle veut estre expedient & vtile. Et pour choisir & élire & deputer lesdits Lecteurs en ladite Faculté, s'assembleront en la maniere accoustumée le quatriéme jour de Novembre, & jureront tous lesdits Docteurs en icelle entre les mains du Doien, d'élire & deputer pour faire lesdites quatre lectures, ceux d'entre eux qu'ils connoistront les plus suffisans, capables & plus vtiles pour les Ecoliers. Et seront tenus lesdits nommez & deputez accepter ladite charge, sur peine d'estre privez des privileges octroyez aux Supposts de ladite Université par le Roy, & d'autre amende arbitraire à la discretion de ladite Cour: & lesquels nommez & deputez par ladite Faculté feront chacun jour lesdites lectures ésdits lieux & heures dessus declarées, ainsi que leur sera ordonné par ladite Faculté.

Et prendra ladite Faculté vne cloche au Convent des Iacobins

de cette ville de Paris, ou aux Maturins, où ils ont accoustumé eux s'assembler, pour sonner à chacune heure qu'il conviendra aller à la lecture. Et sera la premiere lecture du matin, des Epistres des Apostres, en commençant à celles de saint Paul, en continuant jusques à la fin, en y comprenant l'Apocalypse; & la deuxiéme, de l'un des Prophetes, ainsi qu'il sera avisé par ladite Faculté. Et la premiere des deux leçons d'apresdisnée sera des Evangiles, & continuant jusques à la fin desdites Evangiles; & la deuxiéme, de l'un des livres du Pentateuque ou des Agiographes, ainsi qu'il sera avisé par ladite Faculté. Et seront lesdites lectures faites avec apparat, interpretation ou expositions des saints Docteurs anciens approuvez par l'Eglise, & des autres Docteurs modernes receus & approuvez en l'Ecole de Theologie.

Hæc Senatus decrevit convenienter quærimoniæ quam Facultas Artium Claudio Maillio Rectore, Sodali Navarrico, de prava docendæ Theologiæ methodo habuerat anno MDXXX. Quærimonia sic in Acta publica refertur: *Anno Domini 1530. mense Augusto, pretermitto a dignissimo domino primo Præside Senatus Parisiensis ex unaquaque Facultate deputatos convocatos fuisse, ut prudentibus fidisque consiliis toti Academiæ prospicerent, in qua tranquillissime bonarum literarum studia, nonnullis tamen tumultibus agitata florescerent. Nam dum nescio quo fatali tumultu sursum deorsumque omnia illius judicio miscerentur, sive Christianæ religionis statum inspiceret, sive rerumpublicarum conditionem reputaret, sive studiorum ac literarum rationem intueretur, nonnullas obversantes nugas summa fide, mira diligentia, parique dexteritate ex Regis decreto reformare statuit. Qua ex re cum a nonnullis Theologis peterentur reformationes Facultatis Artium, ita & certe scripto obtulerunt deputati Facultatis Artium eidem domino primo Præsidi nostram hanc Academiam Parisiensem ludibrio hactenus exteris nationibus fuisse, non aliam ob causam, quam quod omissis Evangeliis & sanctis Ecclesiæ Doctoribus, Cypriano, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, & similibus, Sophisticen nescio quam ac Dialecticen, in qua non placuit Deo salvare suum populum, nostrates tamen Theologi profiterentur contra id quod habetur in cap.* Nonne, *& per totam 37. distinctionem. Itaque petierunt deputati Facultatis Artium, ut præteritis emendatis, dum nimia socordia uni-*

vniversum linguarum judicium neglexissent, nullus in futurum ad hunc gradum Facultatis Theologiæ admitteretur, nisi omnibus his doctrinæ generibus affatim instructus esset, juxta Clement. I. De Magistr. *& in C.* Ut veterum. Hæc jampridem retulimus in libro de varia Aristotelis fortuna.

Anno eodem IX. Calend. Aprilis electus est in Rectorem Leo Albertus, Sodalis Navarricus.

Anno MDXXXVI. certa quædam de campanæ pulsu difficultas mota est, vt colligitur ex Facultatis Theologicæ commentariis, quæ sic se habent: *Ad interrogationem Præsidis Curiæ respondit Decanus, quod ab antiquo est campana apud Prædicatores, quæ solita est ab antiquo pulsari pro omnibus Actibus Theologicis; & ad hoc tenentur Fratres Prædicatores ratione loci, in quo eorum Conventus est ædificatus: sed hoc recusavit facere Prior Prædicatorum. Tuncque deliberatum est, quod cum sint campanæ in Collegio Sorbonæ & in Collegio Navarræ, vbi fiunt ipsæ lectiones, quod bonum esset, quod hujusmodi campanæ pro lectionibus pulsarentur: conclusumque fuit, quod ex parte Facultatis supplicaretur dominis & Magistris Collegiorum Navarræ & Sorbonæ, quod consentirent campanas pro lectionibus hujusmodi pulsari.*

Hoc anno e Navarra lecti sunt Antonius Cognetus & Matthæus Paviotus, qui definitum a Senatu pensum accurarent. Hoc quoque anno Collegii porta major instauratur. In ea loculamenta conduntur duo; in altero Philippi Pulcri Regis, in altero Joannæ Reginæ statua collocatur. Priori statuæ subjicitur hæc inscriptio; *Philippus Pulcher;* posteriori, *Ioanna Franciæ & Navarræ Regina, Campaniæ Briæque Comes Palatina, has ædes fundavit* 1304. Inter statuam vtramque lapidi inscribuntur hi versus:

Dextra potens, lex æqua, fides, tria lilia Regum
Francorum, Christo Principe, ad astra ferent.

Anno MDXXXVII. hæc quæ ad Collegium spectant, in Actis publicis scripta reperiuntur: *Die* 23. *Iunii electus est in Rectorem M. Nicolaus de Bris, e Collegio Navarræo, qui inter cetera supplicationem indixit solennem & extraordinariam ad ædem Sangenovefianam pro Regis, Reginæ Delphinique salute peregre ad propulsandos hostes proficiscentium. Præcesserunt autem*

200. *pueri electi & eleganter vestiti, cereosque singuli ardentes manibus gestaverunt.*

Rectore Brisio, Cancellarius Franciæ a Theologiæ Facultate petiit, vt Dominicanus quidam supra consuetum numerum in Baccalaureum admitteretur. Quid autem Facultas ea super re fecerit, in illius Actis ita memoriæ traditum est: *Anno Domini 1537. die 20. Augusti congregata Facultate apud Collegium sancti Bernardi post Missam, comparuit quidam honestus nuncius missus a domino Cancellario, vt dicebat, qui præsentavit aliquas literas, super quas requirebat prædictus dominus Cancellarius recipi de gratia speciali quendam Religiosum de Ordine Prædicatorum, vocatum Augustinum de Rieux. Quibus dictis & auditis in facie Facultatis, imprimis habuit Facultas gratias prædicto domino Cancellario de communicatione suarum literarum: tamen post deliberationem dictum fuit, quod prædicta Facultas scriberet ad dominum prædictum Cancellarium per quendam de Magistris nostris, qui ei exponeret inconvenientia, quæ possunt oriri propter multitudinem illorum Baccalariorum, & hoc cum humilitate & reverentia.*

Theologicæ Facultatis literæ sunt hujusmodi: *Quas ad nos dedisti literas, illustrissime Cancellarie, hodie sub auroram recepimus. Et eo quidem perlegimus affectu, quo esse solent veri in patronum clientuli, vt quidquid posthac obsequii, benevolentiæ, officii, denique quidquid in nobis situm fuerit, id omnino in tuam gratiam præstituros bona fide atque adeo bono animo pollicemur, quod ex legato ad te nostro harumque literarum tabellario facile agnosces: cui siquam, quæ tua est humanitas, fidem habueris, supplicique precationi, quam nostro nomine est peracturus, annueris, rem profecto nobis non tam gratam quam quod gratissimum, facies, nostroque ordini, vt non parum vtilem, ita communi Sodalium paci ac concordiæ consulturam. Quæ res nos tibi, etsi hactenus satis devinctos, magis tamen ac magis vel hoc tuo amoris officio posthac demerebitur, nostrumque vnumquemque pro sua quisque virili ad preces erga Deum pro felici tuo successu fundendas alacrius exstimulabit. Bene vale Parisiis ex nostro consessu generali apud sanctum Bernardum a sacro peracto 20. Augusti.*

Facultas, vt apparet disciplinæ suæ tenacissima eo non

ſtetit; ſed inſuper ne deinceps a magnatibus importune rogaretur, vt Mendicantes extra ordinem & numerum in ſuam Societatem admitteret, a Rege flagitavit literas, quibus id facere prohiberetur. Rex præſtitit quod Facultas expetiit, & literas Joanni Hennuierio Sodali Navarrico, qui Delphinorum erat ab Scholis & prælectionibus, Facultati perferendas dedit. Sunt autem ejuſmodi:

DE PAR LE ROY,

Tres-chers & bien-amez, parce que par nos Statuts & Ordonnances eſt limité le nombre des Religieux Mendians qui ſe paſſent Docteurs de la Faculté de Theologie en noſtre Univerſité de Paris; c'eſt à ſçavoir, pour les freres Mineurs, Carmes & Auguſtins, au nombre de deux; & pour les Freres Preſcheurs, au nombre de quatre, en chaque Licence; & que neantmoins avons eſté advertis, que pluſieurs Religieux deſdits Mendians ſe ſont efforcez par cy-devant, par importunité & requeſtes de pluſieurs autres de noſtre Roiaume, entrer, outre ledit nombre, au Corps de ladite Faculté: A cette cauſe, & pource que nous voulons & deſirons ſingulierement garder & entretenir noſdits Statuts & Ordonnances, vous mandons que doreſnavant n'aiez à recevoir, outre ledit nombre, aucun deſdits Mendians audit Corps, ſans avoir lettres expreſſes de nous à cette fin; & en ce faiſant, nous ferez plaiſir & ſervice tres-agreable. Donné à Nogent ſur Seine le 26. jour de Mars 1538. Signé, François. & infra, Gayard.

Hæc in tomo VI. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, quæ noſtro tempore vix cognoſcuntur. Rex & Facultas non poſſunt non ſatis laudari, quod ad cuſtodiam legum ſuarum tanta cum cura & ſtudio advigilaverint. Intelligebant viri prudentes, nec dignitatem, nec antiquam exiſtimationem Facultatis ejuſdem ſine diligenti legum obſervatione retineri poſſe: neglectis quippe legibus, neceſſaria eſt poſtea reformatio; cuſtoditis, ſuperflua.

Anno eodem IV. Calend. Januarias electus in Rectorem Petrus Valla, qui tum erat e Navarra Baccalaureus. Sic certos quoſdam Senatores, qui electioni interfuerant, affatur: *Liberales diſciplinas, quas Artes vocant, ex-*

Græcia primum, imo ex ipsis Athenis fuisse in Gallias Caroli Magni quondam hujus Francorum Regni incliti Regis tempore adscitas, Parisiisque collocatas, quo in loco hucusque florenti Academia quanta auctoritate, gloria, disciplina pariter & diligentia ac decore floruerint, quantosque fœtus aluerint, foverintque, nemo est qui ignoret, utpote quæ Artium Facultas omnium disciplinarum parens non immerito dicta fuerit.

Anno eodem Julius Caraciolus, Melphitani Principis filius, Collegii fit Hospes III. Idus Maias. Joannes Odoartus & Guillelmus Villerius in Theologiæ Professores optantur; & si quis defecerit, Ludovicus Guelainus in illius locum sufficitur.

Anno MDXXXVIII. in mense Aprili Claudius Bertutus, qui Sodalis erat Navarricus, Universitatem regebat, eoque Rectore id actum est, quod jus Academiæ in Pratum Clericorum oppido quam asserit & confirmat. Refero quæ sunt in Actis Academiæ: *Hodie Lunæ* (XI. Calend. Maii) *in crastino festi Resurrectionis Domini nostri* JESU-CHRISTI, *Rector scilicet M. Claudius Bertot, cum quatuor Procuratoribus & quatuor magnis Intrantibus Nationum Facultatis Artium, & Bedellis ejusdem Facultatis, Cœnobium divi Germani de Pratis adiverunt, Missamque ibidem more solito audiverunt: qua audita ad Pratum Clericorum accesserunt, & illud pro more visitarunt, me Notario & Scriba dictæ Universitatis in præmissis adstante.*

Anno eodem Antonius Cognetus & Joannes Hennuierius in Theologiæ Professores eliguntur.

Anno MDXXXIX. Leo Albertus & Joannes Papillio in Theologiæ Professores assumuntur.


Anno eodem *Antonius Brunet Boius revolutis septem annis integris cum dimidio in curriculo Grammaticæ professionis in erudienda juventute, quatuor scilicet in nominatissimo Bonorum Puerorum Gymnasio, & tribus in regali Collegio Navarræ, ad classicum ordinem usque factus Procurator.* Hæc in libro Procuratorum Franciæ.

Anno eodem *die penultima Decembris lecta est in comitiis oratio, quam habiturus erat M. Ioannes Sudoris, Doctor* (e Navarra) *Theologus, ad Imperatorem mox adventurum: qua*

audita, delecti sunt qui eam examinarent, & verba superflua resecarent.

Anno eodem Dominicus Cerarius cum sancti Germani veteris Ecclesiæ, cujus erat Parochus, Antonio fratris filio apud Romanam resignasset Curiam, hanc vti vacantem Normanorum Natio Simoni Vigoreo Exprocuratori suo contulit, vacantem quidem, quia *Universitate* ad quam pertinet collatio, *spreta* resignaverat. Lis ea super re mota est, sed statim finiri debuit Cerarii morte, quæ accidit III. Calend. Maii anno MDXL. sic idem Vigoreus Navarricus Sodalis, tunc Rector Universitatis, tam a Natione sua, quam ab Universitate Curio confirmatus est: sed ab illa Antonius Cerarius ad Senatum provocavit, vt habetur in Actis Academiæ.

Porro Dominicus Cerarius Theologicæ Facultatis Decanus erat, & Actum *Resumptam* dictum vsque ad tempus Decanatus sui distulerat, qui tamen postridie acceptam magisterii Lauream de more celebrandus est: hunc celebravit anno MDXXXVII. Id Acta Facultatis ita testantur.





CAPUT IV.

Sodales Navarrici permulti fiunt & Rectores Academiæ & Procuratores Nationum. Inter Rectores eminet Claudius Espencæus. Professores Theologiæ quotannis eliguntur duo, ex Senatus præscripto. Exorta de contrahendo Cursus Philosophici tempore controversia utrinque agitatur. Judocus Clicthovæus Carnoti moritur. Franciscus I. ad Espencæum scribit, ut Melodunum se recipiat cum aliis Theologis de religione collaturus. Castellanus ad eundem scribit in Belgio degentem, ut Melodunum profecturus maturaret. Aurelianensis Dux per literas Facultatem rogat, ut certum quendam Dominicanum extraordinarium admittat ad Cursum Theologiæ. Facultas ad Principem ablegat Curcellium e Navarra Syndicum, qui cum Principe sic agit, ut ille instare destiterit, volueritque ut Facultatis leges sine relaxatione servarentur. Henricus II. Durfeo & Hospitali Legatis suis ad Concilium euntibus Espencæum adjungit. Regii mandati pars quædam refertur. Petrus Valla e Navarra Theologus, & Sagiensis Episcopus, Romæ cum esset, Joannem Grangiam ex eadem Navarra Baccalaureum, generalem creat Vicarium. Petrus Danesius Sodalis Navarricus orationem habuit ad Synodum quæ tunc erat Bononiæ.

ANNUS circumagebatur millesimus quingentesimus quadragesimus, cum Andreas Goveanus Lusitanus, e sanctæ Barbaræ Collegio, cujus Primarius fuerat, in Navarram venit, ibique in sodalitio Theologorum mansit,

vſque dum magiſterii Laurea donaretur. Goveanus anno MDXXXVIII. in Rectorem Univerſitatis electus fuerat XVII. Calend. Januarii.

Anno eodem IX. Calend. Julii Nicolaus Martimboſius Academiæ Rector creatus eſt, & Claudius Eſpencæus XV. Calend. Jan. ambo Sodales erant Navarrici. De Eſpencæo in Rectorum Academiæ libro hæc traduntur: *Die XVI. Decembris creatus eſt Rector Claudius Deſpenſe, dicti loci Deſpenſe dominus temporalis, Clericus diœceſis Catalaunenſis, in Artibus Magiſter, in Theologia Baccalaureus formatus, regalis Collegii Navarræ Burſarius: par raiſon, Deſpenſe, accipe daque fidem atque ritu Urſino.*

Hoc anno Joannes Laſſereus Ludovici Navarræ Proviſoris nepos ex Artiſta Navarrico factus eſt Lutetiæ Cartuſianus, qui & poſtea ad multas Ordinis ſui dignitates pervenit.

Leonardus Sarrazin Lugdunenſis, regalis Collegii Navarræ Burſarius, Theologus Collegii Cardinalis Monachi, Metaphyſicorum Præceptor, factus Procurator anno 1540. Hæc in libro Procuratorum Franciæ.

Anno MDXLI. Joannes Pelletarius & Nicolaus Briſius in Theologiæ Profeſſores convenienter edicto Senatus eliguntur. Hoc anno Sorbonici cum vnum duntaxat haberent Sodalem Theologum, qui poſſet docere, ei Franciſcus Picartus e Navarricis adjunctus eſt.

Anno eodem *Franciſcus Danmartin Pariſinus poſt revolutos profeſſionis ſuæ in literis humanioribus tres annos continuos, in regali Muſæo Navarrico factus Procurator.* Hæc in libro Procuratorum Franciæ.

Anno eod m IX. Calend. Aprilis Rector Univerſitatis creatus eſt Nicolaus Gaſtæus e Navarra Baccalaureus, poſt confectum in Collegio Bonorum Puerorum Philoſophiæ curriculum.

Anno MDXLIII. Aquilinus Pluietta & Nicolaus Briſius in Theologiæ Profeſſores optantur.

Anno eodem *Ioannes Gonnault Remenſis, Navarricæ Domus alumnus, cum in eo Gymnaſio quadriennium juventuti præceptionibus Grammaticis erudiendæ operam navaſſet, & Burſarius tandem Theologus ibidem effectus fuiſſet, poſt alterum qua-*

driennium, inito apud Marchianos Philosophiæ curriculo, & ad Physicam usque percurso, factus Procurator est 1542. Hæc in libro Procuratorum Franciæ.

Anno eodem in mense Decembri collatum est sancti-Germani veteris sacerdotium Ludovico Guelaino, qui Parisiensis e Navarrica Societate Theologus erat.

Anno MDXLIII. mense Junio exorta est in Academia, & præsertim in Navarræ Collegio, controversia de minuendo tempore, quo Cursus Artium absolvebatur. Tunc in eo Cursu consumebatur triennium cum dimidio; sed fuere qui Cursui biennium deputari tantum vellent. Illorum partes tuendas suscepit Martimbosius Navarræ Sodalis, & dixit, *aliarum Facultatum hujusce florentissimi Gymnasii præceptores suis in Facultatibus statuisse & semper ordinasse, quæ ad ipsarum Facultatum honorem & prærogativam & observationem conducerent, & plerumque quæ minus forsan consulte acta fuerant, in melius reformasse: quod si aliis concessum fuerit, nec ipsi Philosophiæ Facultati denegari debere. Verum cum Cœnobia, & ea potissimum in quibus Philosophia interpretatur, biennio & dimidio omnem Philosophiam doceant, absolvantque, licet toto illo decumano tempore, quam Quadragesimam vocant, & Natalitio insuper festis & profestis diebus a lectionibus abstineant, Dominicanorum Schola, Albertum & Thomam Philosophos absolutissimos, pariter & eloquentissimos, & quamplures alios, quos enumerare longum esset, pepererit, in eisdem Philosophia ipsa biennio & dimidio solum & ex integro legatur. Nam & ipsius præclaræ Facultatis boni præceptores biennio & dimidio Philosophi, imo ipsam integre interpretaturi putandi sunt; quasi ad philosophandum aliquid faciat pallium aut cuculla. Etenim si uno anno Dialectica cum parte Moralis interpretetur, nec secundo anno repetantur institutiones illæ Dialecticæ, Theoremataque fusius explicentur, biennio & dimidio omnem Philosophiam absolvi posse, semoto quoque tædio, nulli dubium esse, cum postremus annus sit fere otiosus, annumque Intrantiæ, quo philosophantes, vel ad sacram Theologiæ, vel salubrem Medicinæ Facultates animum applicant. Antiqui dixerunt, & si antiquorum tantum valuerit auctoritas, ut ex quinquennio primum Philosophiæ studentibus præscripto annus cum dimidio detraheretur, nunquid & ex alia justa*

justa causa annum alterum detrahere Facultati fas esse his potissimum diebus, quibus sacra Philosophiæ mysteria, sacramentaque reserata & patefacta sunt, & tamen Philosophiam ipsam prope labefactatam conspici, cum juventus ipsa temporis diuturnitate & inanibus repetitionibus pertæsa, liberalibus bonarum Artium relictis disciplinis ad ceteras artes capessendas utilibus, imo necessariis, ipsaque Philosophia neglecta, ad Iura discenda animum inducat & sese conferat. At nisi morbo debita medela adhibeatur, paucos & fere nullos fore præceptores, qui docendi provinciam suscipere velint. Detrahendum itaque a Philosophiæ stadio esse annum illum inutilem, ut tandem pristinam gravitatem, auctoritatem & prærogativam recipiat ipsa Philosophia. Id Ludovico Lassereo Navarræ Provisori minime placuit, qui adversus illam temporis in absolvendo Philosophiæ Cursu contractionem Parisiensi Curiæ libellum supplicem porrexit, nomine Theologicæ Facultatis & Medicorum: sed pluribus habitis ultro citroque coram Senatu concertationibus, pars Martimbosii tandem prævaluit.

Anno eodem Aquilinus Pluieta & Robertus Quichenotus in Theologiæ Professores eliguntur.

Anno quoque eodem Judocus Clicthoveus noster infinitis laboribus pro Ecclesia Dei exanthlatis, Carnoti mortalitatem exuit, & ut pie credimus, ad superos abiit præmium recepturus. de quo ita scribit in Diario suo Lassereus: *Le 22. Septembre 1543. mourut Clicthoue, lequel a esté enterré en l'Eglise de S. André de Chartres au milieu du chœur, entre le maistre autel & le pulpitre. Erat summus Orator, summus Historicus, summus Logicus, summus Philosophus, summus Theologus, & religionis Christianæ summus propagator.* Deinde in alio libro recepti & expensi: *Anno 1543. Iudocus Clicthoveus Doctor Theologus obiit 22. Sept. & testamento legavit Collegio decem volumina librorum & sex libras; sed quia non sufficiebant ad obitum solennem, Collegium propter beneficia in se collata residuum supplevit.*

Anno MDXLIV. Robertus Quichenotus & Renatus Regius in Theologiæ Professores eliguntur.

Anno eodem Franciscus I. Theologos numero XII. Meloduni congregavit, in congressum de religione & collo-

quium venturos, vt id ad Tridentinum Concilium provisio foret ac præparatio. E Theologis illis XII. vnus fuit Claudius Espencæus qui rem totam narrat in libro, cui titulus est *La continuation de la tierce Conference avec les Ministres extraordinaires de la Religion pretendue reformée livre 4. chap. 2. Telle est la verité, puisqu'il faut qu'à l'occasion de ces commentaires, le monde sçache une partie de mon fait. L'an de mes Licences en Maistrise je m'estois retiré du royal College de Navarre, où j'avois demeuré cinq ans en grande devotion de recolliger mes estudes & recommencer mes leçons privées, aprés n'avoir fait quasi deux ans que disputer, répondre, arguer, selon les exercices ordinaires de nostre Faculté de Theologie de Paris; & voilà Monseigneur le Cardinal de Lorraine partit quelqu'an devant dudit College, où il m'avoit toûjours porté affection, me marque par lettres à sa suite & service, dont je ne fus conseillé m'excuser.* Puis au chap. 3. *Quatre Rois sous lesquels j'ai vescu, m'ont emploié en mon état, n'en ayant jamais que de belles lettres. Il pleust au Roy tres-Chrestien François I. m'évoquer à Melun, au nombre de douze Docteurs pour une Conference des Controverses d'aujourd'hui, preparative au general Concile de Trente, lors meditant y envoier, comme j'entends mondit Seigneur* (Cardinal) *en qualité de Primat & premier Pair de France, qu'il est accompagné de bon nombre d'Evesques. Or estions pour lors aux Païs bas de l'Empereur, à la suite de feu M. le Cardinal de Lorraine, qui pour confirmation de la paix estoit allé vers l'Empereur Charles V. j'en receus de retour sur le chemin les lettres qui s'ensuivent : A nostre cher & bien-aimé M. Claude Despense Docteur en Theologie.*

DE PAR LE ROY.

Cher & bien-aimé, pource que nous avons avisé assembler quelques bons & notables personnages au lieu de Fontainebleau, pour aviser & deliberer des preparatifs, qui seront necessaires pour le fait du Concile : A cette cause & que vous avons choisi & éleu de ce nombre, nous vous prions & ordonnons ne faillir de vous trouver audit Fontainebleau dedans le terme de huit jours, de la datte de ces presentes, & n'y faites faute, & nous ferez service en ce faisant. Donné à saint Germain en Laye le 15.

jour de Novembre 1544. Signé, François, & plus bas, Bochetel.

Lettre de Castellanus pour le mesme sujet, qui estoit President du Colloque: Petrus Castellanus Matisconensis Episcopus designatus, domino Despensio S. P. D. Diem jam te tertium exspectaveramus, idque feceramus, quod ex tuis quidam, vt dicebat, nudiustertius nobis affirmavisset se esse a te præmissum, & te brevi imo potius postridie affuturum. Ea de re cum te ad eum diem non adesse videremus, nobis omnibus visum est, vt ad te literas daremus, quibus te etiam atque etiam rogaremus, vt in ea re ad quam agendam nobiscum ab Rege Christianissimo delectus es, ne deesses nobis, qui tecum laborem hunc communem habituros nos esse sumus arbitrati. Et quidem nostra causa, vt id velle minime debeas, certe & fidem tuam pietati præstare debes, & Regi Christianissimo dare hanc operam, præsertim quæ tibi valde sit honorifica: tua inprimis refert, & nobis omnibus gratissimum feceris, & hoc nomine tibi multum debere libentissime fatebimur. Vale, Meloduni 14. Calend. Ianuarii, Petrus Castellanus, Matisconensis Episcopus designatus.

Et Regis & Castellani literæ nos docent, quanta tunc Doctor noster apud omnes existimatione floreret, & qualis jam esset oblivio rerum, de quibus propter quadragesimales conciones in beati Mederici Ecclesia habitas anno superiori a malevolis delatoribus apud Theologiæ Facultatem accusatus fuerat. Delatores illi experti sunt generosam in viro nobili patientiam & singularem in doctissimo Theologo christianæ erga Facultatem humilitatis exemplum. Quæ duæ virtutis Espencæum supra humanam & naturam & fidem evexerunt.

Annis superioribus & circa hoc tempus alumni Navarræ fuerunt Principes Lotharingi omnes, Nicolaus, Claudius, Claudii filius & Ludovicus frater aliique, & cum primis Carolus qui Cardinalis fuit, præclaraque multa & in Tridentino Concilio & aliis in locis gessit.

Anno eodem MDXLIV. Emericus Curcellius Navarræ Sodalis, personam Syndici sustinebat in Facultate Theologiæ, cum a Dominicano quidem tentata fuit legum illius ope Ducis Aurelianensis relaxatio. Curcellius, quia vir erat

in rebus agendis gnavus & industrius, a Facultate mandatum accepit, vt Aurelianensem Ducem conveniret, & ab eo Dominicani dereli&tionem deprecaretur. Deprecatus est feliciter, vt Acta Facultatis testantur: *Anno Domini 1544. die 2. Augusti perlecta literæ illustrissimi Principis Ducis Aurelianensis sub data 5. diei Iunii 1544. Facultati oblatæ, quibus obnixe rogabat prædictam Facultatem, vt non obstantibus statutis & determinationibus prædictæ Facultatis, vellet recipere fratrem Ludovicum le Vert, Ordinis Dominicani, in locum extraordinarium in anno præsenti, audita deliberatione Magistrorum nostrorum, qui non erant in magno numero: & quia negotium est arduum, remissum est ad deputatos, qui referant Facultati quod expedire ei visum fuerit.*

Anno prædicto 20. Decembris commissum fuit M. nostro Emerico de Courcelles Syndico Facultatis, vt adiret D. Aurelianensem, & oblatis illi literis ad ipsum per Facultatem datis, niteretur persuadere, ne molestius ferret, si frater Ludovicus le Vert Prædicator, contra Facultatis statuta non recipiatur & admittatur ad primum Cursum. Die itaque 23. mensis prædicti dictus D. de Courcelles adivit Fontem-bellæ-aquæ, nec tamen facta est eidem copia salutandi illustrissimum & augustissimum Ducem Aurelianensem ante horam quartam a meridie, cui nomine Facultatis summam exoptavit salutem, qui oblatas literas serena fronte accepit, visurumque easdem & in crastinum responsurum pollicitus est. Die protomartyris Stephani dictus Syndicus iterum convenit prædictum Ducem his verbis: Monseigneur, les Doien & Docteurs de la Faculté de Theologie en l'Université de Paris, vous saluënt. Ils m'ont donné charge vous remontrer, que si ceux qui vous ont importuné leur écrire recevoir Frere Louis le Vert, Religieux de l'Ordre des Freres Prescheurs, en lieu extraordinaire à lire Sentences cette presente année, l'eussent reconnu, jamais ne vous en eussent fait requeste, & vous supplient, comme probateur de leurs privileges, vouloir iceux estre gardez & observez, & ils prieront Dieu pour la bonne prosperité & santé du Roy tres-Chrestien, nostre pere & le vostre. Quibus auditis, répond mondit Seigneur d'Orleans: Ie veux & desire les privileges & statuts des Doien & Docteurs de la Faculté de Theologie estre observez & gardez, & si

j'eusse connu que Frere Louis le Vert n'eust esté capable, jamais je n'eusse écrit ausdits Doien & Docteurs. Auquel ledit Syndic rendit graces au nom de ladite Faculté, pour tant de benignes réponses. Quam quidem legationem & relationem dicti Syndici Facultas gratam habuit in congregatione 11. Ian. sequentis.

Rex & Parisienses Theologi omnino persuasi sunt, Scholæ disciplinam in constanti & diuturna legum observatione sitam esse, & in relaxatione quæ sine evidenti necessitate & publica vtilitate fiat, abrogari.

Anno MDXLVI. *Antonius Coquier Graatinopolitanus, Metaphysicus & Bursarius in regali Collegio Navarræ factus Procurator.*

Anno MDXLVII. *Renatus Gemellius in regio Navarræ Gymnasio plures annos professus, factus Procurator.* Hæc in libro Procuratorum Franciæ.

Anno eodem id contigit, quod Claudius Espencæus in libro mox laudato de se narrat his verbis: *Depuis le Roy tres-Chrestien Henri II. m'envoia au Concile à Bologne en Italie avec ses Ambassadeurs & lettres de recommandation telles: A nos tres-chers & grands amis les Legat & Deputez de nôtre tres-saint Pere le Pape à la Congregation du saint Concile celebré à Bologne la Grasse.*

Tres-chers & grands amis, nos amez & feaux le sieur Durfé Gentilhomme ordinaire de nostre Chambre, Baillif de Forests, & M. Michel de l'Hospital, Conseiller en nostre Cour de Parlement de Paris, s'en vont nos Ambassadeurs & Deputez pour assister au saint Concile, lesquels nous avons bien voulu faire accompagner de nostre cher & bien-aimé M. Claude Despense Docteur en Theologie, porteur de cettes, personnage de bonnes mœurs & loüables qualitez, suffisamment edifié és saintes Lettres, au moien de quoy il sera pour quelquefois servir, s'il est appellé en aucunes choses, qui se pourront presenter és propositions, conclusions & determinations dudit Concile. Et pource qu'en une telle Congregation & Compagnie il n'y sçauroit avoir trop de gens de sa qualité & profession, nous vous prions le vouloir recevoir & admettre en ce qu'il sera & pourra estre utile, comme venant de nostre part, & ce nous sera tres-agreable plaisir, priant à tant le Createur, tres-chers & grands amis, qu'il vous

ait en sa sainte & digne garde. Ecrit à Compiegne le 15. d'Aust l'an 1547. Signé, Henri. & plus bas, du Thier.

Hoc in loco causæ sunt duæ, cur nisi mandatum integrum, quod Henricus II. Claudio Durfeo & Michaeli Hospitali ad Concilium euntibus dedit, certe mandati partem aliquam referam. Et primum quidem singulare illud preconium, quod Rex suis in literis Espencæo impertitur. Espencæus ad perficiendum mandatum perinde atque Durfeus & Hospitalis, vocatur: deinde Espencæus vnus fuit e Theologis illis duodecim, qui studium & operam in expendendo mandati argumento collocarunt: itaque referenda est mandati pars aliqua, eaque insignior, quæ sic se habet: *Se li Ambasciatori sentono o conoscano, ch' il Papa o suoi adherenti vogliono proponere, ch' il Re metta li mani nelle cose della Chiesa, tanto per causa dell' appellationi come di abusi che s'interpongono in Francia dell' essecutioni de rescritti Papali, come per he li giudici del Re conoscono sopra il possessorio di cause beneficiali, e cosi fà riscuotere decime dal suo Clero senza l'auttorita del Papa, li detti Ambasciatori li faranno intendere destramente, & a parte, che se si vengono a proponere tutte queste cose, alle quali nondimento si fanno buone & pertinenti risposte, si proponghino per la parte del Re l'infrascritte.*

Primamente che il Papa per abusi, & contravenendo direttamente alli santi decreti ricevuti e publicati ne i Concilii generali, piglia le annate delle Arcivescovati, Vescovati, & Abbatie di questo Regno, e di altri beneficii consistoriali in qualunque modo che vachino, sia o per morte, o per resignatione simplice, o permutatione, & in ogn' altra maniera & spetie di vacatione, ancorche le dette annate siano prohibite per il Concilio Lateranense, Constantiense, Basiliense, e che simili provisioni siano simoniache, & nulle di ragione, essendo che li impetranti pagano volontariamente, o per forza. Che solo questo capo e sufficiente privare il Papa della dignita Papale, per che è cosa certa di ragione e senza controversia, che puo esser deposto per peccato di simonia: & oltre che le essattioni dell' annata e vna pura simonia, e dichiarata tale ne i santi decreti, e per rispetto del fatto e cosa tanta chiara & evidente, che non apunto bisogno di prova: e sia notato in questo caso che nelli concordati passati tra la S. Sede Apostolica & il Re,

non vi e pure vn motto, che parli dell' annate, ne che permetta al Papa di pigliarle, in modo che questa permissione sarebbe contro Iddio, e contro il suo commandamento, e per consequenza nulla. Dal pagamento delle dette annate segue la desolatione & rouina delle Chiese di Francia, e molte volte di molte buone casate, perche quelli che hanno li gran beneficii, e quelli che ne tengono molti, e quelli che ne permutano spesso sono talmente indebitati, che non se ne possono rihavere in dieci anni appresso, & in quel mezzo sono sforzati di postponere ogni reparatione, & si non vivono molto doppo le provisioni, distruggono i loro amici & le case loro.

Ne segue similmente, che il detto Regno e per causa delle dette annate spogliato del denaro, che e il nervo della republica; e qualunque cosa che li Romanisti dicono se trasporta e scuola in corte di Roma, per questa via la principal sostanza e de i denari di questo Regno, cosa facile ad essere intesa se si viene à supputare il numero de i Vescovati, Abbatie & altri beneficii consistoriali, e le frequenti vacationi che occorrono, senza molti altri modi di tirar danari à Roma che saranno tocchi da basso.

Secondariamente sara rimostrato ch' il Papa provede a tutti li beneficii del Reame per preventioni, contro li santi decreti del Concilio Lateranense, dal che anche si cavano de gran denari, atteso il numero infinito de beneficii che vi sono, & la moltitudine dell' impetranti, che ben spesso sono cinque & sei a litigare vn beneficio tutti provisti in corte di Roma. Et delle dette preventioni ne segue vn grand disordine in questo Regno, per che la piu parte de beneficii da gente ignorante, & indegni & mal viventi, che ne sono stati provisti à Roma, dove non si essamina niente, che la borsa.

Hujusce rei cognitio cum ad alios pertinet, tum præsertim ad Theologos, e quorum numero selecti duodecim Melodunensi interfuerunt colloquio, & iis qui editi sunt postea, tractatibus, vt accuratus ad Tridentinum Concilium apparatus conficeretur. Quoniam vero nondum repertum est mandati hujus autographum, coacti fuimus vti apographo, Italice verso, quod in pluribus curiosorum hominum armariis apud Italiam asservatur. Hoc apographum extat in libro sic Gallice inscripto, *Instructions & Lettres des Rois*

tres-Chrestiens , & de leurs Ambassadeurs , & autres actes concernant le Concile de Trente , de l'Edition de Paris l'an 1654.

Anno eodem *Iacobus le Fevre Parisinus , cum Grammaticorum & Rhetorum præcepta apud Burgundiones & Coquereticos sesquiennio suis tradidisset , atque inde regiam Navarram ingressus bursa Theologica donatus fuisset , factus Procurator.* Hæc in libro Procuratorum Franciæ.

Anno eodem Petrus Valla Parisiensis, e Navarra Theologus & Sagiensis Episcopus, cum esset Romæ & Tridentinæ Synodi negotiis occuparetur, Joannem Grangiam ex eadem Navarra Baccalaureum, Vicarium generalem instituit. Institutionis literæ inter ea monumenta, quæ ad Sagiensis in Academia Collegii reformationem attinent, asservantur, & sic se habent : *Petrus du Val Doctor Theologus, ac Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Sagiensis Episcopus , dilecto nostro venerabili viro Magistro Ioanni de la Grange Clerico, in Artibus Magistro, ac in sacratissima Theologiæ Facultate Baccalaureo , salutem in Domino. Spectata virtus , literarum scientia & providentia circumspecta , aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita , quibus personam vestram novimus insignitam , nos inducunt , ut vos in partem sollicitudinis nostræ & pastoralis curæ a Domino creditæ , assumamus , sperantes , quod ea quæ vobis duxerimus committenda , laudabiliter & solerti studio curabis adimplere. Attendentes igitur , quod nos in præsens certis aliis & etiam Concilii præpediti negotiis , a civitate & diœcesi nostris Sagiensibus abesse convenit , ne ex absentia nostra aliquod detrimentum eidem Ecclesiæ nostræ ac membris illius , seu ex ea aut illius occasione dependentibus immineat , quod absit , nos de vestris scientia , diligentia & providentia plurimum in Domino confisi , omnibus melioribus via , more & forma , quibus melius potuimus & debuimus , possumusque & debemus , vos nostrum in spiritualibus & temporalibus Vicarium generalem in prædictis nostris Episcopatu , civitate & diœcesi Sagiensi ac illius dependentia , citra tamen alterius nostri Vicarii generalis jam constituti ac deputati revocationem , fecimus , constituimus , creavimus & ordinavimus , prout tenore præsentium facimus, constituimus, creamus & ordinamus , vobis dantes &*

conce-

concedentes plenariam potestatem ac mandatum speciale, quæcunque beneficia & officia Ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia, cum cura & sine cura, etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, præpositurz & parochiales Ecclesiæ, seu earum perpetuæ vicariæ, aut alia beneficia, Capellaniæ seu Capellæ, & alia officia fuerint per obitum seu etiam per liberam & simplicem resignationem, aut causa permutationis in manibus vestris fiendam, aut per incapacitatem & irregularitatem cujusque personæ, vel alia causa vacantia, vel vacatura, ad nostram collationem, præsentationem, provisionem, institutionem ac dispositionem, seu etiam ad præsentationem patronorum Ecclesiasticorum sive laicorum spectantia & pertinentia, quibuscunque capacibus & idoneis vice & auctoritate nostris conferendi, & de illis providendi, curamque animarum, si quæ eis immineat, committentes, ipsasque personas in eorundem beneficiorum seu officiorum corporalem, realem & actualem possessionem inducentes seu induci facientes, & mandandi, necnon Collegium nostrum Sagiense Parisiis fundatum, illiusque Primarium, Bursarios & Scholasticos, aliasque personas visitandi, fundationes statutaque ipsius videndi, legendi, & ea per supradicta integre observari faciendi, & super excessibus, criminibus & delictis per eos & eorum quemlibet perpetratis, inquirendi & inquiri faciendi, ac puniendi, eosdemque Primarium, Bursarios seu Scholasticos, si necesse fuerit, deponendi & amovendi, & alios in eorum locum substituendi, seu etiam Primarii & Bursariorum prædictorum, & officia illorum, occurrente vacatione, & tam illorum, quorum provisio, institutio & omnimoda alia dispositio ad nos ratione nostræ pontificalis dignitatis, quam aliorum, quorum præsentatio ad venerabilem virum dominum Archidiaconum de Passeio in Ecclesia Cenomanensi respective spectat, personis idoneis conferendi, necnon in prædicto Collegio illiusque ceteris personis ea quæ nostræ dignitati seu nostro officio Episcopali, tam ex fundatione, dotatione, consuetudineque ipsius Collegii, quam alia quacunque ex causa incumbunt, faciendi, ceteraque quomodolibet faciendi & exercendi, literasque omnes & singulas super præmissis necessarias dandi & expediri faciendi, ceteraque omnia in præmissis necessaria & opportuna, quæ nos, si præsentes essemus & faceremus & facere possemus, etiamsi talia sint, quæ

mandatum specialius exigant, augendi & procurandi, vices nostras in præmissis, quandiu nostræ placuerit voluntati, ac donec eas ad nos duxerimus revocandas, vobis plenarie committentes, seu etiam concedentes, super quibus præmissis conscientiam vestram onerantes & nostram exonerantes. Datum Romæ sub sigillo nostro & signo Secretarii nostri anno 1547.

Hoc eodem anno Petrus Danesius Sodalis Navarricus, ad translatam Bononiæ Synodum orationē habuit, quæ est talis:

Reverendissimi Legati & Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, ceteri omnium ordinum in hanc sanctam Synodum cooptati & conscripti Patres, sicut Christianissimi Regis præcipuus antea pro ejus pietate erat dolor ex miserrimis & post hominum memoriam turbulentissimis Ecclesiæ temporibus susceptus, ita nunc eximiæ cujusdam lætitiæ causam attulit nova tranquillitatis oblata spes, quam sacri hujus Concilii nomen expectatioque commovit. Neque enim potuit aut non sperare id futurum, quod vos auctore ipso Conciliorum præside Deo agere sciret; aut quod maxime semper expetisset, non vehementer eventurum esse lætari. Nec vero convenire existimavit, quum de summa re Christiana ageretur, non singulare existere Christianissimi Regis studium, qui ad bene de ea merendum cum cognomine sibi hereditario, tum plurimis majorum exemplis invitaretur. Itaque quod facturus ipse, si præsens adesset, fuerat, ut vos, etsi sponte currentes, tamen acrius incitaret ad populi Christiani pacem ac concordiam reconciliandam, Sacerdotii dignitatem prope amissam recuperandam, veteres nimiumque diu neglectas Ecclesiæ ruinas fulciendas, ad eaque conficienda suas omnes curas, consilia, cogitationes, opes polliceretur: id nobis legationis hujus munere imposito, suo nomine ut faceremus, mandavit. Cujus ego legationis summam priusquam vobis, Patres, expono, quod quidem extrema oratione mea faciam: pauca quædam necessario dicam cum de plurimis Regum Franciæ superiorum in Ecclesiam meritis, tum de hujus ipsius, a quo allegati sumus, Francisci, perpetuis in eandem officiis: non quo hunc ita velle arbitrer, aut illos ut clariores fiant, egere præconio putem. Neque enim aut hic quum ita se gereret, ut & ipso & ejus majoribus dignum erat, inanem nescio quam verborum laudem expectavit: aut illorum res pro Christi Ecclesia gestæ ita sunt, vel obscuræ, ut illuminari; vel communes, ut orna-

ri; vel denique tenues, vt amplificari cujusquam oratione debeant. Sed & hic qui se vni Deo probatum vellet, sola recte factorum conscientia facile contentus, id demum bene agendo spectavit semper, bene vt ageret: & illorum ea quas dixi, actiones hujusmodi certe sunt, vt nullam non orationis facultatem, nedum meam, quæ sentio quam sit modica, exuperent. Verum id, vt dixi, necessario ita faciam, vt intelligere possitis, Christianissimum Regem, quæ nunc a vobis postulet, ea jure meritoque postulare. Et tamen ita orationi moderabor meæ, vt nemo non sit existimaturus, me plura, quæ explicari quamvis ornate potuissent, simpliciter potius nudeque brevitatis studio protulisse, quam aliquid ex Rhetorum artificio ac præceptis facere amplius voluisse. Vos modo, Patres sanctissimi, benigne me & attente his de rebus, ita vt ostendi, dicentem facile, quæso, audiatis.

Francorum Reges jam inde a Clodovæo primo nostræ gentis Christiano Rege, inter ceteras, quibus merito celebrantur, virtutes, egregia quadam pietatis laude floruerunt. Cujus rei argumentum esse videtur, quod vnum hoc regnum adhuc extitit, in quo Christiana religio per annos plus mille nunquam intermissa, sincerissima semper perseverarit: vt quomodo bene constituto in corpore purus sanguis, item in illo regno quædam religionis quasi sanitas perpetuo constiterit. Certe sanctissimus Pontifex Gregorius pius, quod epistolis ejus constat, Childebertum Francorum Regem Catholici cognomine jam tum ornavit, gravi testimonio ejus, quam dixi, incorruptæ castæque religionis. Hanc igitur illi semel susceptam vt naturali suo candore præditam tuerentur, neque alienis, vt ita dicam, coloribus oblini vlla dæmonis mali arte sinerent: quum in eo omnes suas curas cogitationesque defixissent, operam semper dederunt, primum vt quantum humana diligentia effici posset, nequa in animis suorum nova existeret contra Ecclesiæ sententiam vlla de re opinio: deinde vt si quid tale forte accidisset, sicut est inimicus ille noster in superserendis zizaniis diligens, id statim animadversum, priusquam convaluisset, opprimeretur: tum autem nequa vllius partis divulsio a catholica Ecclesia fieret, neu quod præcipuis etiam in locis nonnunquam vsu venisset, in aliqua Imperii Francorum parte accideret, vt essent alii qui Catholici, alii qui variis a suæ quisque sectæ auctore nominibus appellarentur. Nec his contenti quasi domestici

officii regionibus, non aliena etiam, quoties res tulit, eadem pietate curarunt: sed & finibus suis egressi, & cum exteris gentibus congressi, quas vel impio dæmonum cultui deditas, vel aliqua hæresis labe infectas comperissent, quum prius omnia experti, monendo, suadendo, denuntiando nihil profecissent, piis illas armis ita fregerunt, ut vel falsa superstitione abdicata, vel pravis opinionibus rejectis, veram sanamque profiteri religionem cogerent. Ac ne multa utriusque rei exempla afferam, quod & longum esset, nec certe hoc tempore necessarium videtur, ejus quod posterius posui, testis erit ille quem modo nominavi, Childebertus, qui Visigothos bello aggressus, Christianos illos quidem, sed partium in Ecclesia Arianarum, huc tandem eos necessitatis deduxit, ut & impium Arii dogma repudiarent, & ad Catholicæ Ecclesiæ, a qua alieni erant, partes traducerentur. Prioris fidem faciet Carolus, a rerum quas gessit magnitudine cognomen Magni nactus. Is enim suscepto in Saxonas bello, Christianæ tunc pietatis teterrimos atque acerbissimos hostes, sic illos per annos amplius triginta exercuit, & ad ultimum etiam perdomuit, ut vera religione imbuti, & salutari aqua tincti, in Christi nomen insererentur. Et hujus quidem generis utriusque multa Franci. Iam vero quum Romanam Ecclesiam, cui ille Apostolorum princeps præsedisset Petrus, orbis terrarum principatum semper obtinuisse, ejusque Episcopum capitis loco a reliquis magno consensu Episcopis habitum esse didicissent: pie hoc quoque ac præclare fecerunt, ut qui & Ecclesiam & Episcopum præcipue sibi colendos proposuissent, utriusque & opes opibus suis augerent, & quum res posceret, pericula periculis item suis propulsarent. Pipinus enim, ut taceam quæ hujus pater Carolus cognomento Martellus gessit, quum Aistulphus Longobardorum Rex pluribus per vim occupatis Romanæ Ecclesiæ oppidis ulterius progrederetur, ut nisi capta urbe Roma finem facturus injuriarum non videretur: precibus exoratus Stephani Pontificis, incredibili celeritate superatis Alpibus, indeque dejectis hostium præsidiis, quæ omnes saltus insederant, exercitum in Italiam transportavit: & Aistulphum acie congredi non ausum, Ticini, quo se ex fuga receperat, tandiu obsedit, quoad is datis obsidibus & jurejurando interposito, confirmaret se & erepta Romanis redditurum, nec quæ restituisset, ullo unquam postea tempore repetiturum. Quid hujus Carolus

filius, qui a rerum (ut paulo ante dixi) gestarum magnitudine cognomen invenit? Quæ fecit? Nempe eadem qua pater pietate, sed successu proculdubio & felicitate majore, aliud similem ob causam bellum adversus eandem gentem suscepit & gessit. Nam quum Desiderius in Aistulphi locum mortui suffectus, partim sua ipse virtute confisus, partim Caroli occupationum opportunitatem sequutus, quod is tum maxime gravissimo Saxonico bello implicatus videretur, non solum reddita ab Aistulpho Romanis oppida iterum invasisset, sed & de Urbe ipsa occupanda palam consilia iniret, in quam totus spe & cupiditate imminebat: Adrianus Pontifex qui Stephano successerat, Legatos ad Carolum misit, qui & periculi sui magnitudinem ei proponerent, & in Ecclesiæ propugnatione patriæ illum avitæque virtutis admonerent. Id igitur tum bellum ita ille suscepit, quod tanta Francorum militum & tam incredibili virtute & patientia confecit, ut Desiderium, qui se Ticini incluserat, longa obsidione fractum, & in potestatem redactum, exilio mulctaverit: Aldegisium ejus filium, in quem sublato patre omnium se Longobardorum animi converterant, cedere Italia coegerit: Rhogandum quendam Longobardici generis hominem, quem Forojulianis ducem a Longobardis impositum, ipse in imperio confirmarat, beneficii oblitum, resque novas molientem oppresserit: denique Italia prope omni potitus, fundatissimi in ea per tot annos regni opes funditus everterit. Romano autem Pontifici, cujus unius causa res tantas gesserat, non solum ablata restituit, sed & Ravennatem insuper Exarchiam, Flaminiam, Æmiliam condonavit. Ob quæ merita Adrianus quum in Synodo Romæ habita plurium Episcoporum de præmiis quæsisset, quibus tantam Regis Franci cum in defendenda Romana Ecclesia tanquam matre pietatem, tum in ornanda liberalitatem, animique magnitudinem remuneraretur, decretum de Concilii sententia in hæc fere verba fecit: Placere uti Carolo Francorum Regi, posterisque ejus Francorum Regibus, honoris virtutisque causa, jus in perpetuum esset Romanum Pontificem quem fieri vellent, edendi, eamque sedem, quum rectore vacua foret, ordinandi; reliquarum vero Franciæ ditionis provinciarum Episcopos, quum more institutoque majorum facti essent, laudandi approbandive, ut nisi quem Rex laudavisset, nemo consecraretur: tum autem fidelitatis jurejurando obstrictos ita quasi in possessio-

nem muneris sui & potestatis mittendi. Id enim illo investiendi verbo, quo decretum utitur, significari volunt Iuris Pontificii periti. Novus omnino honor, (cur enim non fatear?) & tum certe primum velut in exemplum proditus. Sed erant illa quoque quibus tribuebatur, nova & singularia merita: ut minime sit mirum, novis inusitatisque beneficiis, nova etiam atque extraordinaria esse præmia constituta. Ac licet Ludovicus Pius Caroli Magni filius, prius illud jus Romanum Pontificem edendi ultro postea remiserit: id tamen in remittendo diserte excepit, ut simul atque electus quispiam & consecratus Romanus Pontifex esset, necesse is haberet, Legatos ad se suosve successores Francorum Reges mittere, qui mutuam inter ipsos, hoc est, Romanam Ecclesiam Francorumque regnum, amicitiam, caritatem, pacem consociarent. Quod ipsum ita profecto semper successit. Siquidem sanctissima hæc necessitudo ac conjunctio Romani Pontificis Francorumque Regis nunquam ex eo tempore intermissa, sed multis potius & magnis utrinque officiis culta, quum uterque suam in alterius dignitate contineri dignitatem existimaret, integra adhuc incolumisque permansit, ut verissimum esse videatur quod tertius Innocentius sua quadam ad Galliarum Episcopos missa epistola testatus est, Francorum regni exaltationem (ipsius enim verba, quo magis agnoscantur, ponam) sublimationem Apostolicæ Sedis esse: viderique id regnum præcipua quadam gratia a Deo benedictum, cujus & Rex & populus sinceram semper Christianam fidem retinuissent, & singulare quoddam eximiumque studium in Ecclesiam, & præcipue in Romanam præstitissent. Et certe (quod illa quæ dixi, maxime confirmet) Romani ipsi Pontifices difficillimis vel suis vel Ecclesiæ temporibus, quum aut tyrannorum injuriis pulsi sede sua carerent, aut de moribus paulo severius corrigendis, seditionumve fluctibus sedandis cogitantes, vim vererentur: ut in portum, sic in Galliam fere ad Francos se receperunt, quorum tuti pietate liberius Concilia hisce de rebus habere possent. Cujus rei testis est generalis illa Remensis, cui ipse Romanus Pontifex præfuit, Synodus: testis Claromontana, cui Urbanus: Turonensis, cui Alexander: Lugdunensis, cui Gregorius præfuerunt. Testes aliæ item complures, quarum nunc quidem nominibus, ne longior sim, parco. Ac possem equidem, Patres sanctissimi, alia hujus generis pene innumerabilia afferre,

quibus Francorum Regum excellens quædam in Deum ejusque sponsam Ecclesiam pietas luce clarius probaretur: sed vereor ne hæc quoque ipsa modum quem mihi initio constitui, excesserint. Certe incredibile quiddam dictu est iis, qui in memoria superiorum temporum evolvenda accuratius versati non sunt, quam multa Franci pericula sponte adierint, quot & quam graves ærumnas pertulerint, quam immanes sumptus, nec pecuniæ solum, sed & sanguinis sæpe sui fecerint, hanc vnam ob causam, vt aut Christiani Imperii fines proferrent, & occupatas a feris barbarisque & huic semper nomini inimicis gentibus provincias recuperarent, aut Romanos Pontifices vel ejectos in suam rursus Sedem restituerent, vel de suo statu dubitantes confirmarent, periculisque eximerent. Quorum multæ nobilissimæque victoriæ, etsi scriptorum laude bonorum caruerunt, propter eam quæ tum vbique erat, literarum pene omnium, sed eloquentiæ maxime, cladem & quasi interitum, grata tamen hominum recordatione ab oblivionis injuria vindicatæ, ad omnem posteritatis memoriam pervenient. Turcæ mediusfidius ipsi, & (vt vno verbo dicam) totus Oriens, quum a Græcis quibuscum vivunt assidueque versantur, discesserint, nullum aliud Christianorum nisi Francorum, nomen noverunt: quo vno omnes quæ hic ad solis occasum incolunt, gentes populosque significant. Tam crebris illi videlicet tamque illustribus laudum suarum vestigiis omnem propemodum Asiam impresserunt, vt mirari quis jure non queat, quid sit cur Romani Pontifices præcipua semper caritate Francos, tanquam primogenitos quosdam Ecclesiæ filios, complexi sint, legibus canonicis sæpe solverint, privilegiis ornarint, multorum immunitate & vacatione munerum donarint, breviter eximio quodam in Ecclesia, quasi civitate, jure esse voluerint.

Ab his profectus majoribus (quod erat ex duobus quæ proposueram, alterum) Christianissimus Rex Franciscus, haud dissimili atque illi, pietate primo statim aditu atque ingressu principatus sui, quum esset recenti clarissima apud Insubres victoria potitus, Bononiam vsque, quo accessisse, vt secum congrederetur, Leonem X. Pontificem maximum audierat, processit: cum illo certam amicitiam fœdusque firmavit, iis conditionibus, quæ tunc vtriusque voluntate præscriptæ etiamnum servantur. Hanc eandem postea amicitiam eisdemque illis conditionibus, cum Adriano,

Clemente, hoc ipso Paulo tertio habuit, & sanctissime semper coluit, a quibus vicissim magna sæpius pietatis suæ testimonia tulit. Quid hic commemorem perpetuas ejus excubias & custodias sanctissimæ nostræ religionis, quæ quum per hosce sex & viginti annos ita jactaretur, in hac quam omnes meminimus, partimque etiam sentimus, contrariarum opinionum quasi ventorum tempestate, vix ut statui posset quid quisque sequeretur, id egit, quod pro sua & majorum suorum perpetua consuetudine sapientissime potuit? Quod enim acceperat & ipsorum exemplo Apostolorum traditum, & a catholicis Principibus semper observatum, ut de iis quæ de fide in quæstionem vocarentur, nihil a quoquam privata auctoritate constitueretur, sed Ecclesiæ potius judicium, quo omnes stare oporteret, expectaretur; ita sane fecit, diligentissime in omnes partes cavit, ne quid omnino in communi Ecclesiæ usu novaretur: quum interea non deessent, qui multa cum in doctrina populi Christiani, tum in moribus vitæque institutis mutanda esse censerent, idque adeo tentare auderent. Sed integram omnium quæ a quoquo nova proferrentur, causam vestris, Patres, judiciis reservavit. Quam rem quo facilius assequeretur, qui esset suopte ingenio ad clementiam ac lenitatem pronior, & vel a singulorum hominum, quoad publica salus pateretur, pœnis abhorreret, coactus est interdum in tanta multitudine peccantium, & omnia miscere ac perturbare paratorum, contra naturam suam esse severior, ut graviora in illos edicta proponeret, si qui auderent privata temeritate Ecclesiæ statum convellere. Ita perfecit cum sua diligentia, tum judicum suorum incredibili in exequendis edictis studio & vigilantia, ut in tanta repente coorta tempestate, in qua difficillimum videbatur, cursum tenere, facillime eo quo intenderat, pervenerit: quum tamen multas sævissima hæc procella civitates, imo vero, proh Dei immortalis fidem! nationes gentesque totas vel everterit, vel gravissime certe afflixerit. Pacatam dat vobis, Patres, amplissimam nobilissimamque provinciam. Nihil in ea novum, nihil alienum, nihil non ex veteri more ac disciplina publice introductum reperietis. Omnia in illa vetera, doctrina, ritus, ceremoniæ, mores, instituta constant. Vos nunc de omnibus ea statuite, quæ vera, quæ e Republica esse, quæ ad summam populi Christiani concordiam, & ad Dei gloriam pertinere vobis videbuntur: ne, quod adhuc ma-

gno

gno piorum omnium animi dolore accidit, vltra eveniat, vt impuri Turcæ, nefarii Iudæi, & vtrisque importuniores, non homines, sed in hominum figura belluæ, novi quidam horum temporum Epicurei, qui omnem ex hominum animis tollere humanitatem, religione demenda conantur, suo illo incesto ore sanctissimæ nostræ pietati convicium faciant, & quod imperitus jure agere videantur, crebro illud nobis exprobrent: Ubi est Deus eorum? Porro autem quum id etiam animadverteret Christianissimus Rex, quantam semper vim habuisset ad res continendas, esse vnum in Ecclesia Romanum Episcopum, vtpote Petri successorem, reliquorum & dignitate & auctoritate principem, ad quem ceteri vt ad caput referrentur: qua maxime re, nostra hæc in terris militans Ecclesia, illius in cælo triumphantis effigies quædam agnosceretur, non minore cura ac studio providit, nequa inde secessio defectiove vllam ob causam accideret. in quo vel clarissime regia virtus & constantia enituit. Sæpius enim omni ratione tentatus, & multis invitatus, nec iis vulgaribus commodis, vt aliquid auderet aliquando, nec editum ab altero exemplum dubitaret sequi, perstitit in sententia, vt quorundam propterea finitimorum amicitiam desiderarit, eaque re parum sit suorum quieti & otio consulere visus. Sed vir maximus & excellenti animi robore ac pietate præditus, justum bellum, quam inhonestam pacem maluit. Post autem vt primum certior est factus, conventum Christiani nominis vniversi hanc in vrbem indictum esse a Paulo tertio Pontifice maximo, in quo de tantis Ecclesiæ incendiis communi tandem consilio restinguendis ageretur: jamque eo aliquot parvo numero, sed & sapientia & sanctitate præstantissimos Patres præmissos, qui ea quæ Concilio necessaria viderentur, compararent, administrarent: sibi non defuit, quin eodem delectos e suis Episcopos mitteret communium participes curarum & socios futuros. Denique aliquo satis magno temporis spatio interjecto, vt rem serio agi, & confessionibus duabus tribusve aliquot jam auctoritates vestras perscriptas esse allatum est: qui illuc vsque omnia fecisset quæ Principem & re & nomine Christianissimum decerent, minime judicavit convenire, suum in re tam necessaria, tamque & a se & ab omnibus bonis semper exoptata officium non constare. Itaque qui multo fecisset libentius, si regni negotia id pati possent, hic vt adesset, vbi tot sanctissimos Dei

Sacerdotes divino (vt credi par est) Spiritu afflatos maximis de rebus constituentes videret, quorum in vultu, gestu, oratione acquiesceret: quod proximum erat, Legatos Procuratoresque suos & voluntatis interpretes nos misit cum his mandatis, quæ ego nunc, quando priora illa duo prætervecta oratio est, vniverse tantum summatimque exponam. Spero enim fore, vt posthac sæpe, quoties quidem certe visum fuerit esse opus, de singulis proprie accurateque agendi sit nobis voluntate vestra locus. Vos, quæso, quemadmodum superiora fecistis, hæc quoque pauca benigne attenteque, Patres, audiatis. Hæc est igitur mandatorum Christianissimi Regis summa. Etsi minime is quidem dubitat, quin vos omnia, de quibus convenistis, quæque ab hoc sanctissimo Concilio expectantur, summo sitis studio per vos acturi: a vobis tamen pro sua pietate in Deum, observantia in hunc ordinem, & in populum Christianum vniversum caritate, vehementer petit, vt pacis concordiæque causa, ac ne amplius non solum imperitæ imbecillæque multitudinis, sed quorundam etiam robustiorum, licet lenium, mentes fluctuent, & in diversa ac contraria ferantur, quæ res Ecclesiæ statum perturbet, & tanquam vnitatem abrumpat, de doctrinis ea semel constituatis, publiceque proponatis, quæ omnes vbique Christi fidem professi sequantur, teneant, credant. Nec enim fieri potest, vt aut alia ex re vlla major existat animorum disjunctio, reique publicæ perturbatio, quam ex sententiarum quæ de religione habeantur, dissidio: aut non libentissime omnes assentiantur iis, quæ vos auctore eo qui huic loco præsidet, sanctissimo Dei Spiritu, comprobaveritis. Deinde quum omnia fere Ecclesiæ mala & incommoda ex eo fonte profluxisse multis videantur, quod omnium pene ordinum ministri Ecclesiæ ab illa priscorum temporum sanctitate & innocentia plurimum deflexerint, vix vt tenue ejus vestigium jam appareat: etiam vos rogat & obtestatur, vt vitæ morumque in Ecclesiasticis personis disciplinam acerrima sacrorum canonum norma dirigatis. Ita enim fiet, vt hic ordo, qui prælucere ceteris & ad doctrinam & ad vitæ exempla deberet, nunc autem maximo reipublicæ malo, ob plurimas quorundam labes & maculas, vulgo est despectissimus, longo intervallo pristinum suum splendorem dignitatemque obtineat. Ex quo illud mox consequetur, vt quum tanta jam esse cœperit in hoc ordine auctoritas, quanta esse in moderatoribus magistrisque vitæ debet,

latius se fundat vtilitas: vt quæ in peculiarem Dei populum, id est, eos quos propterea majores nostri Clericos vocitarunt, privatim sanxeritis, eadem valeant in omnes: nullusque jam toto in corpore Ecclesiæ nævus, labes nulla, nulla ruga, quæ quidem sponsum gravius queat offendere, relinquatur. Agitedum ergo, excitamini per Deum immortalem aliquando, Patres, & in caussam tantam, tam gravem, tam necessariam totis pectoribus animisque incumbite: de doctrinis, de moribus ea statuite ac decernite, quæ sapientissimus ille hujus moderator Concilii Spiritus vobis suggesserit, quibus populus omnis Christianus quasi certissimis ab ipso Deo editis oraculis libens pareat. Ea certe vt in Galliis totoque Francorum in Imperio observentur, Christianissimus Rex pro sua pietate curabit. Has sibi ille partes deposcit. Vestrorum ille decretorum curam, patrocinium, propugnationem profitetur. In eam rem omnes regiæ potestatis nervos intendet: gladii etiam, quem a Deo porrectum ad malorum (vt sanctissimus ait Apostolus) vindictam, bonorum vero laudem gestat, vim aciemque (si ita opus sit) experietur. Denique quum tanta esse constet Francorum Regum in Ecclesiam (& præcipue Romanam) merita, quibus majores vestri, summique Pontifices, quæ amplissima habuerunt præmia, semper tribuerint: a vobis hoc postulat, quod est profecto æquissimum, ea sibi vt præmia conservetis, neque quicquam omnino imminui aut mutari patiamini eorum, quorum in possessione, cum ipse ille, cujus ante memini, Ludovicus Pius Caroli Magni filius, tum alii deinceps Francorum Reges, sine vlla dubitatione aut controversia fuerint. Postremo vt omnibus Galliarum Ecclesiis, quarum ipse tutelam a majoribus relictam & commendatam habeat, sua omnia jura, privilegia, immunitates confirmetis. Hæc si feceritis, erit cur & gratias vobis quam maximas vniversi ex Galliis agamus, nec vos ita aut sensisse aut fecisse vnquam pœniteat. Tantæ & tam præclaræ orationi nulla facta est per Synodum responsio.



CAPUT V.

Complures Navarrici Sodales in Academia Rectores & Nationum suarum Procuratores eliguntur. Joannes Gagnæus obiit, & obitus illius deploratur. Joannes Papillio Joanni Gillaino succedit in Collegii magisterio. Henricus II. edictum de modo distribuendorum apud Grammaticorum & Artistarum sodalitia cibariorum facit. Deinde idem Rex in mandatis dat tribus Senatus Consiliariis, vt illi adscitis Hennuierio Regis, & Danesio, Delphini Confessariis, magno Navarræ Magistro, & quibusdam aliis, Universitatem in meliorem statum reducant. Certa quædam non spernenda de Espencæo notantur, & de Picarto, cujus prætertea exequiæ tanto celebrantur cum apparatu, vt sine testibus idoneis vix credi posset. Gallica & Latina illius referuntur elogia, quæ & vrbis Palatium, Robertus Canalis, Gabriel Putherbeus, Gallicus Poeta Renatus Benedictus, & Petrus Rebuffus ediderunt. In danda pauperi veste beatum Martinum imitatur, & nonnihil superat.

ANNO MDXLVIII. *Iacobus du Pré Parisinus, cum triennio ferme juventutem Cœnomanam in secundo & primo ordinibus præceptis Grammatices & Rhetorices imbuisset, Philosophiæ stadium apud Marchianos ingressus, triennio suos in omni Philosophiæ parte erudivit: hinc reginale Navarræ Collegium ingressus, bursa Theologica donatur.* Sic in actis publicis.

Insequenti anno Joannes Gagnæus, primus Regis Eleemosynarius & Parisiensis Cancellarius moritur Nonis Decembris. Joannes Fossa Sammarcellinus viri tanti mortem hoc carmine deplorat.

Quales fundit olor querulus cantator acerbi
Funeris, hic tales fundite nunc lacrymas.
Quales Trojanæ distillant saxa Niobes,
Nunc vobis guttæ mœsta per ora fluant.
Quales Andromache crudeli morte ruentem
Aspersit miseranda Astianacta suum:
Nunc Phaetontiadum questus imitemur in aspris,
Quos iterat mœrens & Philomela rubis.
Namque ferax clari truncavit stamina Gagni
Parca triplex, habita non ratione viri:
Stamina, quæ Phrygiam certe superare senectam
Debuerunt, longos Nestoris atque dies.
Doctrinæ sexcenta suæ monimenta dedisset,
Virtutis nobis lucida signa suæ.
Heu quali orbata jacet mox Gallia! quali
Doctore! heu! quanta incommoda nacta fuit!
Non majus sane olim cepit Græcia damnum,
Nobile cum cecidit pectus Aristotelis.
Quantum præcedit splendentior Hesperus ignes,
Cetera fulgerent sidera fixa polo.
Doctores tantum (nec mentior ipse) priores
Vicit & æquales artibus, ingenio.
Ah! quantum crudele fuit rupisse severis
Sic manibus docti candida pensa viri!
Ignavi vero segnique jacentis in umbra
Vulgi in cervinos ducere parca dies.

Adjungo Epigramma, quod Franciscus Alealmus initio Scholiorum Gagnæi in Evangelia quatuor præfixit anno post illius excessum tertio:

Nil nisi luctus erat, Gagnæum cum invida nobis
Fata peremerunt, ferrea fata virum.
Flebilibus numeris plangebant pectora Musæ,
Dum Gagnæus abest, quem rapuit fera mors.
Ite leves elegi, rediit Gagnæus in auras
Æthereas, reditum tam pia scripta docent.
Hæc sacra sunt Cybiles, Cereris sunt mystice sacra,
Quidquid in his sanctum est, nulla profana latent.

Anno eodem Joannes Gillainus, Navarræ Archidida-

ticibus deponit vitam, & ei Joannes Papillio succedit XVI. Calend. Martii. Ecce diploma regium, quo instituitur: *Henricus Dei gratia Francorum Rex, dilectis nostris Provisori & Bursariis Domus nostræ, seu Collegii Campaniæ, alias Navarræ Parisiis fundati, salutem. Notum vobis facimus, quod nos locum, bursas & magisterium totius nostræ dictæ Domus, quæ nuper obtinere solebat Magister Ioannes Gillain, nunc libera & vacantia per ejus obitum, dilecto nostro Magistro Ioanni Papillon Doctori Theologo, tanquam bene merito, sufficienti & idoneo dedimus & contulimus, damusque & conferimus meritorum suorum & pietatis intuitu. Quare vobis & vestrum cuilibet mandamus, quatenus dictum Papillon ad dicta locum, bursas & magisterium, vt præmittitur, vacantia recipiatis & admittatis, ac de fructibus, juribus & emolumentis a statuto dicti Collegii tali magisterio ordinatis vti & gaudere pacifice faciatis, statutis dictæ Domus inviolabiliter observatis. Datum Parisiis anno Domini* MDXLIX. *die vero* XIV. *mensis Februarii, & regni nostri tertio. Sic signatum, Per Regem, ad relationem Confessoris, Regnaut. & supra, Guiencourt Confessor Regis.*

Anno eodem IX. Calend. Aprilis in Rectorem optatus est Hieronymus Garnerius, qui tum erat e Navarrica Societate Baccalaureus.

Anno MDL. *Lazarus Broichot Eduensis apud Burgundos, secundo philosophatus & Navarricus Bursarius, fit Procurator.* In libro Procuratorum Franciæ.

Anno eodem Thomas Bellus Lingonensis, Navarricus, fit Procurator. In eodem Procuratorum Franciæ libro.

Jacobus Faber optatus est in Rectorem, cum jam Navarræ Theologorum Societati nomen dedisset.

Anno MDLI. pridie Nonas Maii Guillelmus Ruzé, e Navarra Baccalaureus, in Rectorem eligitur. Sic dum munus illud gereret, ejus studio & cura latum est pridie Idus ejusdem mensis a Senatu decretum, quo fixi sunt limites vtriusque Prati Clericorum, cautumque vt ædificia intra fines & limites constructa impensis & sumptibus Monachorum monasterii sancti Germani destruerentur. Sic in tomo VI. Historiæ Universitatis.

Anno eodem Henricus II. ad IX. Calend. Octobris

edicit, ne quis deinceps Gymnasiarcha Grammaticorum vel Artistarum se in distribuenda Scholaribus cibaria interponat, sed eorum disciplinæ & moribus tantum invigilet: seligantur vero alii, qui faciendis & præbendis vnicuique cibariorum portionibus vacent. Edictum Regis ita se habet:

Henri par la grace de Dieu Roy de France, à nostre amé & feal Confesseur ordinaire, Frere Iean Guencourt, Docteur en la Faculté de Theologie, & Abbé de l'Abbaie de S. Georges, sçavoir faisons, qu'aprés avoir fait voir en nostre Privé Conseil certains articles concernant nostre College de Navarre, avons par advis & deliberation des presens d'iceluy nostredit Conseil, dit & ordonné, disons & ordonnons, que dorcsnavant les Principaux, tant Artiens que Grammairiens, ne feront plus les portions des Portionistes dudit College, ains auront seulement regard à la discipline & mœurs des Ecoliers d'iceluy; & au lieu de ce, sera ausdits Principaux pourveu par l'advis de vous & du grand Maître, Proviseur, & deux que deputeront les Boursiers Theologiens dudit College, de salaire raisonnable, selon leurs peines, qualitez & labeurs. Et quant ausdites portions, tant des Artiens que Grammairiens, elles seront faites par celuy que vous & les dessusdits ordonneront, aux charges & conditions qui seront par vous ensemblement advisées pour le bien dudit College. Donné à Paris le 25. jour de Septembre, l'an de grace 1551. & de nostre regne le cinquiéme. Ainsi signé, Par le Roy en son Conseil.

Sic Henricus II. decessorum Regum vestigiis insistit, qui curas & cogitationes suas in Navarræ Gymnasium contulerunt, qui nunquam defuerunt in iis, quæ acre studium & diligentiam pro conservanda Scholæ disciplina desiderarunt. Quæ profecto potuissent aliis videri parva, Regibus visa semper maxima fuerunt. Id nos docet vel vnicum Henrici II. placitum, quod de sanctioris Consilii sententia confectum est. Noverat Rex sapientissimus a minimarum rerum neglectione, maximarum quarumque ruinam sæpenumero impendere.

Anno MDLIII. *Petrus Loret cum aliquot annos in regali Collegio Navarræ juventutem præceptis, cum Grammaticis, tum Rhetoricis, instituisset, fit Procurator.*

Anno MDLIV. *Iosephus Bazot Eduus, post institutam in literis humanioribus Navarricam juventutem, & dimensum in Philosophia stadium, numero Bursariorum Theologorum regalis Collegii Navarræ adscriptus, fit Procurator.* Sic in libro Proratorum Franciæ.

Anno eodem v. Idus Octobris Franciscus Saxanus, e Navarra Baccalaureus, electus est in Rectorem, vt acta Procuratorum Gallicanæ Nationis referunt. Eo Rectore x. Calend. Novembris cum Academiæ turbabantur privilegia, mittuntur ad Regem Sodales duo, Leo Albertus, vir Theologus & disertus, & Nicolaus Sonnerius, Grammaticorum Navarræ Primarius, qui privilegia conservari curarent.

Anno eodem XVIII. Calend. Jan. optatus est in Rectorem Bertrandus Franciscus e Navarra Baccalaureus, qui in actis publicis *vir sapientissimus* appellatur.

Anno eodem *Ioanni Hennuierio, qui Regi erat a confessionibus & eleemosynis, communicatur a Capitulo Parisiensi privilegium bursæ in Collegio Navarræ.* Id tradunt Regesta Parisiensis Ecclesiæ.

In annum MDLV. incidunt, quæ de Francisco Picarto Nicolaus Orlandinus in Historiæ Societatis JESU libro XV. sic narrat num. XLII. *Sed prætermittenda non est Doctoris Francisci Picarti, viri nobilitate & virtute præstantis, vera constansque benevolentia: hic vero sincerus fidelisque animus in fœdis illis turbinibus & cæca nocte Societatis causam publice & vbique sustinere, adversariorumque damnare facta, obluctari omni spe conatibus nunquam dubitavit.*

In annum quoque eundem incurrunt quæ idem auctor de Espencæo, quem Pansam appellat, memoriæ ibidem prodidit num. XLIV. *Cum hoc ipso anno per autumnum Card. Lotaringius Romam venisset, Doctoresque cum eo Sorbonici aliquot, visum est beato Patri hos coram planius edocendos. Itaque apud Cardinalem certo die conventus instituitur. Interfuere Doctores quatuor, Pansa, Sausciera, Brixanteus, & ipse Benedictus, is qui singularum decreti partium inventor ac suasor fuerat.*

Accessere de eadem Societate totidem, Lainius, Olavius, Polancus, Frusius: cumque Doctor Benedictus singula decreti capita cona-

conaretur tueri, ita Patres refutarunt obiecta, illustrarunt obscura, probarunt Societatis causam atque Pontificis; & Lotaringius gravi oratione pronuntiavit, male cognitam habuisse Theologos Societatem, fecisseque permodeste Ignatium ac peramanter, quod eorum placitum neque ad Cardinales, neque ad Pontificem detulisset: quod ipsum nec gravate agnoverunt tres Doctores, nec Benedictus potuit inficiari.

Orlandinus Sorbonicos appellat, quos magis proprie Parisienses appellasset Pansa seu Espencæus: Parisiensis quidem erat Theologus, sed non e Sorbonæ, sed e Navarræ Collegio, sicut & Benedictus, qui Joannes dicebatur. Alii duo erant monachi: vnus Cisterciensis, & vocabatur Hieronymus de la Souchiere; alter Benedictinus e monasterio sancti Dionysii in Francia, & consociatus Navarricis, vt eorum acta publica confirmant: is nuncupatur Crispinus Brichanteau, ex antiqua & nobili Brichanteorum familia.

Anno eodem Jacobus Augustus Thuanus in libro XVI. Historiæ de Espencæo tradit nonnulla quæ hic prætermittenda mihi non videntur: *Sub exitum anni (MDLV.) statuto tempore Pontifex creat Cardinales.* Et quibusdam interpositis: *Etiam de Claudio Espencæo Parisiensi Theologo, & Ioanne Casa, qui Pontifici ab epistolis erat, in Cardinalium Collegium cooptandis, tunc actum. Utrumque commendabat generis nobilitas & doctrina, quamvis diversa. Nam alter Theologicis studiis innutritus in professione sua consenuerat; alter eloquentia atque eleganter Etrusce ac Latine scribendi peritia, vel cum antiquis comparandus, magna negotia sub Pontificibus summa solertia gesserat. Sed longe dispares vtriusque mores erant, cum ille sanctitatis vitæ ac morum castitate præstaret, hic sæculi licentia ac loci, in quo degebat, libertate vsus, solute fere vitam egisset. Itaque ab æmulis vterque apud Pontificem delatus: Espencæus quidem, quod quædam perperam inter concionandum de aurea, quam vulgo appellant, Legenda locutus, cum ferream potius vocandam esse contenderet, postea publice recantare coactus esset, quod & a Ioanne Sleidano memoriæ proditum est: alter quod etiam carmine rem nefandam in juventute laudasse diceretur. Sicque ob diversas longe causas vterque ab eadem dignitate summotus est.*

Espencæus de Legenda aurea non alia concionatus est, quam quæ Melchior Canus anno MLXII. scripsit in libri XI. de locis capite VI. *Nec ego hic libri illius auctorem excuso, qui Speculum exemplorum inscribitur, nec historiæ etiam ejus, quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi & prudentis.*

Anno MDLVI. ad VII. Idus Januarias Henricus II. Academiam instaurare, & quæ in ea corrigenda forent, corrigere statuit. Quod vti commode faceret, cum ex Senatu, tum ex ipsamet Academia selegit multos, qui in doctrinam & mores Scholarium & Magistrorum inquirerent, & ad Regem sincere & candide referrent. In hoc negotio ex Facultate Theologiæ non comparent nisi Sodales Navarrici, Joannes Hennuierius Regis Confessarius, Petrus Danesius Francisci II. Delphini Confessarius, & Joannes Pellerarius Navarrici Collegii Archididascalus.

Diploma Regis est ejusmodi: *Henri par la grace de Dieu Roy de France, à nos amez & feaux MM. Arnaud du Ferrier, Nicole Prevost, Presidens és Enquestes, René le Fevre & Iacques Verjus, Conseillers en nostre Cour de Parlement de Paris, & aux deux de vous, & à nos Advocat & Procureur general d'icelles, ou l'vn d'eux, salut & dilection. Nous deuëment informez des fautes & autres cas, qui ont esté ci-devant & sont encore chacun jour commis en nostre Université de Paris, tant en l'instruction & erudition des enfans, que façon de vivre, administration & autres choses, dont sont advenus & adviennent journellement plusieurs scandales & embarras de tres-mauvais exemple. A quoy pour la consequence & importance d'iceux soit requis & necessaire pourvoir, & le tout reformer, & y donner certain bon ordre. Nous pour ces causes à plein confians de vos soins, suffisance, prudhomie, dexterité, legalité, experience, bonne diligence, vous avons, ou les deux de vous, commis & commettons, & vous mandons & tres-expressément enjoignons, que appelliez nos amis & feaux MM. Hennuier nostre Confesseur ordinaire, Pierre Danés Confesseur de nostre cher & tres-amé fils le Dauphin, l'Abbé du Val, le grand Maître du College de Navarre, M. Iean Quintin Chapelain, &*

Flexilles, Docteurs en Medecine, & l'vn d'eux en l'absence de l'autre, & M. Pierre Galladius, Principal du College de Boncour, & Pierre de la Ramée, Principal du College de Presles, vous vous transportiez en ladite Vniversité, & particulierement en tous les Colleges d'icelle. Parlez & vous enquerez avec les Principaux & autres qui ont la charge des Colleges, de la façon & maniere de vivre desdits Colleges, vous faites exhiber les fondations & établissement d'iceux; & neantmoins informez des abus & fautes & tous autres cas qui se y font & commettent, & des remedes qui se y pourroient donner, pour bien reformer ladite Vniversité & faire vivre les Maistres & habitans d'icelle, sans qu'il y soit commis aucun abus, scandale, ne autres cas, que en toute vertu & honnesteté, comme il est requis vivre en vne Vniversité: & sur tout baillez & nous envoiez vostre advis, pour icelui veu, estre pourveu à ladite reformation, le plus promptement & en la meilleure forme que faire se pourra. De ce faire nous avons donné & donnons plein pouvoir, autorité, commission & mandement special par ces presentes, car tel est nostre plaisir, nonobstant quelconques Edits, Ordonnances, restrictions, mandemens, défenses & lettres à ce contraires. Mandons & commandons à tous nos Officiers, Iusticiers & sujets, que à vous, ce faisant, obeissent & entendent diligemment. Donné à S. Germain en Laie le 7. jour de Ianvier 1556. & de nostre regne le dixiéme. Signé, Par le Roy en son Conseil, de l'Aubespine; & seellé de cire jaune en simple queuë.

Anno eodem xv. Calend. Octobris ad superos abiit Lutetiæ Franciscus noster Picartus, quem scriptores multi justissimis laudibus commendarunt. Sed imprimis videndum quanto cum apparatu celebratæ fuerint viri tanti exequiæ: id memoriæ mandatum est in libro Rituali quem habet vrbis Palatium. Verba sunt: *Le Ieudi dix-septiéme jour de Septembre 1556. noble & scientifique personne Maistre François le Picart, sieur d'Atily en Brie, Docteur en Theologie & Doyen de saint Germain de l'Auxerrois, trespassa au logis de ladite Doyenné à quatre heures du matin, lequel a esté autant plaint du bon peuple de Paris, qu'homme qui mourut y a cent ans, pource que ledit défunt avoit employé toute sa vie à faire quotidiennes leçons & saintes predications, enseignant la verité*

Evangelique & sincere doctrine Catholique, tant en cette ville de Paris où il a pris naissance, que ailleurs, par l'espace de trente ans & plus, pour lesquelles soustenir, a souffert plusieurs tribulations, mesme longue prison à saint Magloire. Et l'avoit ledit peuple en telle reverence, qu'il estoit estimé l'vn des plus beaux miroirs d'exemplarité de vie & de doctrine qui fust en ce Royaume, ennemi des heresies & fausses doctrines, & vray pilier de la Foi, qui a esté vn grand dommage à la Republique Chrestienne: parquoi sondit trespas, convoi & obseques ont esté fort honorables. Et a esté porté de ladite Eglise de saint Germain de l'Auxerrois au Convent des Blancs-Manteaux, où il a esté inhumé avec son pere, comme il ensuit.

Premierement trois ou quatre heures aprés son trespas, fut ouvert, & son cœur tiré de son corps, & mis ensemble au milieu de la court de sondit logis, enveloppé sur beau drap, le visage découvert, & les mains jointes; & de toutes les parties de la ville & fauxbourgs de Paris chacun le venoit voir. Et ceux qui l'avoient connu & oüi ses predications, pleuroient fort piteusement, & faisoient grands regrets de l'avoir perdu en ce monde; & les pauvres & simples gens qui consideroient sa sainteté de vie & de doctrine, faisoient toucher à ses mains leurs livres & patenostres.

Et environ cinq heures du soir, que toute la semonce fut venuë, fut porté ledit corps dedans ladite Eglise, & voulurent les Chanoines d'icelle Eglise avoir ledit cœur; & en chantant hymnes & chants funebres & piteux, enterrerent ledit cœur au chœur de ladite Eglise de saint Germain.

Puis marcherent devant les Crieurs de corps en grand nombre vestus de deüil, ayans chacun deux Ecussons, l'vn devant & l'autre derriere, où estoient peintes ses Armes qui estoient d'azur sur vn lion rampant d'or, & sonnoient de leurs sonnettes ou clochettes en la maniere accoustumée.

Aprés marchoient les Enfans de la Trinité en grand nombre, tous nuds pieds, tenans chacun vne chandelle ou cierge ardent à la main.

Aprés marchoient les Cordeliers jusques au nombre de trois cens ou environ.

Aprés les Iacobins. Aprés les Augustins. Suivoient les Carmes, & avoient chacun desdits Mendians deux torches armoriées

comme dessus, pour accompagner leur Croix.

Aprés marchoient vingt-quatre pauvres portans chacun une torche ardente garnie d'écussons aux Armes dudit défunt.

Aprés marchoient les Religieux des Blancs-Manteaux.

Aprés marchoient d'un costé de la ruë grand nombre de Docteurs en Theologie, tant Religieux que Seculiers, & le Doyen de la Faculté, accompagnez de leurs Bedeaux & Officiers, lesdits Seculiers portans leurs chappes fourées. Et de l'autre costé les Chanoines de saint Germain de l'Auxerrois, chantans & prians Dieu pour ledit défunt.

Aprés marchoient plusieurs Docteurs & Bacheliers, qui portoient ledit corps découvert, comme dessus.

Aprés suivoient Messieurs les Presidens & Conseillers de la Cour de Parlement vestus de robes noires.

Aprés suivoient Messieurs des Comptes vestus comme dessus.

Aprés marchoient Messieurs le Prevost des Marchands & les Eschevins de ladite ville vestus comme dessus, accompagnez d'aucuns Archers, pour faire serrer le peuple.

Aprés marchoient les Freres dudit défunt vestus de robes longues de deüil, portans épées dessus en signe de leur noblesse.

Aprés suivoient grand nombre de notables Bourgeois de tous états de ladite ville. Et ainsi allerent jusques à ladite Eglise des Blancs-Manteaux, où ledit corps fut ensepulturé en la nef devant le Crucifix de ladite Eglise.

Et y avoit si grand nombre de peuple par les ruës où ledit corps passoit, pour le desir qu'on avoit de le voir pour la derniere fois, qu'à grand' peine pouvoit-on passer.

Et le lendemain fut fait son Service en ladite Eglise des Blancs-Manteaux, avec le Sermon funebre à sa loüange.

Nunc audiendi sunt auctores, qui Franciscum Picartum commendarunt. Robertus Cænalis, ex Parisiensi Theologo Abrincensis Episcopus, in libro qui sic inscribitur: *Opus quadripartitum super compescenda hæreticorum petulantia.* Adscribo verba:

Paralipomenon primum, in quo felicis memoriæ domini Francisci Picarti non infestivum celebratur encomium.

Visum est cuidam anonymo verba interserere, quibus oblique celeberrimi viri non ante multos hos dies vivendi munere defuncti

memoria collisa videri posset, quod scilicet pantomimus iste nebulo & verba & gestus viventis effingeret ad hunc pene modum: O sancta Maria, o Mater Dei, o bona Domina, defende nos, vindica nos, intercede pro nobis contra hujus ridiculi capitis scurrilitatem. Commodum se offert non futile prorsus viri hujus nunquam satis laudati encomium obiter a nobis editum, pusillum illud quidem, si ad ejus de quo ad præsens agitur, merita respicias.

Id qualecumque est, humanissime lector, pro tua erga eum humanitate boni consulito, sic enim fiet, vt opposita invicem collata magis elucescant. Iocatur, vti jam dictum est, gesticulator anonymus ridicula quadam verborum allusione in Picartum, jam vt videat in quem impegerit hæc simia lapidem: opportunum visum est illi statuere ob oculos, quod mox sequitur encomium. Sic enim fiet, vt quam ridiculo suo scommate in lucem edito accepit delectationem, viri hujus audita commendatione, confestim amittat, ac sic virtutem videat, contabescatque relicta.

Encomium domini Francisci Picarti celeberrimi Ecclesiastis ex Ecclesiastici capite 31.

Viri nostra ætate heroici D. F. cognomento Picarti, ordine & origine Doctoris Parisiensis, Sangermanici Sodalitii ad Sequanæ fluenta Decani, adversus anonymos quosdam Picardomastiges.

APOLOGIA.

Quis est hic? Hic, inquam, declamatorum in fide & moribus Scipio, ac pugil indefessus, inimitabilis athleta, Picartus cognominatus, & laudabimus eum, etiamsi medii rumpantur hæretici: vt sit eadem quæstio & responsio vno tantum superante vocabulo.

RESPONSIO.

Est hic, hic, inquam, est, cui illud aptissime competit Ecclesiastici 31. Beatus vir merito appellandus, qui nihil minus quam se beatum, dum viveret, agnoscebat, sciens quod vltima sit semper expectanda dies homini, dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet. Scriptum enim est & sententia ineluctabili definitum, sacræ videlicet Scripturæ oraculo: In fine hominis denudatio operum illius, & bonorum laborum gloriosus est fructus. Quid plura? Qui perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit. Lauda (ait ille, quisquis est) nautam, cum attigerit

portum. Lauda militem, aut militiæ ducem, sed cum venerit ad triumphum. Ceteris enim pugnantibus virtutibus, & in arena media certantibus, una perseverantia accipit bravium. Merito itaque dicetur beatus vir, sed multis de causis. Primum quod multis agitatus molestiis punctim cæsimque, cominus & eminus, a fronte impetitus & a tergo, nonnunquam relegatus, ac publico præconio traductus, inventus est tandem sine macula, adeo ut obvius (quod dici solet) ulnis exceptus fuerit ab his qui eum deprimebant, Christi Domini sententiæ non immemor: In patientia vestra possidebitis animas vestras. A cujus modestiæ semita ne latum quidem unguem discessisse visus est, aut auditus. Ad ejus beatitudinem accessit, quod post aurum non abierit, sed ne minimo quidem nutu conniventiave. Alioqui in proclivi erat, ut assequeretur Patrum in Ecclesia purpuratorum clarissimum ordinem cælo & terra testibus. Sed neque sperare dignatus est in pecuniæ thesauris. Nam cum non habeat unde suum paupertas pascat amorem, supellectile annuisque reditibus locuples: si tamen in eam partem inclinare voluisset, nihil illi deerat ad delicias aut assequendas aut fovendas. A quo instituto tantum aberat, ut qui maxime. Iam ergo videmus quisnam ille fuerit. Quid obstat quominus laudemus eum? Cum ergo talis ac tantus ipsius etiam vulgi non tantum præconio, imo & irrefragabili indicio, nemino ad id instigante, compertus fuerit, sceleris arguemur, si non laudaverimus eum: cum nobis ad manum sit, imo & supersit hujus encomii amplissima occasio. Sequitur enim ex textu: Qui potuit transgredi, & non est transgressus; felici semper mediocritate contentus, illud habens in digitis: Faciunt mediocria tutum. & id præterea: Inter utrumque vola, medio tutissimus ibis: ne si dimissior ibis, unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat. Quodque magis mireris, potuit facere mala, & non fecit. Poterat enim levi manu de æmulis aut hostibus apertis præsentem sumere vindictam, & dentem dente procaci rodere. Ad quæ omnia factus est sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones. In his tam raris virtutum exemplis, quis tam vecors aut stupidus, qui, ut, ne dicam, non laudet, imo vero non admiretur eum ob ea quæ dicta sunt, atque alia in quibus enarrandis dies ipse deficeret, cessante omni livore, (pascitur enim in vivis livor, post fata quiescit) nisi quis sit tigride sævior omni.

Id perorationis vice sequitur: Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Eleemosynas dico, non tantum quas e suo peculio largitus sit, imo vero quas apud viros pios & probos impetravit: sed & spirituales in Verbi divini per universam Galliam disseminatione abunde effudit ac disseminavit, stentoria (quod aiunt) voce, seu (si mavis) publico celeusmate enarravit omnis Ecclesia Sanctorum. Hæc dicta sint, ut obtundantur ora loquentium iniqua. Nos vero qui residui sumus cessantes & otiosi, ad altiora tendamus. At contra, si cui forsan isthæc displicebunt, illum cæpas edere jubebimus, & (quod dici solet) oderit dum metuat: nisi mentem Dominus inspiret illi saniorem, qui est semper & super omnia benedictus in sæcula.

Hæc tametsi cuivis non pessime affecto plausibilia sint, promptamque fidem (si modo quis candidum pectus attulerit) facile invenire queant, hic nihilominus nobis considerandum erit, quod apud sapientem legitur: Nemo scit an amore, an odio dignus sit. Sed omnia in futurum servantur occulta. Iudicia enim Dei abyssus multa. Ob eam sane causam sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis solvantur. Idque in omnem eventum. Nam vel hic noster, de quo ad præsens agitur, venerandæ memoriæ Picartus, regnis cælestibus fruitur. Cum nemo nesciat, quod gloria non tollit benevolentiam, imo verius auget: illud restat, vt oratio mea in sinum meum convertatur. Sin vero apud æquissimum judicem, non satis respondentem commissis a se piaculis persolverit pœnam: nunquam tamen vbi quis in ejus gratiam pias & Christiano homine dignas preces effuderit, credendum est, accepti beneficii futurum immemorem. Nemo enim, etiam apud nos, tam inofficiosus creditur & excors, vt beneficii non recordetur accepti: quanto minus apud eos, qui videntem omnia vident? sicque expectanda erit, non sine ingenti fœnore antidora, ab eo præsertim, qui hujusmodi gratiam refundere & velit & possit. Id quod futurum nobis facile persuademus, cum scriptum legatur in antiquis, de majoritate & obedientia cap. 1. Hanc sibi legem ingenui animi nobilitas imponit, vt nihil se præstitisse putet, nisi in refundenda gratia superior evaserit. Mortuus quidem est, sed quasi non sit mortuus. Reliquit enim multa post se gratitudinis insignia, quibus amicis & velit & valeat reddere gratiam, quæ plurimum momenti habeat ad assequendam

suo

suo tempore, quam omnes a Deo ac superis omnibus sperare debemus gloriam.

Ad Picarti vocabulum allusio,

PICA ARDENS ET LUCENS

FRANCISCUS PICARTUS.

Pica fuit, sed quæ dicenda silendaque norat,
Gallus item crista conspiciendus erat.
Pica ardens: pennis renitens, & voce canorus
Psitacus, & cantu suavis & eloquio.
Pica loquax, surdæque auri plerumque molesta,
Utilis illa tamen candida felle carens.
Candidior cygno, nec segnior ipsa volatu
Herodio: occentrix funeris ipsa sui.
Ardua sublimi transcendens sidera cursu,
Nec dejecta minus, quin patiens, humilis.
Denique
Pica ardens Picartus erat fulgore corusca,
Candore & niveas exuperans volucres:
Qui nulli nocuit, qui cunctis profuit, unus
Ex animo cunctis omnia factus erat.
Inter læta humilis, interque adversa paratus,
Nulli non hilaris, promptior & facilis.
Quisnam igitur tam atheus fuerit, tam numinis expers,
Qui sævo hoc tentet rodere dente caput?
Proinde
Usque late, lucemque pave, sæve, impie & excors,
Iam tandem rabidam comprime sævitiem.

Vale, lector, quisquis es: si pius, æquanimiter sustine, si impius, nolens volens, abstine.

In pseudographum quendam anonymum sola nominis obscuritate nobilem, inque barbaricis suis sordibus plus satis lascivientem, qui mentito nomine sacri Theologici in universum Sodalitii appellationem usurpavit, ex bono & æquo conflata animadversio.

Hæc Robertus Cenalis, cui succedit Gabriel Putherbæus, Fontis-Ebraldi Monachus, in suo de Francisci Picarti

tumulis libello, quem Hieronymo Picarto viro docto & pio inscripsit : *Nudiusquintus*, inquit, *cum Lutetiæ domi nostræ a prandio de domino Francisco Picarto demortuo tibi, patruele, colloqueremur, tandem institui mecum agere, epitaphium illi & tumulum vt scriberem. Parvi roganti, quidni? homini amicissimo, tam æquissima poscenti? Equidem, mi Hieronyme, domino (Francisco Picarto) plurima & debeo, & debui, & multo plura volui semper debere, atque adeo debuissem, nisi sors mihi tam cari capitis, tamque pii viri diuturniorem consuetudinem invidisset. Et quoad ejus facere potui, illius congressu vsus sum. Nam Lutetiam vbi appuleram, continuo etiam ocreato adhuc mihi via carpebatur ad eundem patruelem tuum, cum quo si quis vel de munere meo, vel de sacris Scripturis gryphus dignusque vindice nodus inciderat, familiarissime commentabar. Atque interdum etiam cum nihil admodum quod vrgeret, de rebus ipsius sermo nobis habebatur. Et, o Deum immortalem! quam integer mihi vbique apparuit, sive privatim consuleretur, sive in corona frequentissima, cum populo illi res esset, sive amice inviseret, aut exciperet! quam purus omnis sceleris! quam alienus ab his affectibus, quibus hodie videmus tot vsque ad publicam omnium nauseam inquinatissimos, nihil prope loquentes ad veritatis perpendiculum, ceterum omnia ad voluptatem & gratiam homuncionum quorundam & mulierculárum referentia, vereque, vt voce Græca dicam, γλωσσογάσορας, neque se interim absque incredibili simpliciorum, & minime malarum mentium detrimento! Adeo perduravit in hæc vsque exulceratissima tempora, miseranda fæx hominum, de quibus sanctus Paulus olim dicebat : Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. item & hæc : Multi ambulant, de quibus sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico : Inimici crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter & gloria in confusione ipsorum, qui terrestria sapiunt. Verum quoniam & isthæc proclivius est deplorare, quam emendare, & hi φίλαυτοι nimiumque de se meriti homines, sic hodie plane triumphant, vt in eorum auxilio cardo rerum volvi videatur. Agedum, mi Hieronyme, incumbamus gnaviter in eam quæ nobis commendata est provinciam, & pro virili spartam, quod dicitur, quam nacti sumus, ornemus, hoc est, de omnibus, quatenus per Dei misericordiam,*

& iniquitatem horum temporum licebit, bene mereri pergamus, conscientia nostra freti. Edidi ergo aliquot tumulos, quibus pro eo ut debui, & quid sentirem sciremque de patruele tuo, diserte & citra assentationem ostendi, & meam in illum tam multis nominibus bene de me meritum, fidem, observantiam & amicitiam omnibus testatam esse volui. Hos ad te mittimus. Bene vale, Hieronyme, animo meo carissime, & me Christo precibus tuis commenda. Ex nostris ædibus apud altas Tamaricas ad 12. Calend. Novembris 1557.

Tumulus domini Francisci Picarti Doctoris Theologi.

Viderat atque animo lustrarat cuncta Picartus,
Quæ terra aut orcus, vel polus altus habet.
Despexit terram, causas exhorruit orci,
In solo fixit spemque animumque polo.
Hic cum perpetuo vita ac sermone doceret,
Lætus in optatum transiit ipse polum.

Alius.

Exanimem quæris, quid sit quod turba Picartum
Sequatur & mœsta & frequens,
Quod plenis conferta viis contingere certat
Libitinam & ipsa feralia.
Scilicet hæc eadem viventem turba secuta est,
Implevit ædes & sacras,
Ex ipso verbumque Dei, verbumque salutis
Hauriret ut avidissime.

Alius.

Dum vixit triplici ordini Picartus
Imprimis hominum usui fuit. Nam
Si rectam aspicis fidem, quis illo
Aut peritior in fide docenda?
Aut felicior in fide fovenda?
Aut alacrior in fide tuenda?
Sin quod attinet ad populum docendum
Spectes, quis popularis, quis
Acres hoc ævi magis excitavit ignes?
Quis plures stimulos amoris erga

Christum in pectore fixit ac reliquit
Omnium prope? quotquot audiere
Æstu miro animi & calore semper
Loquentem? Atque inopum, obsecro, quis unquam
Causam fortius egit? aut egenis
Vel sumptum magis sufficì sategit?
Vel benignius adfuit gravatis?
Vel prolixius ex suo rependit?
I nunc, & stupeas velut phalanges
Condensi populi ex Lutetia omni,
Ingens qua patet, advolare, & ipsum
Fletu sandapilam irrigare longo.

Alius.

Clama, ne cesses, sibi dictum audiverat usque,
Clamans vivere desiit.
Regna, ne cesses, jam audit novus accola cæli,
Ergo desiit & mori.

Alius.

Quis jacet hic, quæris singultibus & lacrymis &
Quæstu: me resovent omnia, quære, scies.

Alius.

Si nescis, pie lector, hic quiescit
Ille vir bonus, integer, rotundus,
Primæ vir pietatis atque summæ,
Virtutum assiduus comes, patronus
Verarum, atque adeo satelles acer,
Picartus, populi Lutetiani
Amor, deliciæ, salus, asylum,
Et porro salus omnibus juvandis,
Doctor optimus, optimusque Pastor,
Famæ non minus integræ atque magnæ,
Hic, hic scilicet hic quiescit ille,
Ille vir bonus & pius Picartus.

Alius, ubi loquitur.

Oderam mundum, mihi nulla carnis
Cura, sed cæli fuit una, liqui
Illa: jam cælo Domini favore
Vivo in amato.

Gabriel Putherbæus Hieronymo Picarto.

Non periisse potest, qui sic, Hieronyme, vixit,
Sic docuit, verbi sic operisque potens,
Per quem plebs toties, Salva nos, Christe, perimus,
Dixit, & ad Dominum corde reversa suum est.
Cui debere hominum tot se nostro orbe fatentur
Millia, quod vivunt, nec periere Deo.
Si periit, vita nos & sermone fefellit,
Si periit, pereant millia multa hominum.
Sed vivit, vitamque aliis quam suasit & vnam
Expetiit, noster jure Picartus habet.

Eidem.

Hæc scribebam in obitum domini Francisci le Picart, viri ita, me Deus amet, bonis omnibus desideratissimi, de cujus tam absoluta cum Beatis quiete, quantum humana conjectura assequi possumus, exacta per illum vita nihil nobis dubitandum reliquit. Tamen quoniam hic nihil admodum certum, & præjudiciis sese suis fere fallit tenebricosum genus hominum, accipe & hoc, Hieronyme doctissime, pro coronide.

Si qua fides vitæ, doctrinæ debita si qua est,
Iam frueris Christo, care Picarte, tuo.
Si superest pœnæ quicquam tibi forte luendum,
Hoc precibus nostris det meritisque tuis.

Putherbæum excipit Gallicus Poeta, qui nobilis ac venerabilis viri Francisci Picarti Doctoris Theologi & Ecclesiæ sancti Germani Autissiodorensis Decani, obitum sequenti carmine deploravit.

Si vous avez jamais eu le souci
De deplorer la mort d'vn personnage,
O vrais Chrestiens, c'est à cette heure-ci
Que vous devez gemir d'humble courage,
Et avec moy vous plaindre de l'outrage,
De mort cruelle, helas! qui fait mourir
Ce grand Docteur, la perle de nostre âge,
Qui tant faisoit sainte Eglise florir.
Las! c'est Picart qui a sceu secourir
Aux dévoyez par Sermon salutaire.

Las! c'est Picart indigne de perir,
Dont les vertus jamais on ne doit taire:
C'est le Docteur ennemi d'adultere
Et d'heresie, ami de verité,
Docteur qui tant vous estoit necessaire,
Pour vous prescher chrestienne charité.

O mort cruelle! as-tu l'autorité
De renverser ce Docteur à l'envers,
Dont le Sermon plein de maturité
Convertissoit les mêschans & pervers?
Plorez, plorez, plorez états divers,
Nobles, Bourgeois, exerçans marchandise,
En écoutant ces lamentables vers:
Plorez ce seur pilier de sainte Eglise.

Plorez celuy qui preschoit sans feintise,
Arrosez tous son tombeau de vos pleurs:
De charité c'estoit la fleur exquise.
Doncques changez vostre joie en douleurs.
Plorez la fleur passant toutes les fleurs,
Fleur des Docteurs sçavans & Catholiques:
Plorez ce mort pour ses hautes valeurs,
Qui tant faisoit d'obstacle aux Heretiques.

Que dis-je, helas! estre melancoliques,
Il ne convient: car le Dieu supernel
Met son esprit aux nombres angeliques,
Luy preparant le nectar eternel.
Il a laissé ce monde criminel,
Pour contempler en soulas perdurable,
Ce qui ne tient rien de plaisir charnel:
Donc appaisez vostre deuil lamentable.

Il ne craint plus la mort épouventable,
Il vit sans fin, & de son haut sçavoir,
Qu'il annonçoit par sermon veritable,
Il va au Ciel salaire recevoir.
Ores il peut celuy en face voir,
Qui Terre & Ciel divinement domine:
Il ne voudroit la vie humaine avoir,
Dieu l'a orné de couronne divine.

A ſon exemple, en Dieu chacun chemine:
Car ce Docteur vous monſtroit les ſentiers
Du Tout-puiſſant qui les cœurs illumine.
Pour les Chreſtiens du Ciel rendre heritiers,
Ce bon Docteur eut les zeles entiers,
En charité, preſchant la connoiſſance
Du vrai ſalut, annonçant volontiers
De l'Eternel l'invincible puiſſance.
Doncques, afin que d'ingrate oubliance
Ne ſoit terni le nom de ce Docteur,
Par cét écrit ayez tous ſouvenance
Des grands vertus de ce défunt Paſteur.
Chacun de vous ſoit annonciateur,
De ſon renom éterniſé de gloire:
Car mort le corps d'vn tel Predicateur,
De ſa bonté ne mourra la memoire.
Afin qu'il ſoit aux ſucceſſeurs notoire,
Comme il receut l'honneur de ſepulture,
O vrais Chreſtiens, pour perdurable hiſtoire,
Adjouſtez foy à ma triſte écriture.
Dés que la mort épouventable & dure,
Se preſenta à luy, pour le ſaiſir,
Mon Dieu (dit-il) de ta volonté pure,
Soit accompli ſaintement le plaiſir.
Aprés ces dires, en fidele deſir
De contempler du Createur la face,
Laiſſant le monde où giſt tout déplaiſir,
Ce bon Docteur expire en peu d'eſpace,
Ayant receu la ſupernelle grace.
De ſon treſpas le bruit trop entendu,
Par ſes parens (qui preſens furent à ce)
En vn cercueil ſon corps fut étendu.
Luy qui avoit toûjours l'honneur rendu
Au ſupernel Redempteur de nature,
Luy qui avoit ſon renom épandu,
Edifiant l'humaine creature,
Preordonna (voyant ſa fin future)
Qu'à ſaint Germain de l'Auxerrois fuſt mis

Du corps ouvert le cueur en sepulture,
Accompagné du deuil de ses amis.
En nombre grand hommes furent commis,
A son tresspas, par façon ordinaire,
En habit noir à tristesse soûmis,
Portant en main torches & luminaire.
Puis des Docteurs la troupe debonnaire
Presente estoit à son enterrement,
Suivant le corps que la mort peut défaire:
Mais l'esprit vit perpetuellement.
Aux Blancs-Manteaux fort honorablement
Fut enterré ce Docteur venerable,
Où ses majeurs sont anciennement
Ensevelis en renom honorable.
De tous Etats compagnie loüable
Y assista par vn piteux devoir,
Mesmes plusieurs Abbez de nom loüable,
Qui du défunt reveroient le sçavoir.
Vous eussiez pu en fort bon ordre voir
Religieux de diverse vesture,
(Lesquels on doit en reverence avoir)
Accompagnans le corps en sepulture.
Bref, il fut plaint de toute creature,
D'vn tel Docteur regrettant le trespas,
Qui enseignoit la divine Ecriture:
Mort est son corps, son renom mort n'est pas.
Tous ses parens le suivoient pas à pas,
Monstrans vn deüil, qui le cœur poingt & serre,
L'esprit duquel prend au Ciel son trespas,
Le foible corps prend sepulture en terre.
De toutes parts peuples couroient grand erre,
En regretant ce personnage saint,
Dont les Sermons au vice avoient fait guerre:
Car son cueur fut de toutes vertus ceint.
Le peuple en fit vn deüil triste, & non feint,
Et non à tort : car si sainte personne
(Qui en son cueur tout crime avoit éteint)
Donnoit à tous vne ouverture bonne

De

De charité & de benignité,
Dont l'on acquiert l'eternelle couronne,
Comme il a fait aux lieux d'eternité.
O Paris noble & illustre Cité,
De ta douleur la cause est bien aperte,
Diminuée est ta felicité,
Puisque tu vois d'vn tel Pasteur la perte.
Mais encor plus la douleur est ouverte
A ses benins & tant nobles parens,
Ausquels estoit la vertu découverte
De ce Docteur plein d'honneurs apparens.
Vous ses prochains & amis demourans,
Aprés celuy Docteur saint & fidele,
Et qui n'estoit du rang des ignorans,
Dont il vivra en loüange immortelle:
Ne plorez plus, la puissance eternelle
L'a voulu prendre en l'âge florissant,
Pour luy donner gloire sempiternelle,
Qui est promise à l'homme obeïssant.
Comme vn Iacob aimant Dieu Tout-puissant,
Avec les siens il ordonna sa Tombe.
Vous qui lisez cét écrit gemissant,
Impossible est qu'eau de vos yeux ne tombe.
Il n'est vivant qui à mort ne succombe:
Celuy qui eut l'esprit saintement beau,
Et qui fut plus benin qu'vne colombe,
Laissa son corps sous ce triste Tombeau.
Vous qui avez le celeste flambeau,
De charité benigne & amoureuse,
Et qui avez imprimée au cerveau
La verité du Sauveur savoureuse,
Ensuivez tous cette personne heureuse,
En rejettant les erreurs à l'écart,
Et ensuivez la voye plantureuse,
De ce Docteur venerable Picart.

Poetæ huic succedit Renatus Benedictus Parisiensis Theologus, in epistola ad Catholicos & constantes Christianos Parisienses, quæ Francisci Picarti Sermonibus

præfigitur : hæc referenda esset tota, nisi nimis longa foret. Quæ magis ad rem faciunt, breviter decerpam : *Dieu luy avoit communiqué vn riche tresor, tant de sa grace, que de la sincere connoissance de la Foy & Religion Chrestienne, duquel il a par saintes & chrestiennes Predications tant enrichi cette noble, excellente & chrestienne ville, qu'elle a esté au temps de la tempeste, le rocher, & est encore, & esperons qu'elle demeurera toûjours la sauve-garde & refuge du Roy tres-Chrestien, & de tout son Royaume.* Et paullo post : *I'ai reconnu dans ses livres le stile, la phrase, la maniere de dresser vn Sermon, & le zele ardent pour l'avancement des Chrestiens en la vraie Foy & connoissance de* JESUS-CHRIST, *que je sçavois avoir esté en ce docte & vertueux personnage.* Et paullo post : *I'y ai senti l'ardeur de la Foy & le zele du salut de tous, que j'avois assez connu estre en ce saint personnage.* Et paullo post : *Ie considerois qu'il estoit autant familier & populaire Predicateur, que je pense jamais avoir esté à Paris, encore qu'il traitast choses grandes. Car luy qui ne preschoit par ostentation, ains se dedioit du tout à l'edification du peuple, disoit quelquefois des choses, que avec difficulté plusieurs jugeroient qu'il auroit dites, ou bien les moqueroient, s'ils ne consideroient que la prudence d'vn excellent Predicateur est de s'accommoder à la capacité des auditeurs.* Et paullo post, vbi de Sermonum Picarti conservatione loquitur : *Ie pense que le semblable a esté fait à l'endroit de ce saint & vertueux personnage Monsieur nostre Maistre François le Picart, lequel au jugement de tous ceux qui l'ont connu, ayant mené vne vie chrestienne & irreprehensible, & ayant edifié l'Eglise de* JESUS-CHRIST *par la predication de la parole de Dieu, autant que l'on sçauroit demander estre fait d'vn vray Pasteur & Docteur, Dieu n'a voulu sa memoire estre éteinte, ou mesme amoindrie par son decés, ains beaucoup plus augmentée, veu que luy vivant, estoit oui en vn lieu seulement, mais à present par ses œuvres il sera connu & entendu par toute la Chrestienté, tous desirans estre participans de la parole, douceur & instruction du saint Esprit, laquelle est receuë & prise en la leçon de ses livres. Nous lisons plusieurs villes de la Grece avoir long-temps esté, & estre encore en dispute & debat pour le Poëte Homere, à cause de la gloire qu'ils pensent estre & redonder au*

païs d'où il est. Vous avez bien ici vn plus grand Homere; car au lieu d'vn fabuleux, menteur & vain jappeur Poëte, vous avez vn excellent, vertueux & sçavant Docteur chrestien: Docteur, dis-je, non pas estant sans doctrine, ou de nom & de titre seulement, ains docte, & qui a enseigné tout le temps de sa vie: Docteur, dis-je, non ignare, inutile & paresseux, cachant damnablement le talent receu de Dieu, ains courant çà & là, pour, selon sa vocation, annoncer la parole de Dieu: Docteur, dis-je, non flateur, de tous accors, & bon compagnon, comme l'on dit, ains constant, humble, veritable, prudent, pudic, debonnaire, misericordieux, liberal, gracieux, tres-grand aumosnier & fidele Pasteur, edifiant l'Eglise de Dieu, & par parole, & par bonne vie & irreprehensible conversation. O noble & chrestienne ville de Paris, ne connois-tu pas, & ne veux-tu pas reconnoistre quelle faveur Dieu t'a portée, lequel a voulu ce tant excellent, vertueux & sçavant personnage estre tout tien, estant en toy né, nourri & inhumé, aprés t'avoir ornée & ennoblie, autant que jamais a fait personne, par une vie vertueuse & sainte Predication? Cela est beaucoup, chrestienne, constante & fidelle ville de Paris, tu le confesseras; mais il me semble que tu dois encore te réjouir davantage, de quoy il a plu à Dieu donner les moyens, qu'aprés son decés il parle encore à toy par ses œuvres, les presens écrits, lesquels te doivent estre chers comme reliques precieuses, lesquels baisant, lisant & frequentant, tu auras guerison de toutes maladies, lesquelles guerit la parole de Dieu, medecine generale de toutes infirmitez, laquelle est contenuë & exhibée en iceux écrits. Iouïs donc de ton bien, Paris, & lis ces saints & catholiques écrits de cestuy, lequel tu sçais avoir esté tant vertueux & si excellent Predicateur: Predicateur, dis-je, & Docteur jusques-là excellent, que les Docteurs & autres sçavans personnages luy estoient frequens & assidus auditeurs, ne craignans, pour avoir le bien de l'ouïr, en quelque lieu qu'il preschast, la fatigue du long chemin, ni l'injure du temps fascheux. Sui, Paris, les vestiges, la foy & la doctrine de cestuy, auquel tu sçais jamais homme n'avoir veu chose digne de note & reprehension. Aime, venere, & lis diligemment, Paris, les saints œuvres de cestuy qui t'a renduë constante en la Foy & Religion Chrestienne au temps du danger que tu sçais bien, & ainsi a esté


cause de te conserver & rendre glorieuse. Aime & retien, Paris, les œuvres de cestuy, lequel t'a par avanture autant aimé au temps de ta necessité, que firent Onias & Ieremias, les Iuifs bataillans contre Nicanor. Ce sont tels œuvres & écrits qu'il te faut lire & retenir, Paris, & non pas les écrits de ceux que tu ne connois, lesquels t'annoncent des doctrines étrangeres & nouvelles. Ce sont tels divins écrits qu'il te faut apprendre & commander lire à tes jeunes enfans, Paris, pour les instruire & avancer en une vie honneste, chrestienne & recommendable. Et paullo post: *Te souvienne aussi, Paris, composer & dresser ta vie selon la sainte parole de Dieu: car je te puis asseurer (que tout suivant la parole de Dieu, laquelle demeure eternellement) que permettant & tolerant plusieurs choses, lesquelles sont ouvertement faites en toy, desquelles tu ne fais grand cas, n'est le moyen d'attirer à la Chrestienté les Iuifs, ou autres Infideles, ni aussi de reünir les Protestans, ains changeans de vie, en nous convertissant à nostre Dieu, tout bon & misericordieux. Ce que certes sera par le moyen de sa parole, laquelle comme vous avez eue par la predication continuée de ce saint & vertueux personnage Monsieur nostre Maistre le Picart en son vivant: ainsi vous pouvez à present la reconnoistre, & prendre derechef en ses presens Sermons fidelement recueillis, comme pourront facilement reconnoistre & juger ceux qui l'ont oui prescher, & n'en ont perdu la memoire.*

In cumulum accedunt duo, quorum vnum a Petro Rebuffo narratur in Praxi Beneficiorum in Collationibus, §. de Prædicationis actu. *Quia gratis acceperunt, gratis dare debent. Cap. Gratia, & per totum p. 1. q. 1. & hoc modo solet in Francia fieri. Ideo qui alias potest idonee vivere sine prædicatione, nihil debet recipere, & ita servat concionator egregius D. Picardus, (Picartus dici debuit) Doctor Theologus, & Decanus in Ecclesia sancti Germani Altissiodorensis Parisiensis.*

Alterum refertur in libello Gallice sic inscripto: *Les regrets & complaintes de passe-partout sur le trespas de Maistre François le Picart à Paris en 1557. chez Pierre Gaultier.*

Il y avoit à son convoi plus de vingt-mille Bourgeois de Paris. Tous les bons Catholiques en pleuroient. Messieurs du Parlement assisterent à son convoi, comme si ç'eust esté à celuy du Roy.

Allant prescher, il dépouilla son saye & sa robe pour vestir vn pauvre tout mouillé, & luy donna encore de l'argent. Dum Picartus concionatum iret, sagum & togam exuit, vt vestimento vtroque pauperem obvium, qui totus aqua madidus erat, amiciret, neque id tantum, sed ei adhuc pecuniam dedit. Picartus Martinum imitatur & superat: Sanctum a Sancto superari nihil prohibet. Martinus vestem vnam tantum pauperi largitur, Picartus vestes duas. Martinus pecuniam tribuisse pauperi non legitur, Picartus pecuniam tribuisse pauperi legitur. Picartus in Martino virtutem imitatione dignam reperit, & tantis auctibus imitationem extulit ac ditavit. Ceterum quis Picarto nostro, cum vitam ita vt repræsentamus, instituit, consecrationem negaret, sive res per sese spectetur, sive habita cum plerisque contentione, quos ætas nostra consecrari vidit?





CAPUT VI.

Joannes Grangia Sagiense reformat Collegium. Navarrici chartophylacii claves sex. Sorbonicæ Disputationis locus quintus antiquiori Navarricæ Societatis Baccalaureo adjudicatur auctoritate Senatus, & commissorum ab eo Theologorum. Parisiensis Schola commendatitias ad Cardinalem Lotharingum pro Audeberto Macereo literas conscribit. Espencæus Aurelianensibus Comitiis interfuisse se scribit, & quid in iis statutum est de annatarum exactione, refertur. Cardinalis Lotharingus Theologicæ Facultatis Theologos cum Espencæo conciliat. Espencæus Guillelmo Ruzæo suum de beato Ludovico sermonem dedicat. Claudius Sanctesius e Tridentino Concilio ad Espencæum semel atque iterum scribit, eumque de rebus gravioribus consulit. Pars quædam eorum, quæ Cardinalis Lotharingus ad Secretarium Romæ degentem scribit, recensetur. Inter Theologos XII. *a Carolo IX. ad Tridentinum Concilium missos reperiuntur septem Navarrici Sodales. Legati duo Espencæus & Danesius. Jacobus Billius ad Joannem Lassereum Vallis-Dei Priorem scribit.*

ANNUS volvebatur millesimus quingentesimus quinquagesimus septimus, cum Joannes Grangia, cujus superiori capite facta est mentio, Sagiense Collegium apud Parisiensem Academiam in antiquum statum restituit, & illius præclarum se correctorem atque emendatorem præstitit.

Anno eodem *Ioannes Cotereau Remensis post emensa spatia*

ucta Philosophiæ apud Iustitianos, Dialecticorum ordini præfectus apud regiam Navarram fit Procurator. In libro Procuratorum Franciæ.

Anno eodem inter Archididascalum & Bursarios ex vna parte, & Provisorem ex altera, lis quædam mota fuit de arca thesauri & chartophylacii clavibus, quas hi vel illi haberent. Hæc lis in causa fuit, cur certæ quædam ea de re institutiones editæ fuerint, & oblatæ Curiæ Rationalium, vt eas comprobaret & in acta publica referret: comprobavit & retulit. Res est ejusmodi: *Item, quant aux clefs du coffre du thresor dudit College, desquelles par ci-devant le grand Maistre en avoit vne, le Proviseur deux, & le Principal des Artiens deux: ledit Proviseur en baillera vne au Principal des Grammairiens, le Principal des Artiens aussi vne au plus ancien Boursier Theologien, & le plus ancien des Chapelains en aura pareillement vne qui sera de nouveau faite. Subscribunt Hennuier Confessor Regis, Pelletier magnus Magister Domus, le Maistre, Hodicq, Horin, Benoist, Viel, Quillaud, le Boult, Formet, Godier, Maceré, Pernelle, Bazot, Carreau, Passavant, Finé, Charvin, Quinquet, Bellot, Thomas.*

In libello supplici, qui eodem anno confectus est pridie Calend. Martii extat ordo vel series eorum omnium, qui Collegium repræsentabant hoc modo:

A la requeste de venerables & scientifiques personnes Maistres Iean Pelletier, Docteur Regent en la Faculté de Theologie en l'Université de Paris, grand Maistre; Iean Cossart Licencié en icelle Faculté, Proviseur; Charles le Maistre, Pierre de Hodicq aussi Licenciez en la Faculté de Theologie; Ioseph Bazot, Gilles Pernelle, Audebert Maceré, Bacheliers formez en icelle Faculté & de la premiere Licence; Pierre Viel, Iean Godier, Maximilien Guillaud, François Carreau, pareillement Bacheliers de la seconde Licence; Iean Fournel, Iean d'Estampes, Thomas Maçon, Nicolas Formet, Boursiers Theologiens; Gilles Passavant, Iean Pagni, Oronce Finé, Boursiers Artiens; Iean Savari, semblablement Licencié en Theologie, Principal des Grammairiens; Nicole Thomas, Iean Charvin, Denis Quinquet, Nicolas Loisel, Chapelains; Iean Bellot, Pierre du Pont, & Richard Mornet, Clercs de la Chapelle: faisant & representant la plus

saine & la plus grande partie du College. Qui tunc Henrico II. erat a confessionibus, in hoc libello supplici Joannes Lodovensis Episcopus appellatur. Artistarum Magister aberat, sed quam ob causam, scriptum nusquam reperi.

Anno eodem in Senatu disceptatum est, cuinam Sorbonicæ Responsionis locus quintus deberetur, an Bursario Navarræ antiquiori, vel alteri minus antiquo. Senatus ita decernit VI. Calend. Julii.

Entre Maistre Charles le Maistre plus ancien Boursier & Bachelier de la Communauté des Theologiens du College Royal de Navarre, demandeur & requerant l'entherinement de certaine requeste du 25. Iour de ce present mois de Iuin, d'une part; & Maistre Nicolas Poignant, Prieur du College de Sorbonne, & Maistre Pierre Guerlot, Sousmaistre de la Communauté des Artiens dudit College de Navarre, respectivement défendans & empeschans l'entherinement de ladite requeste, d'autre. Aprés que lesdites parties en personnes, & ensemble du Mesnil pour le Procureur General du Roy, ont esté oüis, la Cour a ordonné qu'icelles parties se pourvoiroient pardevant le Doien de la Faculté de Theologie, pour avec luy appellez neuf plus anciens Docteurs en Theologie seculiers de ladite Faculté, entre lesquels le grand Maistre du College de Navarre assistera, si faire se peut, & icelles parties oüies, estre pourveu sur ladite requeste ainsi que de raison; & ce qui sera par luy ordonné, sera executé, nonobstant oppositions ou appellations quelconques & sans prejudice d'icelles. Fait en Parlement le 26. jour de Iuin 1557.

Designati vero & commissi Doctores ita statuunt: *Anno Domini 1557. die 6. mensis Iulii congregati sunt in Collegio Sorbonæ dominus Decanus sacratissimæ Facultatis Theologiæ Parisiensis, & novem antiquiores Doctores sæculares ejusdem Facultatis, per Arrestum Curiæ designati, ad determinandum, ubi duorum Baccalaureorum in Theologia, videlicet Magistrorum Petri Guerlot & Caroli le Maistre inter se contendentium, assignari debeat quintus locus Responsionis Sorbonicæ. Post auditum ergo Curiæ tenorem in præsentia partium, multis rationibus consideratis, censuerunt dicti Doctores Theologi sæculares juxta dictum Arrestum Curiæ deputati, quintum locum Responsionis Sorbonicæ debere assignari hoc anno 1557. Magistro Carolo le Maître,*

tre, tanquam antiquiori Baccalaureo Bursario Communitatis Theologorum Collegii Navarræ. Item censuerunt id observandum inposterum, ut dictus quintus locus Responsionis Sorbonicæ semper assignetur antiquiori Baccalaureo Bursario Communitatis Theologorum dicti Collegii Navarræ eo anno quo voluerit respondere.

Anno MDLVIII. IV. Nonas Augusti Universitas Audeberto Macereo Sodali Navarrico commendatitias ad Cardinalem Lotharingum literas decernit. & illæ sic se habent: *Illustrissimo & sapientissimo Lotharingiæ Cardinali Schola Parisiensis S. P. D.*

Cum M. Audebertus Macereus Presbyter Parisiensis & Theologiæ Candidatus, de gesto Rectura rationem nuper nobis redderet, Cardinalis illustrissime, omnium nostrum animos singularis suæ prudentiæ recordatione commovit. Quamobrem, quod viris de nobis intime meritis solemus, ei ad te commendatitias de meliore nota literas decernimus, quod neminem seu Principem, seu Antistitem haberemus, cui virum omni literarum & virtutum genere tam excellentem potius quam tibi commendare deberemus. Sed hujusmodi literas ad te dari tum sustinuit, connumerandis siquidem beneficiis, quæ a te maxima accepisset; tuæ erga se benignitati suæque modestiæ injuriam se facturum esse professus est, si magis quam esset tibi, commendatius esse cuperet: quin Africani illius minoris moderationem superare se velle dixit. Nam illum cum Censor lustrum conderet, deosque rogare videretur, ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, quod satis bonæ ac magnæ essent, precatum tamen fuisse, ut eas perpetuo incolumes servarent: se vero nuda gratiarum actione contentum fore. Quamobrem, Cardinalis illustrissime, mutata literarum nostrarum formula, tibi maximas habemus atque agimus gratias, quod Macereum nostrum, imo potius tuum, jamdiu tam benigne alis. Tantum facit Dominus, ut una cum tota generosissima tua gente illi, nobis, Galliæ, Reipublicæ denique Christianæ salvum & incolumen te servet. Quod ab illo poscere votis quotidianis debemus, & nisi valde ingrati essemus, volamus. Vale. Datum Lutetiæ Parisiorum anno Domini 1558. 4. Nonas Augusti, de mandato ipsius Academiæ. Insignis hæc est commendatio, quam & Macerei virtus ei conciliat & multiplex eruditio, quæ per-

fecit, vt anno MDLX. primum ordinis sui gradum assecutus fuerit.

Anno MDLVIII. XVII. Calend. Januarii Petrus Vielus Navarricus Sodalis, in Rectorem optatus est.

Ad annum MDLIX. pertinent quæ Espencæus in libro semel jam atque iterum supra laudato de se ita narrat: *Sous François II. je fus aux Etats d'Orleans, où és jours qu'on ne tenoit conseil, se fit vne conference privée d'vn petit nombre de Theologiens, duquel j'estois, touchant les Controverses d'aujourd'huy prealable & dispositive audit Concile de Trente.*

Hinc dubitari merito non potest, quin Espencæus interfuerit Parisiensium Theologorum consessui, in quo judicatum est annatas exigi non posse, quin abnormis committatur simonia, vt fidem certam facit Carolus IX. in mandatis, quæ Renaldo Ferrerio ad Papam ablegato dedit. Verba sunt: *Estant presentement dépesché le sieur du Ferrier Conseiller du Roy, & President en sa Cour de Parlement à Paris, pour aller devers nostre saint Pere le Pape luy remonstrer aucuns points & articles de la part dudit Seigneur Roy, sur les Annates & preventions, aura à dire & declarer à sa Sainteté ce qui s'ensuit:*

Premierement qu'à l'occasion des plaintes & doleances faites à sa Majesté par tous les Deputez des Provinces de ce Royaume en la congregation & assemblée des Etats generaux d'iceluy, pour raison desdites Annates & preventions que sa Sainteté pretend luy appartenir sur la vacance des benefices de cedit Royaume, ledit Seigneur Roy se seroit resolu, par l'avis de la Reine sa mere, de son oncle le Roy de Navarre, des Princes de son Sang, & autres Seigneurs de son Conseil, de dépescher incontinent ledit sieur du Ferrier devers sadite Sainteté, pour luy faire entendre par le menu le motif desdites plaintes & doleances, & luy declarer par mesme moyen comme ce point icy est l'vn des principaux, & duquel les sujets de sa Majesté luy ont plus fait d'instance ausdits Etats, & sur lequel ils ont plus discouru & étendu leursdites doleances.

La premiere desquelles leur semble estre, que pour avoir esté telle chose reprouvée & défenduë par plusieurs Conciles, & mesme par celuy de Basle, & s'estant toûjours de tout temps l'Eglise

Gallicane opposée à tels Decrets, Statuts & Ordonnances faites & arrestées par les Papes, mesmes jusques à l'heure du Concordat fait entre les feus Pape Leon X. & le Roy François son ayeul, qui fut seulement fait l'an mil cinq cens seize, lequel toutesfois fut arresté & resolu de la façon que chacun sçait, & plus entretenu par les sujets de cedit Royaume, pour la crainte qu'ils avoient de déplaire audit feu Roy François, que pour autre respect & occasion; telle chose ne peut maintenant prejudicier ausdits sujets de cedit Royaume, & moins aux libertez & privileges de ladite Eglise Gallicane, qui ne voulut onques approuver, non plus que toutes les Cours de Parlemens dudit Royaume ne firent publier ledit Concordat, que par impression grande, & comme par contrainte, ainsi que sera toûjours bien aisé à verifier par actes & oppositions authentiques faites en ce temps. Sur quoy ledit President du Ferrier sçaura tres-bien & sagement amplifier cette matiere suivant les memoires & extraits qu'il a retirez tant de la Cour de Parlement, que d'ailleurs, & que par sa prudence & experience il en a de longue main conceu & appris, n'oubliant à tres-bien & vivement remonstrer à sadite Sainteté le zele & affection dont sa Majesté procede en cét endroit, qui ne tend entierement à autre fin qu'à contenter ses sujets en leursdites plaintes & doleances.

Et là-dessus remonstrer à sadite Sainteté, comme telles plaintes ne luy doivent sembler étranges & nouvelles: car du temps mesme des feus Rois saint Louïs, Philippes le Bel, Louïs Hutin, Iean & Charles sixiéme & septiéme ses predecesseurs, les plaintes ont esté faites. Lesquels Rois comme tres-Chrestiens & protecteurs & conservateurs des franchises & libertez de ladite Eglise Gallicane, ont pour cette occasion fait plusieurs grandes assemblées de gens doctes en la ville de Paris: par le conseil desquels, & celuy de l'Université, & de la Cour de Parlement dudit Paris, a esté plusieurs fois ordonné, que lesdites Annates ou vacances ne seroient exigées, & qu'il seroit pourveu aux benefices Ecclesiastiques par la collation de l'Ordinaire, ou bien par élection ou presentation seulement; & ce suivant les saints Decrets & Conciles de l'Eglise: attendu mesmement que par la Faculté de Theologie en la Sorbonne à Paris, & autres Universitez, il a esté jugé & determiné, que lesdites Annates ne se peuvent exi-

ger sans enorme simonie, tant par celuy qui donne de l'argent, que celuy à qui il est donné.

Hoc Regis mandatum, quod ab vniversis regni ordinibus ardenter expostulatum est, omnium Theologiæ Facultatum, & Parisiensis maxime judicio ac determinatione communitum accessit ad delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia Consilium, in quo tollendam esse ab ea simoniam omnem invictissimis rationibus statuitur, & præceptum Christi, *Gratis accepistis, gratis date*, sæpius vrgetur. Consilium igitur quod Paulo III. a juratis Cardinalibus & Prælatis datur, & Regis mandatum, effecerunt, vt Tridentina Synodus convenienter vtrique & derivatæ ab initio circa simoniam traditioni id decreverit, quod in sessionis XXI. capite I. de Reformatione, sic legimus: *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus decimam tantum vnius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit, contrarias taxas ac statuta & consuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando & interdicendo; & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, vltra divinam vltionem pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant.* Nihil hic novi constituitur, sed omnia ex veterum Conciliorum canonibus Sedis Apostolicæ decretis ex iisdem canonibus promulgatis depromuntur. Deinde nulla fit hic inter Antistites & Hierarchas distinctio, quia si qua fieret, per eam tota quanta est reformatio, vt invalida elideretur. Tum ibi certa quædam ponitur exceptio, quæ firmat regulam in

contrarium. Postremo contrariæ consuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum cassantur & interdicuntur, quæ omnia Jacobus Lainius cum videret, pro retinendis annatis orationem habuit, quæ Patribus omnino displicuit. Qua de re sic Petrus Suavis in libro VIII. de Historia Tridentini Concilii loquitur : *De Annatis dixit* (Lainius) *esse de jure divino, ut a populo decimæ & primitiæ ordini Ecclesiastico pendantur, sicut Levitis a populo Hebræo, & sicut Levitæ decimas solvebant summo Sacerdoti, eadem obligatione totum ordinem teneri Papæ, beneficiorum esse decimas, & annatas decimarum decimas. Hæc oratio multis displicuit, & nominatim Gallis, nec deerant Prælati, qui ex ea multa annotarent animo refellendi, si daretur occasio, cum ad eos pervenissent loquendi vices.* Inter eos Gallos eminebant sine dubio Parisienses Theologi XII. quos Carolus IX. ad Concilium miserat. Ut singulari pollebant eruditione & pietate, tuebantur, prout par erat, Facultatis suæ judicium ac determinationem, quæ tota præcepto & exemplo Christi, facto B. Petri, & Joannis Chrysostomi, Calchedonensis, Lateranensis, Constantiensis, Basileensis Concilii auctoritate, & perpetua Romanæ Ecclesiæ traditione nitebatur. Inter Parisienses Theologos officio non defuerunt suo Navarrici Sodales, Joannes Pelletarius, Nicolaus Brisius, Simon Vigoreus, Ricardus Pratensis, Antonius Coquierius, Lazarus Broichotius, Claudius Sanctesius, Georgius Girardus Andegavensis Episcopi Comes, & Joannes Verdunus, Ordinis sancti Benedicti Procurator. His autem non jura, sed facta fortassis opponentur ; sed ea Pius V. apud Genebrardum anno MDLXVI. in Chronographia irrevocabili sententia dissolvet : *Multos abusus sustulit, leges severas tulit contra simoniacos & blasphemos, statuit resignationes beneficiorum simplices non admittere, nisi habita prius diligenti examinatione, num qui designantur, essent idonei. Cum autem aliquis ad ipsum retulisset id esse Curiam destruere, minus malum est, inquit, destruere Curiam, quam cultum Dei negligere, & rempublicam Christianam turpiter prodere.* Optimus Pontifex satisfecit querelis, quas Carolus IX. de Præventionibus, vt loquuntur, justissime instituerat. Sed quam ea super re legem

fixerat, Curia progressu temporis refixit, & Tridentini Concilii & Pii V. de Reformatione constitutiones pari modo refixit. Quæso te, verumne esse desinet, quod Pius sibi sumit, etiamsi non fiat quod ratione summa fieri voluit?

Anno MDLX. & MDLXI. Guillelmus Ruzæus Sodalis Navarricus, Vincentium Luinensem vertit Gallice, & ita dicavit: *A Maximilien, Alexandre & Hercule, Ducs d'Orleans, d'Angoulesme & d'Anjou, freres de François II. Aumônier & Confesseur Royal.*

Anno MDLXII. Jacobus Naudotus Grammaticorum Collegii Navarræ Primarius VI. Idus Octobris, & Joannes Cotterellus Navarricæ Societatis Baccalaureus, anno MDLXIII. VI. quoque Idus Octobris in Rectores Universitatis electi sunt.

Circa hoc tempus sparsa fuit in vulgus certa quædam de cultu imaginum scriptio, quæ hinc Theologicæ Facultati displicuit: inde in Espencæum vt auctorem transferebatur. Espencæus suam esse pernegabat; alii auctorem eum esse affirmabant. Cardinalis Lotharingius cum videret istud negotii genus fovere posse inter Theologos Facultatis discordiam, huic malo occurrere statuit, & eam auctoritatem, qua valebat in Facultate, interposuit. Id nos docent Theologicæ Facultatis Commentarii ad annum MDLXI. Adscribo verba: *Reverendus dominus Cardinalis* (a Lotharingia) *non habito respectu ad præfatum scriptum, quia dictus d'Espense diceret non esse suum, sed ad controversiam sedandam,* (inter Facultatem & dictum Despense) *ordinavit in ædibus suis Dionysianis Lutetiæ in præsentia domini Decani & multorum Doctorum, quod dictus d'Espense (qui etiam tunc præsens erat) legeret in publica Congregatione Facultatis quandam chartulam manu ejusdem reverendissimi domini Cardinalis scriptam, quam dictus d'Espense postea legit in publica Congregatione. Tunc ex deliberatione Facultatis dominus Decanus hortatus est dominum d'Espense, vt componeret aliquem libellum de Veneratione sanctarum Imaginum, vt scandalum saltem pusillorum tollatur. Et eum, vt ceteros, admittebat ad professionem & subscriptionem articulorum præfatæ Facultatis. Cui domino Decano dictus d'Espense respondit hac fere formula: Messieurs, je vous remercie*

de vostre remonstrance: je m'offrirois bien, quand j'aurois le loisir d'écrire quelque chose des Images; mais j'aurois grand' peur que cela ne fust point au gré de Messieurs. Car jamais je n'ai trouvé dedans saint Ambroise, saint Augustin, saint Ierosme & saint Gregoire, qu'ils aient vsé de ces termes, honorare, colere, venerari, adorare Imagines præterquam Crucis: ita tamen vt adhuc me offeram, prout me obtuli, ad signandos omnes & singulos articulos Facultatis, nominatim XVI. *qui est de Imaginibus, cujus tenor sequitur: Nec vllo modo addubitandum est, quin genu flectere coram Imaginibus Crucifixi, beatæ Mariæ & Sanctorum ad rogandum, Christum & Sanctos, sit opus bonum.* Non auro contra carum emerim hunc pacis tractatum, in quo Theologorum Parisiensium ætatis suæ princeps alienæ voluntati obsequitur, indeque gloriam refert amplissimam, & mirifica sagacitate & erudita responsione, libelli de Veneratione sanctarum Imaginum editionem a se deprecatur. Hoc modo vir omnibus & prudentiæ & modestiæ titulis par vincit, qui vincendus putabatur: quia falso putabatur favere hæreticis, contra quos perpetuo scripsit. Claudius Sanctesius in responsione ad Apologiam Bezæ: *Aliqui*, inquit, *Calvinistæ nequiverunt dissimulare, quin palam faterentur te a domino Espencao eo redactum, vt nulla vocatione consisteret vestrum ministerium.* Deinde alio in loco: *Tam sæpe scripsit contra vestras imposturas eruditissimus ac nobilissimus Theologus dominus Espencaus.* Hinc effectum est vt Beza sub finem vitæ Calvini Espencæum maledice contumeliofeque persequatur: siccine cum fautoribus novitatum suarum ageret?

Hoc eodem anno Espencæus, quam anno MDXLI. concionem habuerat in festo beati Ludovici, typis mandari curavit, eamque Guillelmo Ruzæo Parisiensi Theologo, & Regis Confessario, nuncupavit. Huc referenda sunt quæ ad Historiam spectant: *Ne hic quidem sermunculus lucem videre nullo patrono ausus est. Ad quem vero fœtus Navarricus securius confugeret, quam ad te, Ruzæe, Navarræ matris nostræ olim filium & alumnum, nunc vero tutorem & patronum? Fœtum ergo hunc edidi apud regiam Navarram statim post Sorbonicam Disputationem, viribus ex illo velut Pancratio vixdum*

recreatis. Et post alia : *Hoc certe quidem aliquid fuit, cur demum male sanum hoc scrumque scribendi cacoethes me jam provectiorem invaderet ; sed hoc me morbo tentatum, ac semel apprehensum impulerunt, tum quæ alibi reddidi, alia; tum tua erga me, Ruzæe, gratitudo, si gratitudo modo dici potest, in hominem de te nihil promeritum, amicitia omnino gratuita : hujus enim, quam primum convictor Mignonius, mox Navarricus Sodalis, tu in Stadii Theologici carceribus, cum me dudum ejus metam prætergresso contraxisti, neminem unquam tenaciorem aut memorem magis sum expertus. Igitur ne in te ingratus e contrario essem, meam, tui ita me non amantis modo, sed & observantis, redamationem, non ingrato μνημοσύνῳ testificari volui, eoque quod te, licet aliàs instructissimum, aliqua tamen juvare forte possit in erudiendo alumno pariter & altore tuo Christianissimo Rege nostro Carolo IX. ut qui indice te ac viam monstrante in nostro Francorum Liliorum pratulo, flosculos aliquot non insuaves facile, nisi longa inambulatione, reperiat.*

Anno MDLXIII. Claudius Sanctesius cum ageret in Tridentino Concilio, ad Claudium Espencæum scribit, cumque variis de Ecclesiasticæ rei capitibus quæ ibi tractabantur, consulit. Literæ sunt hujusmodi :

Monsieur, il ne m'appartenoit tant d'honneur, que prissiez la peine de me récrire : si j'eusse sceu certainement que vous eussiez esté à Paris, je vous eusse adverti de mois en mois des affaires de nostre Concile. Voyant qu'il n'y avoit rien en vos lettres qui pust offenser Monseigneur le Cardinal, je les luy ai monstrées, & a esté fort aise d'entendre vostre bonne prosperité, & m'a donné charge de vous asseurer qu'il a aussi bonne affection envers vous, qu'il eut jamais, & qu'il pourroit avoir envers aucun homme, & que souvent il vous a desiré par deçà pour sa consolation, estant certain qu'en quelque lieu que vous soyez, que toûjours vous ferez pour luy ce qui sera en vous ; & à la fin usa de ces mots, Ecrivez-luy que j'aye de ses lettres, qui me seront tres-agreables. *Vous connoissez qu'il est au besoin d'experimenter ses bons & fideles serviteurs, pour autant qu'il est plongé au profond des plus grands ennuis & fascheries qui luy eussent pû advenir, & ne reçoit ici aucune consolation, ains tous les jours luy surviennent nouvelles fascheries, tant des affaires de France, que du*

du Concile, auquel d'autant plus qu'il s'efforce de bien faire, & contenter Dieu & le monde, autant plus on s'efforce de luy contredire & empescher toute bonne resolution. Ie sçai que vous entendez qui sont ceux qui ont de coustume de conduire ainsi les Conciles. Monsieur, vous ne fustes jamais mieux inspiré, que de ne venir point: car je croi que fussiez mort des indignitez qu'on commet par deçà, pour obvier à la reformation. Les Francois s'y portent plus sincerement & vertueusement que les autres, qui souvent se moquent d'eux, les voyant en adversité. Quand nous arrivasmes ici, on traitoit déja de Sacramento Ordinis, *où les Espagnols pressoient fort qu'on declarast les Evesques* institutos a Christo Presbyteris jure divino superiores. *Les François se joignirent avec eux pour empescher la consequence de ce propos. Les Italiens entremeslerent en ce Canon dix ou douze titres pour le Pape, par lesquels ils le pretendoient estre seul Evesque institué de* Jesus-Christ *immediatement, ains que tous les autres n'avoient aucune puissance, sinon dépendante de la sienne & de luy; & les autres titres estoient le Canon entier, qui fut fait au Concile de Florence, de la puissance du Pape, pour le mettre pardessus le Concile, & toute reformation qu'on pourroit faire. De cela sortirent grandes contentions, qui encore durent aujourd'huy; & si le saint Esprit ne nous aide, ils seront cause du plus grand scandale qui advint jamais en la Chrestienté. Depuis on a traité de la residence, les François & les Espagnols l'ont tenue* de jure divino, *afin que le Pape n'en pust dispenser; les Italiens qui sont trois contre vn, n'osans apertement nier cét article, l'ont troublé de je ne sçai combien d'incidens. Pendant qu'on accordoit ces deux difficultez, on proposa les articles* de Matrimonio, *pour exercer les Theologiens; & cependant Messieurs les Legats ont promis de mois en mois conclusion & session* de Ordine & residentia ex sententiis Patrum. *Toutefois tant de dilations ne nous peuvent donner espoir d'aucun bien. Encore ce jourd'huy la session a esté prolongée jusques au quinziéme de Iuillet; il semble qu'on pretend nous chasser par ennui, ou de tirer de nous quelque chose qui prejudicie à la verité. Toutefois Dieu est puissant de reduire tout à bonne fin. Si les François ne fussent venus ici, il y a grande presomption qu'on eust passé beaucoup de choses fort prejudiciables a la verité & à l'antiquité Ecclesiasti-*

que. Monsieur, je vous supplie de me récrire, s'il vous plaist, si vous trouvez bon que le Pape soit defini & appellé Pastor vniversalis Ecclesiæ, habens plenam potestatem regendi & pascendi vniversalem Ecclesiam. *Nous sçavons ici qu'aucuns Papes ont ainsi parlé, & qu'on le peut prendre en bon sens: mais la question est, sçavoir si on le doit determiner à vn Concile si celebre que cettuy-ci, sans qu'on en puisse tirer aucune consequence de mettre le Pape pardessus le Concile, comme nous voyons par ces termes, aucuns le vouloir pretendre. Quant à l'état d'entre nous autres Theologiens, personne n'a esté malade, Dieu merci, depuis la mort de Monsieur le Curé de saint Iacques: nous sommes tous pauvres & indigens, & fussions demeurez il y a long-temps, sans Monseigneur le Cardinal, qui nous a donné à vivre; l'argent du Roy nous est failli à tous, il y a plus de quatre mois; nous sommes ici sans chevaux & sans argent, & n'avons espoir d'en recevoir. Il n'y a celuy qui ne voudroit estre en Sorbonne, voire en danger d'y mourir. Il ne m'est possible de vous raconter par le menu tous les actes que j'ai veus & entendus en ce Concile, nous ne sçavons quand nous en partirons: aucuns esperent que ce pourra estre en ce mois de Septembre, mais je n'en voi aucune apparence. Monsieur, je prie nostre Seigneur vous donner en santé, longue & heureuse vie. De Trente ce 15. de Iuin 1563.*

Vostre tres-obeïssant serviteur Claude de Sainctes. Suscrit: A Monsieur, Monsieur Despense, demeurant prés les Cordeliers à Paris.

Sanctesius his in literis nonnulla scribit iis convenientia, quæ Espencæus in libro jam semel atque iterum super laudato dicit: *Sous le Roy Charles IX. j'ai aussi tenu quelque lieu en ces Colloques ou Conferences de Poissi & de Saint Germain. Si vouloit-on lors, comme on disoit, m'envoyer au Concile, & qu'en autre état que celuy d'Evesque, je n'y eusse sceu faire service à leur Majesté, qui ne fust peu. Aprés vne excuse de n'y aller, outre mon indisposition, non seulement pour y avoir ja esté, mais beaucoup plus que desireux de sçavoir & apprendre. Ie n'y voulus retourner pour au contraire estre oüi des Pasteurs, à condition de ne les oüir: qui a oreilles pour ouir & entendre les façons de faire és Conciles, m'oit & entend.*

Sunt & aliæ literæ quas idem Sanctesius ad eundem Espencæum mittit XV. Calend. Sextiles ejusdem anni MDLXIII. Hæ autem sic se habent :

Item veut & expressément ordonne ledit sieur testateur, que la Cense de Blanly, par luy & François Despense, sieur dudit lieu, son frere, baillée à feu François de la Salle, à faculté de rachat de quatre cens soixante livres, soit reservée à la Chapelle Saint Iean l'Evangeliste en l'Eglise Sainte Menehoud, parce qu'il la trouve avoir esté baillée à ladite Chapelle par testament de feu Messire Claude Despense son grand pere, en son vivant Chevalier sieur dudit lieu. Pour augmentation de la fondation d'icelle, prie bien fort sondit frere pour sa part, & Messire Aloy de Beauvau son neveu, pour la sienne par le droit de rachat que de ce il leur a cedé, ne s'amuser, ne avoir égard à prescription ; & prie bien fort Monsieur le Lieutenant de Sainte Menehoud & Messieurs les Gens du Roy audit lieu, y tenir la main, estant ledit sieur testateur prest de rendre pour sa part aux heritiers feu François de la Salle deux cens trente livres, faisant moitié dudit rachat. Et quant à l'autre moitié, a declaré ledit sieur Despense son frere, luy avoir mandé qu'il en fera à sa volonté. Ainsi signé, Haste & Aysnot.

Et le Mardi dix-huitiéme jour de Septembre audit an 1571. a ledit sieur Despense encore mandé lesdits Notaires soussignez, entre les mains desquels il a mis une feuille de papier, aux deux premieres pages de laquelle estoit écrit ce qui s'ensuit, ledit écrit signé en fin, Claude Despense, qu'il a requis ausdits Notaires estre par eux mis de mot à mot au pied de sondit testament, voulant & ordonnant par forme de codicille & adjonction testamentaire ledit écrit estre suivi, & entretenu ce qu'il luy a octroié, & duquel la teneur s'ensuit:

*Sur l'article precedent de ma Bibliotheque, parce que Monsieur de Sainctes le premier m'en mit en propos, comme si Monseigneur le Reverendissime Cardinal de Lorraine eust eu quelque vouloir de l'avoir à quelque honneste condition, que je n'entendis jamais autre qu'une bonne & liberale aumosne aux pauvres, laquelle aussi je n'ai rien moins entendu que rabattre, par l'autre condition de faire reimprimer mes œuvres par Thomé, parce que de bien long-temps je l'avois destinée aux pauvres. Et pour ce je supplie humblement mondit Seigneur Cardinal, cas de mort en venant, en convenir, ou gens de sa part à ce connoissans, comme ledit de Sainctes & autres, avec Messieurs Maistre Augustin de Thou Advocat du Roy, & Maistre François de la Porte Advocat en Parlement, qui sont de son conseil, & bien ses serviteurs, executeurs de ce mien present testament; & ce quant aux bons livres. Car quant aux censurez, pour temps & loisir qu'il puisse jamais avoir de lire, il luy conseille, comme son tres-humble & loial serviteur, de n'y mettre le nez. Lesquels livres censurez je baille par ce present testament, à l'imitation des Philosophes ou Etudians, que je trouve avoir ainsi fait en pareil cas à leurs amis : je les baille, dis-je, à Messieurs nos Maistres Docteurs en Theologie, le Vasseur Principal de Reims, Monsieur Vigor Curé de Saint Paul, Monsieur Maceré Prieur de Nôtre-Dame des Champs, Monsieur de Sainctes, Monsieur de Ponc. . . . . Monsieur Prevost Curé de Saint Severin, Monsieur Genebrard Lecteur du Roy en Hebreu. Lesquels je serois d'avis qu'ils s'en saisissent les premiers, afin que la place d'iceux vuide, mondit Seigneur, ou de ses commis, vissent plus facilement ce qu'il leur resteroit, c'est-à-dire, neuf ou dix fois plus de bons livres que de mauvais; aussi n'en ai-je veu qu'*obiter & aliud agendo. *J'en ai conferé ce mois d'Aoust & Septembre avec Monsieur l'Evesque de Verdun, qui bon le trouve & raisonnable. Ledit sieur de Sainctes en dit avoir écrit deux fois à Ianville sans réponse: me pressant la maladie, & n'en aiant aussi resolution par Monsieur Maceré, je me suis resous de cét article, ainsi comme dessus, ne pouvant entendre qu'on veuille avoir de moy* gratis, *ce qu'on ne demanda jamais, ni fit-on demander* gratis. *Et quant à davantage, sçavoir est,* de secunda impressione librorum meorum, *mondit Seigneur pensera, si elle luy seroit honorable,*

& profitable à l'Eglise de Dieu, cumque de hoc spero, viderit bona & non invida posteritas. *I'en ai ouvert les methodes & moiens aususdits Messieurs de Verdun & de Sainctes. Car il les faudroit disposer en autre ordre, qu'ils ne sont premierement partis de l'office de leur Maistre. Ainsi signé, Claude Despense.*

Item a ledit sieur Despense par mesme moien declaré, par forme de codicille, qu'il donnoit & leguoit, donne & legue à Michel Macé, son homme de chambre, la somme de cent cinquante livres tournois pour vne fois, outre ce que par son testament ci-devant écrit il luy a donné & legué.

Et le Vendredi vingt-huitiéme jour du mois de Septembre audit an 1571. ajoustant encore ledit sieur Despense à son testament ci-devant écrit, a par forme de codicille, declaré pardevant les Notaires soussignez, qu'il veut & ordonne estre paié à Maistre Hilaire Rambault, son Barbier, la somme de trente sols tournois pour son salaire de chacun jour qu'il a esté & sera en la maison dudit sieur, pour le solliciter & penser en sa presente maladie, à compter & commencer du premier jour dudit present mois de Septembre. Et si a donné & legué, donne & legue ledit Despense audit Rambault, la somme de cent livres tournois pour vne fois: le tout outre lesdits trente sols tournois par jour, & ce que par sondit testament il luy a donné & legué. Ainsi signé, Haste & Payard, l'an 1571. Et le Mercredi 10. jour d'Octobre collation de la presente copie sur les minutes originales d'icelles, par nous Notaires Roiaux en son Chastelet de Paris soussignez. Signé, Haste & Payard.

Genebrardus in libro IV. Chronographiæ ad annum MDLXIX. *Quarto*, inquit, *Octobris Claudius Spencæus Theologus Polygraphus, obiit post sanctam Communionem, petito & sumpto extremæ Unctionis sacramento.* Et paullo post: *Præter Apologiam & alia opera impressa, relictis scriptis posthumis, quibus se ab hæreticorum furiis alienissimum ostendit.* Deinde in nuncupatoria epistola libri de Adoratione Eucharistiæ: *Tribus ante obitum mensibus, dum velocem tabernaculi sui depositionem velut Mæandrius olor præsentisceret, cum lacrymis & fletu absolutum opus meæ curæ & fidei commendavit. Afferebat enim rationem sua canitie dignam, se valde cupere, vt cultus &*

religionis suæ singulare monumentum apud posteros extaret, quo se in eadem fide mori, in qua esset natus, omnis ætas agnosceret.

In Ecclesia sanctorum Cosmæ & Damiani sepultus est, vbi collocata est illius statua cum hoc epitaphio.

Nobilissimo, piissimo, omnique disciplinarum genere cumulatissimo, domino Claudio Espencæo, Theologorum hujus sæculi facile principi, paterno quidem ex genere, ex clarissimo Espençæorum; materno, illustri Ursinorum familia orto: divini Verbi præconi celeberrimo, pauperum patri benignissimo. qui cum per 46. annos continuos in hac prima omnium Academia literis humanioribus Philosophicis & divinis operam cum omnium incredibili admiratione navasset, a Rege Christianissimo Francisco primo Melodunum, ab Henrico secundo Bononiam, a Francisco secundo Aureliam, a Carolo IX. Pissiacum, religionis componendæ ordinandæque nomine, inter primos hujus augustissimi regni proceres partim Legatus, partim Orator, de re Christiana invictissime doctissimeque disceptasset, permultos in sacrosanctam Scripturam commentarios edidisset: tandem gravissimo calculi morbo diu multumque vexatus, cum omnium Principum, Senatorum, Nobilium, plebeiorumque luctu ac desiderio obiit anno ætatis 70. die 5. Octobris 1571. Guido Gasparus Flaminius, Prior sanctæ Fidei apud Columerios, ejusdem amanuensis, & per annos 17. negotiorum gestor devinctissimus, hanc effigiem cum suo elogio piæ memoriæ domini carissimi ac benignissimi erigebat, & mœrens ponebat anno 1572. die vltima Ianuarii.

Anno MDLXXII. *Franciscus d'Amboise secundus Navarricus, Caroli IX. liberalitate Rhetoricis, Philosophicis & Poeticis institutis informatus, per quadriennium literas humaniores professus, factus est Procurator 3. Nonas Maii.* In libro Procuratorum Gallicanæ Nationis.

Anno MDLXXIII. Simon Vigor Theologus, in actis Facultatis Med. dicitur *vir eruditionis singularis & paris integritatis vitæ, jam a summo Pontifice Archiepiscopus Narbonensis designatus.*

Anno eodem *Petrus Primet Parisinus, per triennium integrum Literas humaniores professus est in regia Navarra, & Domus florentissimæ alumnus, a reverendo domino Rusæo receptus,*

Procurator tandem factus XII. *Calend. Novembris.* Ita in libro Procuratorum.

Anno MDLXXIV. *Ioannes Peschant Physicis Navarricis Præfectus, fit Procurator.* Ibidem.

Anno MDLXXV. VI. Idus Octobris Ægidius Vallegirardus Navarricus, & anno sequenti IX. Calend. Aprilis Petrus Rosey, Artistarum regiæ Navarræ Primarius, in Rectores electi sunt.

Anno eodem Renatus Benedictus Sodalis Navarricus, qui anno MDLIX. Theologici magisterii Lauream accepit, *sacrarum Literarum Professorem Regium* cum se inscribat in ea Panoplia, quam Gregorio XIII. dedicat, argumentum est certissimum, Doctorem hunc Professorem Regium tunc institutum fuisse; sed quo ante annum illum MDLXXV. tempore institutus fuerit, nondum invenire potui. Quidquid id est, Benedictus ipse in causa fuit, cur sacrarum Literarum Professor sub Carolo IX. aut Henrico III. institutus fuerit. Id facile colligitur ex ea Panoplia, quæ anno MDLXVI. in nomine Caroli Borbonii & Caroli Lotharingii apparuit. Nũcupatoriæ epistolæ verba sunt: *Conqueruntur passim plurimi de Doctoribus Theologis, quod non satis, eorum (& quidem forsan de nonnullis vero) judicio diligenter suo funguntur officio; sed rogatos ipsos velim, utri si desideant, magis sunt in vitio, Pastores qui amplos Sacerdotiorum proventus percipiunt, aut Doctores qui exanthlatis infinitis studiorum laboribus, & possessionibus propriis (quas habuerunt) consumptis, nulla habent proposita nec privatim, nec publice stipendia cunctis literarum Professoribus necessaria: (nam rerum inopia pressus, nunquam libere, probe, & , ut oportet, literario defungetur munere) sed coguntur sæpius Pædagogorum, aut etiam Sacellanorum, ut quidem non sine summa miseria & contemptu tenuiter & cum tædio (indignum) victitent, exercere officia. Demiror autem profecto qui factum sit, quod hoc tempore in hac nominatissima Parisiensi Academia ampla & honorifica, tum linguarum peregrinarum, tum utilium scientiarum Professoribus, proposita sunt regia stipendia, omnino relictis, & quodammodo (ut videtur) abjectis bonarum, imo optimarum & pernecessariarum sacrarum atque divinarum literarum, ex Dei ipsius præcepto hono-*

randis Doctoribus atque Magistris.

Sic ergo inter annum MDLXVI. & annum MDLXXV. instituta est a Rege Theologiæ Cathedra, quam Renatus Benedictus omnium primus tenuit.

Ceterum in hac ipsa epistola vir bonus ac sincerus de Gallicorum Bibliorum opere, quod anno MDLXVII. in lucem prodiit, quid ipse sentiat, & quid alii sentire debeant, ita scribit : *Hoc autem forsan quosdam movet, quod quantum possum, exacte œcumenici Concilii Tridentini reformationem sequerer, urgens & proponens, tempori serviens, & omnibus, ut omnes lucrifaciam, factus omnia, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinans, non minus abusus, superstitionem, corruptiones morum, impunitatem & impietatem omnem utiliter & convenienter præsenti sæculo docere tentans, quam errores & hæreses regia semper via incedens ubique refello, rejicio & insector. Scit enim Deus Optimus Maximus, quem testem in animam meam in hoc invoco, quia pessime semper odi & insectatus sum quidquid sanctissimæ Sedi adversari intellexi, ipsi tam me, quam mea omnia semper & in omnibus submittendo. Certo igitur tibi persuadeto, sanctissime Domini* JESU *Vicarie, Pontifex summe, cujus pedes fideliter amplexor & exosculor, feram pessimam (in cujus rei fidem voco gravissimos, qui hanc provinciam perlustrarunt, sanctissimarum & religiosissimarum sanctorum Dominici & Francisci Professionum nunc, ut puto, Romæ degentes, Generales) nec momordisse, nec unquam attigisse ullo pacto filium tuum verissime & manifestissime Catholicum, cujus si vestis alicubi maculata comperiatur in maximo illo potissimum Bibliorum Gallicorum opere, eo tempore quo illud emisi, (meo judicio) necessario, & ita satis festinanter divulgato, ut fas esse, dixerunt antiqui, in longo opere obrepere somnum, scito & certissime teneto, non filii tui, sed alienum esse sanguinem.* Ut ad annum MDLXVII. supra vidimus.

Anno MDLXXV. *Andreas Guijon Æduus, cum in primis apud regiam Navarram ordinibus sese exercuisset, fit Procurator.* In libro Procuratorum Franciæ.

Anno eodem Ægidius Vallegirardus Navarræ Baccalaureus, VI. Idus Octobris fit Rector Academiæ.

Anno MDLXXVI. IX. Calend. Aprilis Petrus Rosey.

Artistarum regiæ Navarræ Primarius, in Rectorem eligitur. Quo rectore XIV. Calend. Aprilis admissa est permutatio Ecclesiæ parochialis sancti Andreæ Paris. cum Prioratu quodam, in favorem venerabilis viri Francisci Dammartin, Doctoris e Navarra Theologi.

Anno eodem Renatus Benedictus tomum I. de Vitis Sanctorum, dicat Gregorio XIII. & Cardinalibus, quibus suum in edendis Gallice Bibliis consilium exponit : *I'ai osé, inquit, voiant la necessité, (sacrée & spirituelle Principauté) proposer ce livre de vie, testament du Souverain, & connoissance de la verité; mais ç'a esté sous vostre bon plaisir & jugement, comme j'ai toûjours fait & ferai, aidant Dieu par sa grace, toutes choses, toute ma vie, en tout exercice & profession de ma vocation, prenant ou deposant les armes, marchant & m'arrestant suivant vostre tres-saint commandement, comme fait le soldat obeïssant à l'endroit de son capitaine, acquiesçant en tout & par tout à vostre sainte ordonnance, tant touchant iceluy livre des Bibles Françoises, que tous autres, n'aiant jamais eu autre volonté, qu'à obeir entierement en toutes choses & par tout à l'Eglise Catholique, Apostolique & Romaine : comme aussi de garder sincerement les Statuts de ma mere la Faculté de Theologie de Paris, dite vulgairement la Sorbonne.*

Anno MDLXXVII. XVI. Calend. Aprilis Guillelmus Dernecourt, Baccalaureus & Socius Navarricus, in Rectorem eligitur.

Anno eodem Renatus Benedictus tomum II. de Vitis Sanctorum Henrico III. nuncupat, & in nuncupatione de se suisque rebus ita scribit : *I'ai toûjours tasché de vivre, par la grace de Dieu, fuïant & oppugnant tant les heresies, que les abus, depuis qu'à la relation de ce reverend Pere, à present Evesque de Lisieux, Monsieur le Hennuier, Confesseur du Roy, je fus receu au nombre des Ecoliers en Theologie, en vostre College Royal de Navarre, du temps de défunt de sainte memoire Henri II. vostre pere.*

Anno eodem VI. Idus Octobris electus est Rector Nicolaus Richard Navarricus. Quo Rectore XI. Calend. Novembris *habita sunt comitia ad deliberandum de reformatione Universitatis, prout Senatus decreverat.* Et VIII. Idus

Novembris habitis deputatorum comitiis in regia Navarra, *exposuit dominus Rector causam Congregationis de celebratione obitus M. Roberti de Sorbona, qui solebat celebrari in crastino D. Martini apud Maturinenses, & de adeundo Rege pro reformatione Universitatis, ut Senatusconsultum reformationis Academiæ corrigatur. Maturis deliberationibus inter ipsos deputatos prahabitis, censuerunt mittendos duos viros, qui adeant Ministrum Maturinensem. Quod si Procuratoribus vel alio modo velit aperire fores pro celebratione obitus Roberti de Sorbona, libellum supplicem porrigendum non esse. Si recusarit, alio migrandum ad Ædem Sorbonicam.* Et ita est in actis Academiæ.

Anno MDLXXVIII. XVII. Calend. Jan. Joannes Peschant, ex Navarrico Philosophiæ Professore, & primi ordinis apud regiam Navarram Baccalaureo, creatus est Rector Universitatis. Quo Rectore III. Calend. ejusdem mensis & consequentibus comitiis Januarii,

Anno MDLXXIX. statutum est vt cogerentur Pædagogi Gymnasiorum, qui nondum Lauream Magisterii fuerant consecuti, eam consequi, fidemque ac religionem Apostolicam & Romanam profiteri nisi mallent, excludi.

Anno eodem IX. Calend. Julii Julianus Peletarius Artistarum Navarricorum Magister, anno quoque eodem XVII. Calend. Jan. Adrianus d'Amboise Socius Navarricus, in Rectores Universitatis eliguntur. Hæc & præcedentia in actis Academiæ.

Anno MDLXXXI. VI. Idus Octobris Rector electus est Joannes Prevost Navarricus, Canonicus Paris.

Insequenti anno Jacobus Billæus, Abbas monasterii sancti Michaelis in Eremo, semel atque iterum scribit ad Jacobum Pelletarium, Joannis Pelletarii Navarræ Archididascali fratrem. Literæ sunt ejusmodi, quæ nondum in lucem prodierunt:

O me lævæ mentis hominem, & Homerico Glauco stultiorem, qui istas vestras μεγάλων insulas cum hac camarina, hoc est, aurea arma cum plusquam ferreis, vltro promutarim! Equidem omnes animi sensus mihi tum ereptos fuisse existimo, cum Laudunensem tranquillitatem reliqui, ut per tot casus, rerumque & iti-

itinerum discrimina non in Latium sedesque illas beatas tenderem, sed in hoc profundissimum negotiorum molestiarumque pelagus me immergerem. Quoties, mi Peletari, consilii hujus inconsulti me pœnituit? Quoties in ipso itinere oculos reflexi, meamque ipse stultitiam incusavi? Istic omnia tecta erant & pacata, non modo a morbis, sed etiam a bellis. Istic ædes Regiæ, cœnæ Pontificiæ, palmarius ludus opere magnifico extructus, nihil omnino cum crumena rationis; hic omnia perturbata, morbis infesta; hic extrema annonæ caritas; hic meo succo victitandum; hic cursitandum, litigandum, & sororis causa, quæ apud Magistri equitum uxorem educatur, inter puellas tempus terendum & perdendum. Denique vt istic αἰεὶ δῶν αἰεὶ δίδης; ita hic contra, malorum Ilias. Quare nunquam recusabo, quominus inter insignes meas stultitias hæc primo loco numeretur,

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτέχθαι τέχνα ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ,

atque ea quæ aguntur, perscribamus.

Regina proximis diebus a Senatu Parisiensi postulavit, vt edicto publico confirmaret, nemini fraudi futurum, quod Condæi Reguli partes secutus esset, qui modo intra quindecimum diem armis positis domum se recepisset. Id tamen nondum extorquere potuit.

Navarchus collectis exercitus reliquiis Ligerim trajecit, atque omnia pervastat. Hunc mira celeritate Guisianus persequitur, bellumque jam affectum conficere omni ratione contendit.

Princeps Condæus callidis quorundam consiliis pene nobis elapsus est. Auctores hujus rei supplicio affecti. Princeps tutioris custodiæ causa Carnutum productus. Regina in eo vehementer elaborat, vt pacem inter vtramque partem conciliet, nec vllum diem intermittit, quin eo nomine nunc Aureliam, nunc ad nostra castra legatos mittat. Ecquid profectura sit, incertum est. Plures tamen in futuræ pacis spem inclinare mihi videntur. Utinam vero Dei benignitate & misericordia pax ea nobis affulgeat, quæ tum sacrosanctæ Ecclesiæ, tum Regno veram tranquillitatem, nullisque simulationibus involutam adferat. Bene vale, vir doctissime, & ad me, cum otium nactus fueris, scribito. Hustius Medicus diem suum extremum obiit. Lutetiæ 10. *Calend. Febr.* 1582.

Iacobus Billæus Cœnobiarcha D. Michaelis, Iacobo Pelletario S. D.

Vix tuas literas acceperam, vir doctissime, cum mihi repente adfertur, avunculum Bellovacum ægrum ex vulnere domum suam lectica devectum esse. Quod vbi nunciatum est, nullam moram interponendam putavi, quin hominem statim inviserem, & eodem itinere ceteros propinquos meos quos in ea regione plurimos habeo, salutarem. Id eo scribo, ne pigritia nostra factum existimes, quod tardius fortasse quam velles, literas nostras accipias. Alioquin enim, etsi mihi hoc vitium natura insitum esse sentio, vt nisi necessitate maxima compulsus ad scribendum accedere non soleam, nunquam tamen commisissem, vt tu justam desiderandi officii nostri causam haberes. Nunc ad tuam epistolam venio, cujus eloquentiam magnopere admiratus essem, si tum primum tuam legissem. Cum vero jam tot illustria ingenii tui monumenta legendo contriverim, quid est, cur mihi novum videatur, ex eodem fonte doctissimam epistolam fluxisse, ex quo tot in omni literarum genere exquisita volumina ad publicam omnium vtilitatem multo jam ante promanarunt. Proinde hic tuam eruditionem laudibus non efferam; nec enim huic oneri ferendo pares sunt nostri humeri; nec tu, sat scio, præconium nostrum moraris, qui multis lucubrationibus ad hominum commendationem per te ipse perveneris, faberque, vt sic loquar, tuæ laudis extiteris. Hoc tantum dicam, me, si quid in literis mihi est judicii, vt ceteras tuas laudes taceam, eam in tuis scriptis maturitatem agnoscere, (qua scilicet Plinius excelluisse fertur) vt in nullo sæculi nostri auctore parem mihi animadvertere contigerit. Quod quidem an curæ diligentiæque in scribendo tuæ, an vero judicio multarum rerum vsu exculto ac perpolito, aut certe genio cuidam tribuere debeam, nondum certum habeo. Illud autem velim tibi persuadeas, eam epistolam, quam ad te miseram, tua perlecta, vsque adeo mihi displicuisse, vt nihil propius factum sit, quam vt Gallico sermone ad te in posterum scriberem: idque fecissem, nisi veritus essem, ne dum infantiam meam tegere studeo, desideratissimis tuis literis meipsum fraudarem. Qua etiam in cogitatione mihi illud in mentem venit, te ea esse humanitate, vt quemadmodum athletæ exercitatissimi plerumque cum his, qui luctandi tyrocinium faciunt, non illibenter in arenam descendunt, non vt omni

laterum contentione cum illis certent, sed vt eos recte atque ἐννόμως pugnandi rationem doceant: sic tu quoque in optimam partem accepturus sis, quod te ad hoc scribendarum literarum quasi certamen quoddam provocarim. Nec enim id a me hac ratione factum est, quod in hoc genere tecum paria facturum sperarem, οὐ γὰρ οὕτω πεπύφωμαι, sed quo tuis literis Latinior fierem, & tanquam ab optimo scribendi magistro, scribendi exempla peterem, ἀλλὰ τοῦτο ἅλις, atque aliquando tandem epistolæ tuæ respondeamus. Utinam, mi Peletari, liberum mihi esset Laudunum, vt cupio, reverti. Quam libenter id facerem, atque ex hujus vrbis tumultibus me in istam tranquillitatem assererem! Sed me adhuc retinet fratris mei vxor, quæ primo quoque die mariti sui manibus justa persolvere constituit, iisque intersim, me per literas obnixe precata est, quod ei nec potui, nec debui denegare. Eo munere perfunctus, nisi quis gravior casus consilium mutare me coegerit, ad vos me referam. Nam quæ de pace ferebantur, video mera esse verba, nec aliud quicquam toto hoc anno ex isto rerum apparatu nobis expectandum, quam atrocissimum & funestissimum libellum. Hic ego relictis rebus bellicis, a quibus vterque nostrum abhorret, eum campum ingredi parabam, quem tu mihi aperueras, quæstionemque astronomicam non inamœnam proponere, cum tristissimus nuntius hæc scribenti allatus omnem mihi alacritatem excussit, chartamque & calamum abjicere coegit. Ignosces igitur dolori meo, & hanc abortivam epistolam interim boni consules, quoad concoctus hic mœror longiores ad te literas perscribendi facultatem nobis concesserit. Bene vale, & nos ama. Lutetiæ 3. Cal. Mart.

Pelletarius ad Jacobum Billæum sic rescribit.

Iacobus Pelletarius D. Iacobo Billæo S. Michaelis Cœnobiarchæ, S. D.

Accepi aureos duodecim, quos tu Lutetia proficiscens Bernardo Sampetro viro bono & pio ad me dederas. Quod ergo munus ad tua in me beneficia singularis cujusdam accessionis loco repono, tibique, vt debeo, gratiam habeo. Velim tamen sic existimes, vir clarissime, mihi nihil carius, neque antiquius esse posse, quam cum intelligo, te tuam erga me jamdudum susceptam benevolentiam conservare. Quæ tametsi nulla confirmatione egere vnquam visa est: tamen ipsius Sampetri commemoratio mihi fuit gratis-

ſima. Is enim mihi abunde ſignificavit, quam benigne cum eo de me ſis collocutus. Atque vt vere dicam, mihi ſubmoleſta fuit diſceſſus tui recordatio: neque deſinebam mecum ipſe quærere quid eſſet, quod te a me ſalutari non permiſiſſes: ſed ea excuſatio, quam ipſe retulit, omnem mihi moleſtiam abſterſit. Idipſum, quicquid eſt, te ſcire volui, vt intelligeres me nihil majore ſtudio laborare, quam vt apud bonos, in quibus te inſignem locum tenere agnoſco, ego quoque in aliquo ſim numero. Mitto ad te e typographia munuſculum poeticum, quod dum hic eſſes, ſub prælo verſabatur. Invenies quædam mutata, atque adeo diverſa ab eo exemplari, quod tibi ſuperiore anno obtuli, mea manu ſcriptum, vt vix vnquam mihi in hoc genere ſatisfacere, neque manum de tabula auferre poſſim: quin etiam in eo, quod præ me retineo, exemplari, ex prælo, jam non pauca repoſui & correxi, quæ mihi, præter operarum incuriam, inſcienti exciderant. De orthographia, abs te peto, vt meam, imo adeo Gallicæ linguæ conſtantiam approbes. Nihil eſt enim a vulgari ſcriptione minus alienum: certe id mihi a vobis doctiſſimis viris ſemper ſum pollicitus, meas de hac re rationes apud vos valere debere. Sed hoc in parvo eſt. Argumentum, ſtilum, atque ordinem pluris facio, quam omnia. De quibus, niſi te graviores tuæ occupationes totum diſtineant, tuum judicium libenter depoſcerem. Duo exemplaria ad te miſi, quorum alterum Chatario noſtro non ingratum fore ſpero. De integumento, quod minus ſit ornatum, oro vt boni conſulas. Sic enim feſtinantius paranda curavi, ne librarii properationem anteirem; ſed hæc noſtra indiligentia, alias, vt ſpero, reſarcietur. Valetudinem tuam non dubito quin cures diligenter, cælique iſtius amœnitate jucundius fruaris, quam Lutetiani. Sed tamen aveo ſcire quam diu a nobis ſis abſuturus, congreſſus tui deſiderio. De morborum contagione nihil certi habeo: ita inter ſe diſſident vulgi metus, ſecuritas, diſſimulatio. Tantum ſuſurrari audio, non omnia ſatis eſſe tuta: puto te ex eorum literis, qui vrbana commercia & colloquia frequentant, de tota re certiorem fieri: mihi quidem ſolitudo & receſſus, provincia. Bene vale. Lutetiæ 10. Calendas Maias 1582.

Anno MDLXXXIII. VI. Idus Octobris Andreas Bartholomæus Socius Navarricus, in Rectorem eligitur. Deinde XVIII. Calend. Januarii decreta eſt ſupplicatio ordina-

ria Rectoris Andreæ Bartholomæi ad regiam Ædem Navarræ.

Anno MDLXXXIV. XIII. Calend. Martii, *cum adessent dominus Ruzé Episcopus Andegavensis, Confessor Regius, magnus Magister, omnesque Doctores ac Bursarii Theologi, statutum est, neminem Bursariorum Theologorum extra septa communitatis commorantem, & cubiculum ipso facto non occupantem, jus vllum cubiculi habere posse; sed cubiculum ejusmodi vacuum in vsum & commodum Communitatis locato alteri tradendum, deinde jure supplicationis pro cubiculo eos privari, qui vbi admissi fuerint, præfecturam aulæ non exercuerint.*

Anno eodem *cum Magister Nicolaus Itam Bursarius Theologus & Baccalaureus, doceret Logicam apud Artistas, caperetque frui commodo cubiculi, contra conclusionem factam anno* MDLXXXIV. *movissetque litem adversus dominum Ioustot etiam Baccalaureum & Bursarium, qui ejus cubiculum locatione possidebat, & Communitati fructum persolvebat: statutum fuit a summo Moderatore & omni Communitate, vt in eum juridice ageretur, & partes domini Ioustot, qui ab eo in jus vocatus fuerat, sustinerentur: quo facto cecidit causa Dominus Itam, & juridice condemnatus est.* Senatusconsultum extat in Archivis Theologicæ Facultatis.

Anno eodem IX. Calend. Julias *Laurentius Burceretus Sodalis Navarricus, in Rectorem eligitur, &* VII. *Calend. ejusdem mensis placuit interesse exequiis Francisci Valesii Andium Ducis, Regis fratris, prout mandatum fuerat: item & apud sanctum Dionysium inhumationis impensas ex ærario Academico suppeditari.* Hæc in actis publicis. Deinde XVII. Calend. ejusdem mensis Joannes Hamilton Socius Navarricus, ad eandem Academiæ dignitatem assumitur.

Anno MDLXXXV. cum Guillelmo Houele Rectore, vacasset Ecclesia parochialis sanctorum Cosmæ & Damiani, Germanica Natio, cujus erant vices, eam contulit Magistro Joanni Hamiltoni, paulo ante Universitatis Rectori. Sic tradunt acta ejusdem Nationis: XXVI. *mensis Augusti ejusdem anni, habitis apud Maturinenses majoribus Nationis comitiis, a quibus nemo abfuit, vnanimi omnium sententia electus est a Natione M. Ioannes Hamilton Scotus in Curatum seu*

Curionem Ecclesiæ sanctorum Cosmæ & Damiani Paris. quod beneficium vacavit per obitum Magistri Ioannis Versoris, & qui mortuus est pridie ante, & sepultus in dicta Ecclesia, quæ tunc spectabat ad Nationem Germanicam ratione turni. Quare a nobis Academiæ præsentatus, benevole est admissus, & adversus omnes defensus, idque nostra maxime opera & labore.

Anno eodem VI. Idus Octobris electus est Rector Jacobus Julianus Baccalaureus Navarricus, & XVII. Calend. Jan. Juliano successit Franciscus Pegenatius, Baccalaureus quoque Navarricus.

Anno MDLXXXVI. X. Calend. Julias Bartholomæus Lassereus Sodalis Navarricus, creatus est Rector Universitatis.

Insequenti anno IX. Calend. Aprilis Dionysius Barreus Baccalaureus, e Societate Navarrica, ad eundem magistratum evectus est.

Theologiæ Facultas statuta sua recognovit, disciplinamque reformavit. Huc spectat titulus de lectionibus Magistrorum.

Oportet interpretari statutum folio 23. Quod Magistri nostri debent legere de quindecim diebus in quindecim dies. Ad quod responsio: Multitudo actuum, assistentia in eisdem, & præsidentia supplet cum lectione solenni in die sanctæ Euphemiæ, & diebus quibus præsidetur in actibus frequentissimis. Hic tamen non intendit Facultas excusare magnos Magistros, qui ex officio tenentur legere juxta fundationem.

Res autem sic se habet in fundatione Navarrici Collegii: *Statuimus etiam, quod ibidem ponatur unus Magister in Theologia idoneus pro Scholaribus Theologiæ in Facultate Theologiæ instituendis: qui Magister in Theologia viginti solidos Parisienses habebit qualibet septimana, & tenebitur legere in Domo prædicta.*

Hoc eodem anno Joannes Magnanæus, Doctor Theologus & Sodalis Navarricus, Blesensibus Comitiis quæ Rex congregaverat, interfuit nomine Universitatis.

Anno MDLXXXIX. plures e Sodalibus impio illi decreto quod adversus Henricum III. factum est, minime consen-

ferunt, & imprimis Jacobus Faber Decanus, quem Jacobus Augustus Thuanus in Historiarum libro XCIV. hominem antiqui moris, nec vulgariter inter Parisienses Theologos eruditum appellat. Jacobum, non Joannem scribere debuit.

Anno eodem Joannes Ionius, Artistarum Navarræ primarius, fit Rector IX. Calend. Aprilis; & quia non tam turbulentis temporibus volebat literariæ reipublicæ clavum tenere, per novem menses a Martio ad Decembrem Rectoratum gessit. Ita Cæsar Egassius Bulæus in tomo VI. Historiæ Universitatis: III. Nonas Octobris ab Ionio habita est supplicatio solennis ad regale Collegium.

Anno eodem XVII. Calend. Januarii Joannes Magnanæus e Navarra Baccalaureus, in Rectorem eligitur, & IX. Calend. Aprilis ad trimestre spatium prorogatur.

Anno MDXC. XVII. Calend. Januarii Rector electus est Matthias Montanus, qui Grammaticorum Navarrici Collegii magisterium tenebat. Rectoris munus novem menses exercuit.

Anno MDXCI. Renatus Benedictus publico programmate significare voluit, qua de re suis in Scholis tractaturus esset. Programma tale est:

Renatus Benedictus sacræ Theologiæ Doctor Regens, atque divinarum literarum Professor Regius, spiritalibus spiritalia comparare, atque homines spirituales imbuere, componere & erigere cupiens, feria 3. proxima, quæ erit hujus Novembris dies duodecima, Christianæ religionis mysteriorum mysterium, atque legis novæ excellentissimam his calamitatum, dejectionum, omnium malorum & perturbationum temporibus, ad confirmanda Catholicorum, sed zelatorum maxime, contra hæreticorum tyrannidem, ut etiam ad corroboranda quorumlibet piorum contra malignantium panurgiam corda, accommodatissimam materiam, spiritalia Evangelica adversus spiritualia nequitiæ, in exponendis beati Pauli 1. ad Corinth. Epistolæ (cujus etiam breviter & facile comprehensionem universam tradet) 12. 13. 14. & 15. capitibus, Deo opt. max. gratia sua illud donante, in gratiam potissimum Sacerdotum, Canonicorum & Monachorum auspicabitur hora prima pomeridiana.

Apud sanctum Eustachium, tantisperdum expectantur meliora tempora. 1591.

Anno MDXCIII. IX. Calend. Julii Petrus Cagnieus e Societate Navarrica Baccalaureus, in Rectorem eligitur. Is fuit Grammaticorum Navarrici Collegii Magister. Hoc Rectore VII. Calend. ejusdem mensis Henricus IV. hæresim abjurat, & ab Antistitibus, qui eum pro Rege ducebant, absolvitur, & Catholicæ Ecclesiæ filiis adjungitur. VII. Octobris habitæ sunt ad beati Ludovici Basilicam in regia Navarra supplicationes.

Anno MDXCIV. pridie Calend. Aprilis Jacobus Ambosius, qui ante Navarræ Sodalis fuerat, & illius frater, qui Navarræ Archididascalus tunc erat, Regis Medicus, in Facultate Medicinæ Licentiatus, Rector eligitur. Quo Rectore Universitas apud Navarram convenit, ibique X. Calend. Maii Henrico IV. Regi obedientiam præstitit, & præstitæ obedientiæ exemplum ceteris dedit. Juramentum autem fidelitatis sic se habet :

Universis præsentes literas inspecturis, Rector & Universitas Studii Parisiensis & Facultatum Theologiæ, Decretorum, Medicinæ & Artium, salutem in eo qui est omnium vera salus. Notum sit hujus publici instrumenti tenore, quod die infrascripta comparuimus in Aula Theologali Collegii regalis Campaniæ, alias Navarræ, nimirum nos Iacobus d'Amboise Rector, Decanus venerandæ senectutis, & Doctores Regentes sacratissimæ Facultatis Theologiæ, tam Sæculares, quam Regulares, 54. in urbe residentes, in his magnus Magister dicti Collegii, Senior Collegii Sorbonæ, Syndicus dictæ Facultatis, Priores & Lectores quatuor Mendicantium & aliarum Communitatum. Et paullo post : *Atque ibi invocato divini Pneumatis numine, Virginisque Deiparæ & Sanctorum patrocinio, proposuimus & expendimus ea quæ Apostolorum coryphæus 1. suæ Epistolæ cap. 2. sapientissime præcipit, Deum timere, Regem honorare, subjectos esse omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudemque bonorum, & super nonnullis dubiis, quæ his turbulentissimis temporibus moveri vidimus de obedientia præstanda Henrico IV. Dei gratia Francorum & Navarræ Regi Christia-*

stianißimo D. N. & hujus regni heredi successorique legitimo, cum nonnulli male instructi, & sinistris opinionibus imbuti, scrupulos varios in animos hominum injicere tentarint, prætendentes, quod quamvis supradictus Rex noster sit amplexus firmiter & ex animo ea omnia quæ Ecclesia sancta, Catholica, Apostolica & Romana credit & profitetur, tamen cum beatissimus D. N. Papa eum nondum publice admiserit, recognoveritque filium primogenitum Ecclesiæ, dubium videatur illis, sitne obedientia interim penitus reddenda tanquam absoluto Principi ac domino clementissimo & vnico heredi. Qua de re mature consilio habito, gratiis insuper Deo & toti Curiæ cælesti actis pro ejus tam manifesta conversione, & ferventi erga sanctam matrem Ecclesiam zelo, cujus nos etiam testes oculati sumus, necnon pro tam pacifica hujus vrbis reductione, descendimus omnes cujuscunque Facultatis & Ordinis vnanimiter, & nemine discrepante, in eam sententiam, quod dictus Henricus est legitimus & verus Rex, dominus naturalis & heres dictorum regnorum Franciæ & Navarræ, secundum leges fundamentales ipsorum; eique obedientia ab omnibus subditis dictorum regnorum & incolis præstanda est sponte & libere, prout a Deo imperatum est, etiamsi hostes Regni & factiosi homines vsque hodie obstiterint, eum admitti a sanctissima Sede, & agnosci tanquam filium bene meritum & primogenitum sanctæ matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ, quamvis per eum non steterit neque stet, vt notorietate facti permanentis palam sit omnibus. Et cum nulla, inquit divus Paulus, potestas sit nisi a Deo, idcirco qui potestati ejus resistunt, Dei ordinationi resistunt, & sibi damnationem acquirunt. Itaque vt supradictorum omnium major fides constet, exemploque nostro quilibet possit probare spiritus qui ex eo sunt: nos Rector, Decani, Theologi, Decretistæ, Medici, Artistæ, Magistri sæculares, Regulares, Conventuales, & generaliter omnes Scholares, Officiarii, & alii supradicti, sponte & divina aspirante gratia, in verba dicti Regis Christianißimi Henrici IV. corde & ore juravimus & juramus cum omni submißione, reverentia & fidelitate, atque adeo sanguinis nostri profusione ad hujus Status Gallici conservationem, Lutetiæque tranquillitatem, obedientiam sempiternam vt domino & heredi legitimo & vnico promisimus & promittimus; orationes, observationes nostras, gratiarumque actio-

nes publicas & privatas pro eo & omni magistratu & sublimitate faciendas decrevimus.

Omnibus fœderibus & associationibus tam intra, quam extra Regnum, abrenunciavimus & abrenunciamus, & tactis ordine corporaliter sacrosanctis Evangeliis, chirographi nostri & sigilli appositione confirmavimus & corroboravimus. Contra vero sentientes, ut abortivos, de gremio nostro abscidimus, & privilegiis nostris privavimus ac privamus & abscindimus, perduellionis reos hostesque publicos & privatos denunciavimus & proclamavimus; omnibus veris, orthodoxis Gallis & sinceris Catholicis, ut idem faciant, tuta conscientia consilium, in quantum in nobis est, præstamus & denunciamus. Quapropter nos Rector, Decanique prælibati præsentem processum, ut vocant, seu attestationem verbalem & authenticum instrumentum ad perpetuam memoriam & securitatem conscientiarum confecimus, servata apud nos scheda originaria ab omnibus signata manualiter: & hoc in publicum emisimus, manibus nostris, Scribæque Universitatis signatum, sigillorumque magnorum dictæ Universitatis & Facultatis sanctissimæ appensione munitum. Datum & actum Parisiis in nostra Congregatione generali solenniter celebrata anno 1594. die 22. mensis Aprilis, S. D. Clementis Papæ VIII. anno 3. & ejusdem Christianissimi Regis Henrici IV. anno 5.

Subsignarunt Iacobus d'Amboise Academiæ Rector, D. Camus Decanus Facultatis Theologiæ, Iacobus le Febvre Prodecanus, Curatus S. Pauli, Adrianus d'Amboise Prædicator Regis, magnus Magister Collegii Navarrici, Ioannes Pillaquet Decanus Decretorum, H. Blacuod Decanus Medicinæ, Medardus Bourgeotte Procurator Franciæ, Malherbe Procurator Picardiæ, Iacobus Guerout Procurator Normaniæ, Georgius Crittonius Procurator Germaniæ, Nicolaus Vignier Procurator Universitatis, Guillelmus du Val Scriba Universitatis.

Formula autem juramenti talis est: Nos Iacobus d'Amboise Rector almæ Universitatis Parisiensis, Decanus & Doctores sacratissimæ Facultatis Theologiæ, Decanus & Doctores Regentes Iuris Pontificii, Decanus & Doctores Regentes saluberrimæ Facultatis Medicinæ, Procuratores quatuor Nationum, Decani provinciarum, Censores ipsarum, Professores publici regii, Primarii

Collegiorum, Regentes, Pædagogi, Magistri in Artibus, Priores, Provisores, Religiosi sancti Benedicti, Cistercienses, Augustinenses, Albimantelli, Vallis-Scholarium, sanctæ Genovefæ & sancti Victoris, quatuor Mendicantes, & alii tam Regulares, quam sæculares, Supposita, Officiarii, Scholares, & alii subsignati, juramus & protestamur coram Deo, & tactis sacrosanctis Evangeliis, nos recognoscere corde & intimo affectu Henricum IV. Regem Franciæ & Navarræ, nunc feliciter regnantem. Spondemus regiæ illius majestati nos servaturos obsequium & fidelitatem, sub vitæ etiam & honoris dispendio, cum omni reverentia & perfecta obedientia, & ad conservationem hujus Status & Coronæ, potissimum vero hujus metropolis Parisiensis sub ejus auctoritate & imperio, neque nos parcituros vitæ fortunisque nostris in iis quæ spectabunt ad illius servitium, regnique Gallicani tranquillitatem. Præterea promittimus nullam nos unquam partem, consortium aut fœdus habituros cum illis, qui se perduellionis scelere obstrinxerunt armati contra regiam ejus majestatem, neque cum omnibus aliis, qui posthac possent in dictum Regem Christianissimum insurgere: quos omnes abominamur, declaramus & pronunciamus rebelles, hostes Galliarum publicos, nostrosque privatos. Renunciamus omnibus factionibus, juramentis, fœderibus, in quæ nos incurrere antea potuimus occasione & errore perniciosarum tempestatum, contra & in præjudicium præsentis declarationis. Recognoscimus similiter accepisse nos de gratia speciali, bonitate & clementia, qua placuit majestati regiæ universos nos & singulos amplecti. Quibus de rebus nos illi ingentes, & quam maximas possumus, gratias habemus atque agimus, obsecrantes intimis visceribus Deum optimum maximum, ut nobis diu feliciterque eum Regem sospitem servet atque incolumem, hostium suorum nostrorumque victorem & triumphatorem. In quorum testimonium nos sigillatim subscripsimus in comitiis generalibus Academiæ Lutetianæ habitis in Aula Theologica regalis Collegii Navarræ, alias Campaniæ, die Veneris 22. Aprilis 1594.

Iacobus d'Amboise Rector Universitatis, Dionysius le Camus Decanus sacræ Facultatis Theologiæ, Iacobus le Fevre Prodecanus, Curatus sancti Pauli, Renatus Benoist Curatus sancti Eustachii, Lector, Prædicator & Confessor Regius, Episcopus Trecensis; Adrianus d'Amboise Prædicator & Eleemosynarius

Regis, magnus Magister Collegii Navarræ; Franciscus Abely Abbas d'Ivry, Prædicator & Eleemosynarius Regis; F. Huon Abbas du Val, Provisor Bernardinorum Colombel. F. Ferré, Prædicatores; I. Poictevin de Sorbona, F. du Bourg, Liat, Sabot, Coll. Lexoviens. Laffilé magnus Magister Collegii Cardinalitii, Colas Curatus sanctæ Opportunæ, Iacobus Langués de Sorbona, Michael Ausbourg Syndicus Facultatis, Lud. Godebert Canonicus Pœnitentiarius & Vicarius generalis D. Parisiensis; Blasius Martin Theol. de Langres, F. Hesselin magnus Commendatarius S. Dionysii, Quintinus Gehenault Curatus S. Salvatoris, Drocus Contesse Thesaurarius S. Iacobi, P. Beaulieu Curatus de Corbolio, P. Perrote Curatus de Meloduno, Claudius Lallemant Curatus S. Petri de Arsis, Iacobus Iulien Curatus SS. Lupi & Ægidii, Fr. Beranger Iacobin, Abbas S. Augustini, Fr. Ioannes Noyron Prior S. Martini de Campis, Ioannes Guincestre Curatus S. Gervasii, R. Batesdens Archipresbyter, Curatus S. Severini, Ioannes Benoist Archidiaconus Lemovicensis, F. Simon Fillieul Prior Carmelitarum, Fr. N. Maleteste Augustin, & alii plurimi Doctores, Licentiati & Baccalaurei in Theologia, Doctores in Decretis, &c.

Subscribunt Doctores Theologi sæculares XXIV. e quo numero Navarrici Sodales erant decem, Jacobus Faber Curatus S. Pauli, Renatus Benedictus Curatus S. Eustachii, Lector, Prædicator & Confessor Regius, Trecensis Episcopus; Adrianus d'Amboise Prædicator & Eleemosynarius Regis, magnus Magister Collegii Navarræ; Michael Ausbourg Syndicus Facultatis, Drocus seu potius Drusius Contesse, Thesaurarius S. Jacobi; Petrus de Beaulieu Curatus de Corbolio, Petrus Perrote Curatus de Meloduno, Jacobus Julien Curatus SS. Lupi & Ægidii, Joannes Guincestre Curatus S. Gervasii; non Joannes, sed Petrus Benoist Archidiaconus Lemovicensis.



CAPUT VIII.

Henricus IV. reformandæ Universitatis provinciam selectis principibus viris demandat. Hi principes viri conveniunt in Ædes Navarricas, ut acceptum a Rege diploma significent. Hadrianus Ambosius Navarræ Archididascalus, fit Parochus Ecclesiæ sancti Andreæ. Ludovicus Darrasius Navarræ Professor & Rector, Legatum Apostolicum publico nomine salutat. Hadrianus Ambosius & Guillelmus Rosa Silvanectensis Episcopus, de magisterio Navarræ contendunt inter se. Universitatis Facultates in varias abeunt sententias, utrius ad causam se adjungerent. Rosa litem amittit, & a Senatu parum honorifice tractatur. Baccalaurei cum in Grammaticorum vel Artistarum Collegio commorantur, cubiculi jure cadunt in Sodalitio Theologorum. Stephanus Tonnellerius cum esset primi ordinis Baccalaureus, eligitur Rector Academiæ, & egregio carmine commendatur. Carolus Loppeus Navarræ Archididascalus, fit Regius in Theologia Professor. Renatus Benedictus moritur, & post ejus mortem suprema Collegii administratio ad alios quam ad Regis Confessarium transiit. Benedicto successit Reginaldus Belnensis, Senonensium Archiepiscopus: Belnensi Jacobus Card. Perronius: Perronio Franciscus Card. Rupifulcaldus. Antonius Faietus Sodalis Navarricus, annuos reditus constituit pro erudiendis symphoniacis Ecclesiæ sancti Pauli Paris. pueris. Idem religiosa & nobilis femina fecit pro studiis nonnullorum Artistarum promovendis. Cathedræ plures Theologiæ fundatæ. Inter fundatores

eminent Ludovicus XIII. Rex piæ & felicis memoriæ, & Ludovicus XIV. qui nunc regnat gloriosissime.

ANNO MDXCV. Henricus IV. ſtatuit labentem in Academia diſciplinam corrigere atque emendare. Qui correctores atque emendatores forent, ſeptem viros delegit, Reginaldum Belnenſem, Archiepiſcopum Bituricenſem, Achillem Harlæum Senatus Principem, Jacobum Gueſlæum Cognitorem Catholicum, Jac. Aug. Thuanum Libellorum Supplicum Magiſtrum, Petrum Seguierium Prætoris Urbani Pariſ. vices gerentem, Falconium Aremorici Senatus Principem. Hi ſeptem viri v. Idus Februarii, Rectore Gallandio, qui Amboſio ſuffectus erat, conveniunt in Ædes Navarricas, atque ibi ſuam ſibi a Rege demandatam provinciam ſignificant. Sic Academiæ correctores atque emendatores ad Navarræ Collegium potius, quam ad vllum aliud accedunt, ſive quia regia fundatio id exigat, ſive quia artes omnes in eo, Grammaticæ, Philoſophicæ & Theologicæ, majori cum exiſtimatione traderentur.

Hinc III. Idus ejuſdem menſis Adrianus Amboſius, qui tunc erat Navarræ Archididaſcalus, in Curionem Eccleſiæ parochialis ſancti Andreæ electus eſt. Qua de re ſic in actis Facultatis Medicorum: *Natio Gallicana in Curionem hujus Eccleſiæ vacantis per incapacitatem, inhabilitatem & mortem civilem M. Chriſtophori Aubry, illius vltimi poſſeſſoris pacifici, nominat M. Adrianum d'Amboiſe, ſummum regiæ Navarræ moderatorem, Doctorem Theologum: eademque nominatio die 14. comprobatur.*

Anno eodem, Antonius Faietus Sodalis Navarricus, cum eſſet Rector Academiæ, ab eadem Academia ſtatutum eſt, vt Rector, qui antea in privatis Collegiorum Sodalitiis ordine receptionis ſtaret, ſederet, loqueretur, primus omnium deinceps foret. Id codex juratorum & regeſta Univerſitatis ita teſtantur: *Anno Domini 1595. tempore Rectoratus nobilis & ſcientifici viri D. ac M. Antonii Faiet, ortum eſt diſſidium inter Navarræ Domus Magiſtrum in Theologia, & D. Rectorem, de præeminentia in tota Domo: & 5. die*

Octobris, requirente Procuratore a fisco Universitatis Parisiensis, in centuriatis comitiis (hoc enim die erat solennis indicta supplicatio) sancitum est, D. Rectorem in tota Academia, in omnibus Gymnasiis, quibuscunque causis, debere præcedere omnes, cujuscunque dignitatis & præeminentiæ existant. Et ad futuram cautelam dictum est, ut decretum illud omnibus Gymnasiarchis, Magistro in Theologia Navarræ Domus, & Seniori Sorbonæ significaretur, ut omnes fideliter parerent, & honorem deferrent domino Rectori.

Anno MDXCVI. x. Calend. Quintiles Ludovicus Darras regiæ Navarræ Professor, Galliæ Procurator, in Rectorem eligitur, qui VIII. Calend. Sextiles Legatum Apostolicum publico nomine salutavit. *Die vero*, inquiunt acta, *Iovis sanctorum Iacobi & Christophori festo, 25. Iulii, eundem Legatum in privatis ædibus in Domo regia Reginæ Navarræ, via S. Antonii commorantem, idem Rector adiit, ibique opportuna & excultissima oratione & gratulatione celeberrima, omni suorum comitatu stipatus sic salutavit, ut eum bene Academiæ precari vidisses: quæ pari voluntate excepit, omne suum studium, curam & operam pollicitus, sibique nulla in re defuturum spopondit.*

Anno MDXCVII. pridie Nonas Julii Joannes Ionius, Artistarum Navarræ Magister, in Rectorem eligitur, qui & alias hoc munere defunctus fuerat in calamitosissimis & Regni & Academiæ temporibus.

Anno MDXCVIII. VII. Calend. Februarii lis inter Hadrianum Ambosium & Guillelmum Rosam Silvanectensem Episcopum, mota est de regiæ Domus magisterio, quod Rosa anno MDLXXXIII. obtinebat. Sic narratur in commentariis Germanicæ Nationis: *Die 26. Ianuarii convocati omnes ordines Academiæ in porticu Maturinensium, ubi actum fuit de aperiendo rotulo nominandorum. Eodem tempore dominus d'Amboise jam a quatuor annis regiæ Navarræ Archididascalus, sive magnus Magister, ut vocant, supplicuit, ut Academia se jungeret sive immisceret liti quam contestatam habebat cum reverendo Episcopo Silvanectensi D. Rose. Hic enim post civiles tumultus in Gallia excitatos a Rege Henrico IV. invicto, restitutus in integrum, magnum illud magisterium jure restitutionis sibi vindicabat, & rursus in possessionem mitti vo-*

luit, aliumque D. scilicet d'Amboise, de possessione dejicere voluit. Causa hæc in Senatu disputabatur Parisiis. Cupiebat itaque D. d'Amboise, vt Academia se liti misceret, partesque suas defenderet. Hoc itaque in deliberationem vocatum fuit eo die, vt supra. Super hac re sententiæ variarunt. Alii enim dandam adjunctionem hanc contendebant, alii prorsus negabant, vt iniquum adversus D. Rose quidquam statuere, qui Academiæ tutor & conservator esset. His itaque propositis, Procurator fisci surrexit, & longa satis oratione causam hanc egit, nimirum vtrosque esse filios Academiæ, vtrosque esse amplectendos; fieri non posse quin Academia vnius favorem & gratiam captando, in alterius incurrat odium: sententiamque adduxit Biantis, inter amicos non esse ferendum judicium. D. Rose vt virum insignem & de Academia bene meritum laudavit. Tendebat itaque hæc ejus oratio eo, ne daretur D. Ambosio adjunctio. Et post alia : *Sed redeo de semita in viam. De litis illa adjunctione divisæ tandem sententiæ fuerunt, nempe ad quatuor Academiæ patronos referendum esse illud consilium, sitne danda adjunctio, necne : atque ita comitia dimissa fuere.*

Hæc eadem historia sic recensetur in fastis Academicis : *Supplicuit M. Adrianus d'Amboise Doctor Theologus, summus regiæ Navarræ Moderator, adjunctionem sibi concedi in certa causa mota & pendente indecisa in supremo Senatu Parisiensi inter illum & D. Silvanectensem Episcopum, ratione magisterii dicti Collegii.*

Gerardus Machetus Castrensis Episcopus, Caroli VII. Confessarius, in epistola XXII. quæ sic incipit: *Magnæ honestatis & probitatis viro Magistro Ioanni de Bussi, Archidiacono Briæ in Ecclesia Parisiensi, domino & fratri peramabili.* Et post pauca: *Unde post diuturnam animi deliberationem statui & consensi conferre vobis locum bursarum Theologorum Collegii regalis Campaniæ, super quo ministravi literas regias Provisori memorati Collegii deferendas, & manualiter exhibendas. Recipe igitur pro primitiis donum istud gratuitum; ingredere* DOMUM ILLAM SACRATAM MERITIS PATRUM, *in qua noster Ioannes de Gersono felicis recordationis, cujus nomen retines, gradu famam Domus ampliavit. Qua in re admoneo te, ut ressuscites famam ejus, imitator factus tanti Patris viri exemplaris & famatissimi. Ecce tibi Domus meritis Patrum sacrata.*

Deinde in epistola CXXXVIII. ad Simonem Germanum, Baccalarium Domus Navarræ: *Volo autem, ut hunc affectum nostrum ubique ingeratis, quo sic crescat & augeatur numerus Theologizantium, & fides incrementum recipiat multiplicatis messoribus & operariis Catholicis. Salutate omnes fratres in osculo sancto.* Hæc post annum MCCCCXXX.

Tum in epistola CXLV. ad Petrum Bernensem: *Scripta vestra sane gaudium & lætitiam ingerebant, dum in calce habebatur: Datum in Collegio Campaniæ. Grata utique commemoratio illius habitationis, quam tot ex* VIVIS LAPIDIBUS CONFLATAM ET CONSTRUCTAM VIDIMUS. VIROS LOQUOR DEIFORMES, HEROICOS, MORATOS, GRAVES ET RECTE EXEMPLARES, *quorum memoria in* BENEDICTIONE EST, *& nos præcesserunt in gloria Sanctorum, quique, ut & mihi credere fas est, assidue orant pro Domo ipsa regia, quorum meritis stat & firma perdurat. Valeamus utinam cum illis.* anno circiter MCCCCXXXV.

Deinde in epistola CLXII. ad Priorem Celestinorum: *Videte, Pater, quanta penuria sit Theologorum, quanta necessitas adversum illos, qui fidem lacerant, cuncta depravant, auctoritatem generalium Synodorum pro viribus enervare conantur. Scripsi nuper Magistro principali Collegii Campaniæ, ut vestro præfato consanguineo daretur locus in Theologis, quem tenet Ma-*

Magister Antonius Ursi. Quibus verbis non obscure significat Parisienses esse Theologos, & cum primis Navarræ Socios, qui auctoritatem Synodorum generalium propugnarent. anno circiter MCCCCXL.

Præterea in epistola CLXIII. ad Trecensem Episcopum: *Chartulam vestræ caritatis, amantissime frater, olim Sodalis & Conscholasticus in regali Collegio, gaudens & lætus accepi, quam relegens memoriam quandam ingerebat sane amabilem, & recte gratissimam illius* SACRÆ DOMUS, *quam pariter inhabitavimus regio pane vescentes, ubi* TOT PATRES, TOT VIROS MORATOS VIDIMUS, ET A QUIBUS EXEMPLA MORUM ET VIRTUTUM COLLIGERE POTUIMUS, *si per nos non stetit. Plane gaudeo, animus gestit, affectus viscera plaudunt, dum illam recolo sacratissimam* HABITATIONEM, *in qua tanta pace & quiete animi fovebamur, una mente, uno eodemque spiritu ambulantes in Domo Dei.* ann. circiter MCCCCXLV.

Tum in epistola CLXXXIV. ad Priorem Celestinorum de Amberto: *Sane cum a caritate vestra scripta suscipio, nescio quomodo innovatur vetus amicitia, in memoriam redeunt dies pristini, & illa conversatio prædulcior habita in illa* REGIA HABITATIONE COLLEGII CAMPANIÆ, *ubi dulces & suaves fructus doctrinæ una collegimus, & pariter gustavimus.* eodem ferme anno MCCCCXLV.

Postremo in epistola CCV. ad Episcopum Andegavensem: *Audio, frater dilecte votorum meorum, vos habere nepotem in Artium Facultate Licentiatum.* Et post pauca: *Iam fato nepoti bursas Theologorum Collegii Campaniæ conferre disposui, habito responso a vestra prudentia testimonium reddente, aptum & idoneum inveniri pro studio tam altæ, tamque profundæ doctrinæ, quæ, ut nosti, cum ingenio elevato probos mores requirit.* Hactenus ex manuscripto codice, qui asservatur in Bibliotheca Ecclesiæ sancti Martini Turonensis.

In Basileensi Concilio mirum in modum emicuerunt Ægidius Carlerius, Martinus Berruerius, Simon Frero, Dionysius Sabrevosius, & Joannes Pulchripater, qui propter summam in rebus agendis industriam varias legationes obierunt. Carlerius & Berruerius ad Clerum & Academiam

Pragensem; Frero ad Constantinopolitanum Imperatorem, & ad Eugenium Papam; Sabrevosius ad Regem Galliæ, & ad Burgundiæ Ducem; Pulchripater ad Eugenium Papam. Quæ omnia ex actis Synodi constant. Augetur Collegii elogium, dum illorum, quos aluit, decus augetur.

Carolus VII. in diplomate, quo Gymnasium instaurari voluit anno MCCCCLIX. *Ex qua*, inquit, *Domo* (Navarræ) *olim dum statuta & ordinationes prælibatæ servabantur*, MULTI PRODIERE LITERATI ET FAMOSISSIMI VIRI AD FIDEI ORTHODOXÆ, ET REGNI NOSTRI INGENTEM LAUDEM ET EXALTATIONEM MAXIMAM.

Ludovicus XI. in diplomate, quo intermissam regalis Collegii instaurationem resumi voluit anno MCCCCLXIV. *Ex qua*, inquit, (Domo Navarræ) *non pauci hactenus prodierunt* VIRI CELEBRES ET LITERATI, QUORUM VIRTUTIBUS ET DOCTRINIS REGNUM NOSTRUM NUNC FLORET ET OLIM FLORUIT AD DEI LAUDEM, FIDEIQUE ORTHODOXÆ DILATATIONEM ET EXALTATIONEM MAXIMAM.

Joannes Raulinus, qui ex magno Navarræ Magistro factus est Cluniacensis Monachus, in epistolis suis eandem Navarram passim ita commendat.

In epistola XIII. ad Ludovicum Pinellam Navarræ Archididascalum: *Gaudeo super tuorum, aliquando meorum Scholarium promotione, & super tanta Collegii fama & exultatione. Viderem libenter & audirem quæ ad ipsum spectarent incrementa virtutum. Porro unum est necessarium tibi. Non dimisi vacuam Domum, sed doctorum virorum copiosam. Desiderarem ut in hoc vel mei saltem imitator esses, ut omnibus precibus postpositis atque favoribus, præclarissima ingenia ubique in Universitate colligeres, nec nationi, nec patriæ, nec affinitati condescenderes. Si sic facias, dilataberis in nomine & fama, & ad Orientem, & ad Occidentem, & replebuntur torcularia tua vino, & horrea tua abundabunt.*

In epistola XV. ad Custodem Basiliensis Ecclesiæ: *Vis scire meam a sæculo fugam. ego enim ipse sum, qui nuper in alma Parisiorum vulgata per orbem, & omnium scientiarum*

parente Universitate inter ceteros coævos meos florens amicis & consanguineis undique circumvallabar, magnorum favoribus, si fas sit dicere, in cælum usque sublimatus, opulentus divitiis, officiis, & beneficiis plurimis: quippe qui MAGNI ILLIUS COLLEGII PER UNIVERSAM ROMANAM ECCLESIAM CELEBRATI, *quod vulgo Navarræ dicitur, magnus Magister & dicebar, & eram quamvis indignus.*

In epistola XXXII. ad Ludovicum Pinellam Navarræ Archididascalum: *Vehementer hilarescit animus meus vestri Collegii audiens incrementa, carissime frater, & quæ decori & exaltationi conferunt: vellem tamen per te scire, quo cum affectu bursis Theologorum providit novus Confessor. Animadverto ipsum, si mutatus non sit, satis esse honoris cupidum. quam ob causam existimo ipsum pro viribus vindemiare Universitatis botros: & fæce exinanita, mixtoque seposito, in regalibus horreis nonnisi merum ac vindemiam defæcatam introducet, eritque pro gloria omnium prædecessorum suorum dorso grossior digitus ejus, dum antecessores suos magnanimus ipse beneficentiis vicerit, quem in veritate diligo.*

In epistola XXXVIII. ad Laurentium Burellum Confessorem regium: *Gaudeo quod regalis Domus Navarræ curam geris; spero, quod sub alis tuis prosperabitur, & meliorabitur. Agnosco zeli tui fervorem, quem circa studii agones & agonistas pridem habuisti. Similis enim sibi similem natura optavit semper, nec tui pro ætate refrigescentis in corpore requiescet caritas in mente, propter quod si Domum illam tibi commendavero, non dubito, quin benedicta curiæ aqua me aspergas; sed magis rem tibi gratissimam suggeres; repulsam minime patiar; & ut me scias, non ficto animo, sed te vera zelare amicitia, quasi patrem, quasi fratrem, quasi amicum tenerrimum, quasi peregrinationis & studii & laboris mei, sicut & spero, premii futuri consortem amantissimum. Si te contingat* DOMUM ILLAM CASTISSIMAM ATQUE RELIGIOSISSIMAM *visitare, pro facie mea videbis, quos ibi reliqui nepotes meos, exhortans eos ad Christum, quem eis solummodo cum permodica supellectili dereliqui.* anno circiter MCCCCXCII.

Sebastianus Brantus Argentinensis, vtriusque Juris Professor, in epistola ad Christophorum Utenheimensem Basi-

liensis Ecclesiæ Custodem, Joannis Raulini vestigia sic relegit : *Quæ pridie in manus nostras de religionis divi Benedicti ruina & instauratione pervenit oratio, cui potius quam nomini tuo sanctissimo, præceptor observande, dedicarem, habui neminem. & adegit me ad id faciendum inprimis gravis illa & singularis consuetudo & amicitia, qua hujus nostræ collationis auctorem Ioannem Raulin Theologum Parisiensem, humanitati tuæ junctum obstrictumque esse non ignoro. Quippe qui cum nuper in alma Parisiorum vulgata per orbem, & omnium literarum parente Universitate, præter ceteros omnes sibi coævos amicis & consanguineis undique circumvallatus, magnatum aliorumque favoribus in cælum usque sublimatus, opulentus divitiis, officiis, beneficiisque plurimis onustus, atque magni illius Collegii (quod vulgo Navarræ dicitur) magnus Magister, & inter plurimos honoratus, delicate nutritus, rebusque temporalibus, mundi quoque illecebris quasi ferrea catena ligatus, & cui in omnibus arridens fortuna in plurimis fallere satagebat, &c.* anno MCCCCXCVIII.

Priorem hujus sæculi partem Magistri quatuor, Petrus Alliacus, & Ægidius Campensis, Cardinales duo; Joannes Gerso, & Nicolaus Clamengius regiam Domum in tantum illustrarunt, in quantum illa illustrari fere potuit. Posteriorem sæculi partem alii Magistri quatuor, Ægidius Carlerius, Cameracensis Decanus, Martinus Magister ob egregiam scientiam & probitatem Ludovico XI. carissimus, Raimundus Gurcensis Cardinalis, & Joannes Raulinus illustratam Domum regiam firmiter sustentarunt.

Navarra Regibus suppeditat Confessarios, Carolo VI. Ægidium Campensem, qui postea fuit Constantiensis Episcopus & Cardinalis, Carolo eidem Petrum Cantellum; Carolo VII. Gerardum Machetum Castrensem Episcopum; Ludovico XI. Joannem Cordium Bituricensem Archiepiscopum; Carolo VIII. Joannem Rellicum Andegavensem Episcopum. In Grammaticorum Sodalitio educatus est Guillelmus Briconnetus, qui postea Narbonensis Archiepiscopus & Cardinalis creatus est.

Navarra Parisiensi Ecclesiæ & Universitati suppeditat Cancellarios quatuor, Joannem Gersonem, Robertum Cibolium, Joannem Olivam & Dionysium Citharœdum.

Carolus VIII. Theologicos actus & in Navarra & in Aula Parisiensis Episcopi majestatis suæ aspectu præsentiaque cohonestat. Quæ singularis non potest non esse Gymnasii commendatio. In summa sic sic videre suum Principem, munus est, quo scilicet nullum est vel magnificentius vel augustius.

CAPUT III.

Elogia in tertio Collegii sæculo occurrentia.

PRIMUS hoc in sæculo mihi est Gaufridus Boussardus, qui jam in superiori multum inclaruerat. Sic autem Parisiensis iste Theologus scribit in præfatione super Psalmos pœnitentiales VII. *Veni adolescens, natus annos decem & septem Parisium civitatem illam inclytam, toto vitiis & literis cantatissimam orbe. Babylon ipsa est, ubi primum me de dono tuo ad* INSIGNEM ILLAM NAVARRÆ DOMUM *direxisti, tuam, inquam, Domum: quippe* QUÆ SANCTA ET SANCTE PUDICA TIBI ALERE NON CESSAT NOVELLAS PLANTATIONES, QUÆ FACIUNT FRUCTUM IN TEMPORE SUO, ET QUÆ LATISSIME IN ORBEM DIFFUSÆ, ORBEM TOTUM ILLUSTRANT; LITERATORUM EMPORIUM, VIRTUTUM OMNIUM SPECIMEN, ORATIONIS SACRARIUM, SANCTIMONIÆ COLUMEN, PUDICITIÆ DOMICILIUM, QUID DICAM OMNIUM BONARUM RERUM, QUAS UNIVERSUS HABET ORBIS, SEMINARIUM. *O quot vidi in ea, & ex ea prodire cognovi viros celebres & sanctos, sancte tibi servientes, qui nunc partim intra monasteriorum septa sponte sua relegati, partim* DIVERSAS ORBIS TERRAS SUA DOCTRINA ET SANCTITATE ILLUMINANTES *tibi alios undique non cessant generare filios. Superant multi, multi etiam die suo functi in sinu tuo requiescunt, quos si recensere cœpero, dies me deficiet & membrana.*

Raimundus Cardinalis Gurcensis in diplomate, quo an-

no Christi MDII. tertio Nonas Novembris, testatur se Navarræ Collegio Indulgentias dedisse: *Nos igitur, qui literas prædictas, ac eis appensum sigillum recognoscimus, quique in dicti insignis Studii Parisiensis Collegio Navarræ nuncupato sacrarum Literarum quas profitemur, olim dum in minoribus essemus, prima fundamenta & rudimenta accepimus, ad cunctorum Christi fidelium devotionis propagationem, ex debito gratitudinis erga personas Studio & Collegio præfatis devotas, nostræ legationis onere solicitante, promoveri supernis affectibus desideramus, literas prædictas, ac in eis contenta, necnon prout literas easdem concernunt, inde secuta quæcunque auctoritate nostræ legationis prædictæ, qua fungimur in hac parte, tenore præsentium confirmamus.* Deinde in alio diplomate, quo datas a se Sanctorum Reliquias confirmat Nonis Novembris anno eodem: *Quarum quidem Reliquiarum tam decem mille Martyrum, quam undecim mille Virginum partem sive portiunculam venerabili nobis in Christo fratri Ioanni Capel, sacræ Theologiæ Professori, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, in Provincia Franciæ moram trahenti, præsentandas* EGREGIIS NOBIS IN CHRISTO DILECTIS, MAGNO MAGISTRO, PROVISORI, MAGISTRIS BURSARIORUM IN ARTIBUS, *& rudimentis Grammaticæ studentibus Bursariis ac Capellanis* FAMOSISSIMI COLLEGII REGALIS NAVARRÆ ALMÆ UNIVERSITATIS PARISIENSIS, *in quo quidem Collegio alias moram traximus Bursarius, dando operam licet minus diligentem in sacra Theologia, ut dictas sanctas Reliquias nostro nomine reverenter recipiat, illasque in Capella ejusdem* FAMOSISSIMI COLLEGII *pro Dei & dictorum sanctorum mille Martyrum & undecim mille Virginum honore & veneratione, ac Christi fidelium majori devotione inibi perpetuo honeste, ac cum reverentia & honore, quibus decet, custodiendas reponat.*

Judocus Clicthoveus Parisiensis Theologus in oratione quam de beato Ludovico habuit anno MDVII. *Ceterum ex cælestium incolarum senatu sanctissimum Ludovicum pietate & meritis insignem* HÆC FLORENTISSIMA DOMUS NAVARRÆ, LITERATISSIMORUM VIRORUM FOECUNDISSIMA NUTRIX, ET MULTIPLICI SEMPER PRO-

LE BEATA *quotannis prædicandum delegit*, REGALISQUE DOMUS REGEM REVERENTER HONORAT. Idem repetit in libro de beati Ludovici laudibus.

Robertus Gaguinus in lib. VII. Historiæ Francorum, in vita Philippi Pulcri: *Ioanna Navarræ Regina in Collegio a se exstructo Scholasticos incolere perpetuo instituit, designatis triplici ordine præceptoribus, qui Grammaticam Dialecticamque adolescentes edocerent, qui item Philosophiam interpretarentur, addidit & Theologos, qui omnes anniversariis proventibus præditi literarum studio se perpetuo accommodarent, hisque commune Sacellum exstruxit, præpositis ad rem divinam Sacerdotibus. Itaque* IN EO TAM GRANDI, TAMQUE SPATIOSO COLLEGIO TAM MULTI CONTINENTER SCHOLASTICI DIVERSANTUR, QUOT AD CONSTITUENDAM UNIVERSALEM SCHOLAM SATIS ESSE PUTARI POSSIT. anno MDX.

Jacobus Merlinus Parisiensis Theologus, in Apologia Origenis, quæ ita inscribitur: *Iacobus Merlinus Victurniensis, sacræ Theologiæ Professor immeritus, præstantissimos Patres regalis Collegii Navarræ, tum virtutibus, tum scientia viros in toto orbe celebratissimos M. N. Petrum de Valle, ejusdem Collegii Moderatorem præcipuum, M. Ludovicum Lasseré Provisorem, ceterosque Magistros & Studentes vigilantissimos, omni qua potest caritate salutat.*

Robertus Gouletus Parisiensis Theologus in compendio, quod de magnificentia Universitatis Parisiensis edidit anno MDXVII. *Collegium*, inquit, *Navarræ innumeram studiosorum Doctorum, Magistrorum, Regentium, & Scholarium multitudinem continet.*

Gloriosum est Collegio, Ludovicum Borbonium, qui postea Cardinalis fuit, ad humaniores literas ibi informatum fuisse: qua de re verba facit Joannes Ravisius Textor in epistola ad eundem Ludovicum, quæ specimini epithetorum a se edito anno MDXVIII. præfigitur: *Recordatus enim tuæ illius benevolentiæ, qua puerum me tantopere complectebaris, dum eramus sub eodem Archididascalo Bolvaco.*

Guillelmus Budæus lib. V. in epistola ad Olivarium de Lugduno: *Non mediocriter nuper lætitia affectus sum, Olivari*

doctissime, cum audissem Gymnasium istud tuum ita te formare ac instituere cœpisse, preclaris vt institutis ordinatum claritati nominis famæque brevi responsurum sit. Scholæ enim hujus vrbis CLARISSIMÆ ATQUE PRINCIPIS EXEMPLUM *non dubitarem Scholas alias confestim secuturas, quæ cum ipsa architecto te disciplinæ puerilis rationem informare optimam instituisset, fore videbam, vt literis elegantioribus paucis annis suum restitueretur decus, quod crassa ac rudi multarum ætatum institutione prorsus exoluerat.* anno circiter M D-XVII.

Deinde in libro de studio literarum recte instituendo: *Nunc porticus duæ orthodoxiæ, Sorbona & Navarra, & Philosophicæ Theologiæ tanquam oracula duo nominatissima, qua finescunque patent nominis Christiani, & Latinæ jam & Atticæ Minervæ non modo sedendi locum, sed etiam loquendi inter disputantes dederunt.* ann. MDXX.

Petrus Mommatra designatus Theologiæ Doctor in epistola, quam operi sermonum de adventu Joannis Raulini præfixit ad Jacobum Ambasiam Claromontensem Episcopum: *Tu autem, cum ad jugum Christi suave circa quinquagesimum ætatis suæ annum curreret vir memoratus,* (Joannes Raulinus) *conspexisti felicem quidem mutationem, sed nonnisi dexteræ Excelsi. Solent nempe parvissimæ molis canes latratu suo majores exsuscitare ad prædam, deditque illam domesticis suis Collegii Navarrici Parisiensis, cujus extiterat Moderator, adeo vt exinde multi confluerent ad sacram Christi vestem in Cluniacensi suscipiendam cœnobio: ex quibus nec silentio prætermittendi sunt virtutum titulis cumulatissimi, ingeniique pernicitate volantes super pennas ventorum M. N. Blancbaston, M. N. de Valle, M. N. le Gris Licentiatus, aliique plurimi, quorum non est numerus, vt putares eum traxisse secum tertiam partem stellarum.* Sic regia Navarræ Domus amplissimum est seminarium monasteriorum.

Joannes Campanus, Remensis Collegii Procurator in epistola, quæ commentariis Petri Tartareti in quartum Sententiarum præponitur: *Unum tamen obiter in suos meque collatum addidero beneficium, meæ videlicet curæ atque eruditioni quantulæcunque primum in* REGALI ET EXTRA ALEAM

LOCATO

LOCATO NAVARRORUM COLLEGIO *concreditos duos ex fratre nepotes.*

Facultas Theologiæ Parisiensis FAMATISSIMUM dicit Navarræ Collegium, in quarundam assertionum censura, quam edidit anno MDXXI. Nonis Decembris: *Decanus & Facultas Theologiæ in alma Universitate Parisiensi, omnibus præsens scriptum inspecturis, salutem. Cum in mense Octobri hoc anno Domini* MDXXI. *Magister Hieronymus Clicthoveus in ipsa nostra Facultate formatus Baccalarius, pro secunda conclusione principali positionis suæ magnæ Ordinariæ, de qua in Scholis* FAMATISSIMI COLLEGII NAVARRÆ *secundum morem Facultatis prædicto mense disputavit sub Magistro Ioanne Bartholomæi, Ordinis Cisterciensis, nostro confratre, hanc propositionem posuisset, &c.*

Joannes Ravisius Textor in elogio, quod de Joanna Regina & Philippi Pulcri vxore composuit: *Instituit & fundavit Parisiis Gymnasium illud* CELEBRATISSIMUM *Campaniæ, cui frequentior vulgi appellatio Navarræ nomen indidit.* Et post alia: *Malignantis esset naturæ, qui Reginam hanc illustrissimam plenis buccis non attolleret, si cognosceret & haberet præ oculis, quantum universæ Gallorum reipublicæ contulerit, quantum bonas juverit disciplinas Femina illa & Herois præstantissima, nunquam satis laudata, dum* CELEBERRIMUM ILLUD OMNIS DISCIPLINÆ RECEPTACULUM ET EMPORIUM PRIMA CONSTITUIT. EX EO ENIM PRODIERUNT INNUMERI PROPE VIRI DOCTRINA ET MORIBUS SPECTATISSIMI, QUI NON GALLIAM MODO, AT VNIVERSUM TERRARUM ORBEM RADIIS VIRTUTUM SPECIOSISSIMIS ILLUSTRAVERUNT. *Verbis meis fidem faciunt Petrus de Alliaco Cardinalis, qui multa commentatus est in Theologiam; Ioannes Gerson, cujus opera notiora sunt, quam vt a me nominari debeant; Nicolaus Oresme, qui scripsit super Politiam; Nicolaus de Claminges intrepidus Regum & Principum delinquentium censor & objurgator, sepultus in ejusdem Gymnasii Sacello; Guillelmus de Castroforti & Ioannes Raulin, prædictæ Domus quondam Magistri; Ludovicus Pinelleus, Meldensis Episcopus, vir laudabili sanctitate & inæstimabili prudentia; alii quoque prope infiniti,*

quorum nuda nomina in amplissimum volumen consurgerent. Nec adhuc scaturire desiit INEXHAUSTUS ILLE FONS VIRTUTUM ET INDEFICIENS. *Inde siquidem quotidie rivi defluunt, qui Christianam fœcundant religionem. Cujus rei quoniam celebris ubique fama,* OMNES ET BARBARI ET ALIENIGENÆ, NEDUM NOSTRATES, EO TURMATIM CONFLUUNT *ad capiendum animi cultum, adeo ut universæ Domus cubicula alioqui frequentissima, consequentibus ad rivos aquarum hospitibus non sufficiant. Qui ejus rei testes sunt oculati, mirari desinunt.*

Deinde in Epithetorum Specimine ad annum MDXVIII. edito, quod inscribitur: *Ioannes Ravisius Textor illustrissimo ac dignissimo Patri Cardinalique Presbytero, imprimis reverendo Ludovico Borbonio, ac propterea non esse mihi verendum, ne tu, qui a nostris istis mythologiis feriatus es, jampridem & conquievisti, hoc opus vel aspernareris, vel tuo quandoque non dignareris intuitu. Quare cum ex ejus verbis major quædam mihi securitas accessisset, majestatem tuam interpellare non erubui: quandoquidem etiam ita vel frui oportebat, vel me perpetuo quodam mœrore confici. Recordatus enim tuæ illius benevolentiæ, qua puerum me tantopere complectebaris, dum sub eodem Archididascalo Ioanne Boluaco homine, ut tu ipse nosti, & ego quotidie experior, inculpatissimo, atque etiam sub eodem Præceptore doctissimo Ioanne Calvimontio, militaremus. Multos jam annos male mihi volui, quod suæ illius modestiæ, benignæque familiaritatis memorem nullo me testimonio docuissem.*

Franciscus primus in diplomate, quo emergentem inter Theologos abusum reprimit atque exterminat: *Ioanna Navarræ Regina Collegium Navarræ Parisius fundavit, ut ex assiduis Scholarium illic residentium laboribus per continuam studii disciplinam susceptis exiret fons aquæ vivæ, qui velut Euphrates uberrimus filios Deo gigneret adoptivos; & sicut alter Iordanis fluvius, totius orbis superficiem tam per* VITÆ MUNDITIAM, QUAM PER VERAM DOCTRINAM IRRIGARET. anno MDXXI.

Joannes Sleidanus lib. III. Hist. ad annum MDXXI. *Ad Parisienses Theologos quod attinet, hi Collegia duo habent præcipua, Sorbonam & Navarram, quo discendi gratia sacra-*

rum Institutionum studiosi undique confluunt.

Ad Elogium regiæ Domus spectat educatio Caroli Borbonii, de quo ita Ludovicus Lassereus loquitur in Diario suo : *Charlès de Bourbon, fils de Monsieur le Prince de la Roche-sur-Yon, entra en la maison qui est sous les ormes l'an* 1528. *le* 6. *Aoust.*

Deinde Ludovicus Lassereus in libro de vita sancti Hieronymi cap. L. cui multa de Parisiensibus Theologis intulit, observat quæ sequuntur : *Inter eos Magistros, qui nostro tempore abierunt e vita, se mihi objiciunt quinque,* JOANNES LAURENTIUS, ET MARTINUS PICHONIUS, NAVARRÆ SODALES AMBO ; *Ioannes Standuchius, Collegii Montis-Acuti Gymnasiarcha ; Ioannes Clereus Dominicanus, olim Ludovici XII. Confessarius ; & Cantianus Hueus, ex Primario Grammaticorum Navarræ Fontis-Ebraldensis Monachus : qui omnes vitam summa cum virtute atque integritate conjunctam perpetuo duxerunt. Ad me quod attinet, ego non dubito, quin Romanus Pontifex, si qualem illi vitam apud nos instituerint, cognosceret, eos in Sanctorum ordinem referret. Quicquid in causa, quo tempore vixerunt, nullos uspiam vidi, qui morum sanctimonia & Christianis virtutibus pares, aut superiores fuerint.*

Præterea Lassereus alios in medium adducit Theologos, ex quorum doctrina & pietate Collegii magnam commendationem asserit : *Petrum Alliacum, Ioannem Gersonem, Nicolaum Clamengium, Martinum Magistrum, Ioannem Raulinum, Iacobum Almainum.* anno MDXXX. His adde quæ de Clicthoveo tradit in Diario suo : *Clicthoveus ducentos nummos dedit ad reparandam domum, quam ad vitam conduxit. Probitas, religio & doctrina viri sunt ornamento & decori Collegio.*

Bartholomæus Latomus, Professor regius, in epistola, quæ suis in Topica Philosophi commentariis præfigitur, *Collegium Navarræ* vocat *amplissimum.* ann. MDXXXVI.

Jacobus Hieronymus Cartusianus, in hymno quem ad sanctum Ludovicum anno MDXXXVIII. cecinit.

Dat tibi Navarræ Schola florentissima templum
Præsulis, hic festo est sacrificare tuo.

Hic facunda tuum celebrat Theodoxia nomen;
Hic tibi virtutum rite triumphat honos.
Doctor mane, sed is, quem Laurea Bacca notavit,
Vespere concutiunt laudibus astra tuis.

Et post alia:

Sic Navarra tuis operam navarre triumphis
Pergat, & ingenii det tibi signa sui.
Quoque tuum late nomen celebretur, eadem
Imbuat a pueris relligione viros,
Culta bonis studiis, si quod sub sole Licæum,
Ingenii cultrix gnava, parensque mei.

Joachimus Perionius in epistola, qua Topicorum Theologicorum opus Carolo Lotharingo Cardinali Guisiano dicat ann. MDXLIX. *Itaque te admodum puerum in Academia Parisiensi omnium clarissima, apud Gymnasium Navarricum,* QUOD BONIS DISCIPLINIS SINCERAQUE DOCTRINA CLARUIT SEMPER, *primis literis institui vidimus.*

Joannes Docæus Laudunensis Episcopus, in epistola, qua suas Quadragesimales Homilias Carolo Lotharingo, Remensi Archiepiscopo, nuncupat ann. MDLV. *Tu missus fuisti ad Navarricorum Scholam in Academia Parisiensi facile* PRINCIPEM.

Robertus Cœnalis Abrincensis Episcopus, in epistola, quæ Periochæ de re Gallica præfigitur ad Henricum II. *Quo* (Philippo Pulcro) *superstite* STUDII NAVARRICI REGINEA ACADEMIA *ad nostram usque ætatem summis caput extulit astris, ductu & auspiciis carissimæ & illustrissimæ suæ conjugis Ioannæ Navarriensium Reginæ.*

Corrozetus, auctor Parisiensium Antiquitatum, quæ anno MDLXII. prodiere in lucem, Navarræ Collegium sic attingit: *Ex hac Domo emerserunt innumerabiles viri primarii, puta Gerson, Ioannes Major, Almainus, Castrofortius, Papillio, Gilainus, Villerius, Pelletarius qui Tridentino Concilio interfuit Archididascalus Navarræ.* Hæc Jacobus Breullius in suis Antiquitatibus, dum repetiit quæ spectant ad Pelletarium, adjecit.

Hic vt decus & ornamentum matris suæ, sistunt se Claudius Espencæus & Petrus Danesius, quos Henricus II. ad

Tridentinum Concilium Legatos misit. Se sistunt Theologi septem, Joannes Pelletarius, Nicolaus Brisius, Simon Vigoreus, Richardus Pratensis, Antonius Coquierius, Lazarus Broichotus, Claudius Sanctesius, ex eorum a Theologiæ Facultate selectorum numero, quos Carolus IX. ad idem Concilium ablegavit. Se sistunt Episcopi duo, Petrus Valla Sagiensis, & Petrus Danesius Vaurensis. Inter comites Episcoporum se sistit Georgius Girardus. Inter Doctores Gallos Ordinis sancti Benedicti se sistit Joannes Verdunus.

Carolus IX. Navarræ Collegium, id est, Domum suam invisit, & merendam sumere apud Collegii Provisorem dignatus est. Hoc accepi ab iis, qui rem propriis oculis vsurparant. Cur autem Rex Collegium inviserit, in causa fuere præcipua illius frater Dux Andegavensium, qui fuit postea Henricus III. & Henricus Borbonius, qui Henrico III. successit sub nomine Henrici IV.

Claudius Espencæus Parisiensis Theologus in sermone de Liliis Francicis, quem anno quidem MDXLI. habuit in festo beati Ludovici, sed anno tantum MDLXI. in lucem emisit: *Unam tamen delibabo Lutetiam, ejusque Navarram, vtramque parentem mihi multo carissimam.* Et post alia: *Vidit hoc, vt obiter dicam, divus Ludovicus, quem etiam sacrorum Bibliorum lectione mire delectatum reperio. Vidit, inquam, non minus honestamenti Francis literas, quam arma conciliasse, sed florentissimum regnum vt corporibus exercendis, ita animis excolendis quæsitum atque retentum; & idem, vt semel omnia dicam, numen esse Palladis atque Minervæ. Nam suborta inter cives & Scholasticos seditione, cum jam aliquot millia de transferendo Studio consultarent, & Anglo id vti maturarent, clandestinis nunciis satagente, nullisque non præmiis Oxoniam illiciente, Lutetiæ solitudo literis indicta videretur, veritus religiosius Rex audire a Domino, quod misero Israeli Propheta interminatur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne regno fungaris mihi; suum ita laudabilibus doctrinis honorem detulit, vt & civitatem ad cultum Doctorum discipulorumque revocaret, & Scholam in solito literarum officio contineret. Vidit idem inclita illa virago & magnifica heroina Ioanna literas republica*

Kkk iij

igne, quod aiunt, & aqua magis necessarias, quæ insigni liberalitatis exemplo quatuor Studiosorum ordinibus provocandis alendisque Navarram nostram, justis quidem tunc proventibus locupletavit, structuris certe adeo amplis erexit, ut ad JUSTÆ MAGNITUDINIS VEL URBEM CONDENDAM, VEL UNIVERSALEM SCHOLAM INSTITUENDAM SATIS ESSE PUTARI NON INJURIA POSSIT.

Deinde in epistola, qua suum opus de digressionibus in posteriorem ad Timotheum epistolam Carolo Borbonio Cardinali & Rotomagensi Archiepiscopo dedicavit: *Cum superiorem*, inquit, *commentarium reverendissimi Cardinalis Lotharingi olim jam domesticus & aliquandiu Prælector, & in ratione dati acceptique obnoxius nomine consecravissem.* Et post alia: *Sed & præter meam in regias prosapias vestras (quibus a progenitoribus & majoribus usque meis servio) reverentiam, sic quoque visum est & consuetudinem & amicitiam studiosam, in quam in regali Navarræ Musæo a vobis eximia spe & maxima indole pueris ante annos plus minus quatuor & viginti juvenis sum receptus, hoc μνημοσύνῳ refricare & reglutinare. Multas enim amicitias dirimere solet silentium, quas alioquin immortales esse convenit.* Ex his autem verbis aperte liquet, Principes Carolum Borbonium & Carolum Lotharingum in regali Navarræ Collegio jam extitisse ad annum MDXXXVI. quo Espencæus in Theologorum Sodalitium admissus est.

Huc pertinet, quod Petrus Matthæus in Historiæ Henrici II. libro III. sic eleganter & ingeniose narrat de Henrico Borbonio, qui postea fuit Rex Henricus IV. *A l'issue de son enfance il fut amené à la Cour: le Bois de Vincennes fut sa premiere Academie, & de là fut mis au College de Navarre, où il eut pour compagnon le Duc d'Anjou, qui fut son Roy, & le Duc de Guise qui le voulut estre.* Sic Henricus III. & Henricus IV. literariam educationem in regia Domo sua susceperunt.

Joannes Dadræus Parisiensis Theologus, in præfatione ad librum de locis similibus, Navarræ Collegium *celeberrimum* appellat. *Cum superioribus annis in celeberrimo Navarræ Collegio sacrarum Literarum studiis incumberem.* ann. MDLXXVII.

Carolus Borbonius, Franciscus Joioseus & Henricus Comes Buchagius, Annæ Ducis Joiosei, qui Regis sororem in vxorem duxerat, fratres, Navarræ convictores fuerunt, vbi præceptorem habuerunt Joannem Hamiltonum e Theologorum Sodalitio. Carolus Borbonius Cardinalis factus, Vindocinensis appellatus est; Franciscus Joioseus cognomentum idem retinuit. Hæc Ludovicus Servinus, Parisiensis Advocatus, in causa Parochiæ sanctorum Cosmæ & Damiani, ad quam Anglicana in Parisiensi Academia Natio Hamiltonum designaverat.

Stephanus Forcatulus Tolosanensis Jurisconsultus, in libro de illustribus Feminis, de Navarra sic loquitur: *Literis certe enixe favit, & Collegium Navarræ* NULLI MUSÆO POSTPONENDUM *impendio suo refecit, prius a Ioanna Navarræ Regina Philippi Pulchri conjuge institutum Lutetiæ, & reditibus congruis fultum.* ann. MDLXXIX.

Joannes Cotereus Parisiensis Theologus, in nuncupatione sacrarum Concionum ad Guillelmum Rosam Silvanectensem Episcopum, de Navarra quoque pari modo loquitur: *Regale Navarræ Collegium* CELEBRATISSIMUM *est non solum ob scientias humaniores, sed etiam divinas, quarum ibi fit professio.* anno MDLXXX.

Laurentius Burceretus Academiæ Rector, oratione XXV. qua Antonii Carbonelli designandi Doctoris continetur laudatio, Navarram miris modis attollit. *Ex omnibus*, inquit, *totius orbis terrarum potentissimus Regibus, ditissimis Imperatoribus, honoratisque Ducibus nulli vnquam sunt inventi, qui plura, qui ditiora, qui magnificentiora, quam nostri Reges invictissimi, Principesque illustrissimi, vel facta vel templa vel Collegia construxerint atque ædificarint. Superbas easque regias Ædes tota Gallia longe lateque missas facio, sacratissima templa multis & prope infinitis pecuniis exstructa prætermitto. De Collegiis, quoniam in ipsis versamur, nostra est instituta oratio. Quæro a vobis, viri totius orbis terrarum clarissimi, num quis vestrum aut vidit, aut legit, aut audivit, vllam vnquam fuisse Scholam, quæ cum regio isto Campanorum Collegio aut loci celebritate, aut honestæ institutionis commendatione, severæque disciplinæ admiratione conferenda & comparanda sit. Nulla vn-*

quam, me hercule, civitas in toto terrarum orbe inventa est, quæ accuratius esset constituta, quam ista præclara nobilis studiosæ juventutis Schola, doctissimorumque virorum frequentia. Qui enim huic præsunt Scholæ, ita suo perfunguntur munere & officio, tantam in rebus gerendis adhibent diligentiam atque providentiam, vt sibi laudi, Academiæ honori, publicæque rei vtilitati semper sint futuri. Tanto & tam singulari ordine, tanta modestia, tam honesto pudore in hoc regio Campanorum Collegio dispensantur, reguntur & administrantur omnia, vt qui hujus Scholæ honestam disciplinæ institutionem minus observaverit, quæ in aliis Scholis necessaria putantur, plane nesciat. Sapientissime quidem ab hujus regiæ Domus diligentissimis moderatoribus constitutum est, vt nemo ad audiendas lectiones admitteretur, nisi in ipso commoraretur Collegio, ne eorum qui in vrbe vagantur, quotidiano & perverso congressu, superbientique insolentia honestissimorum & sanctissimorum Campanorum severa disciplinæ institutio corrumperetur & contaminaretur. Tantus est hujus Collegii ornatus, tanta species atque pulcritudo, vt in eo PRINCIPES REGII, ILLUSTRISSIMI DUCES, CARDINALES, EPISCOPI, *reliquaque* NOBILIS ET STUDIOSA TOTIUS GALLIÆ JUVENTUS *instituatur, edoceatur, & optimis moribus informetur. In hoc regio Campanorum Collegio totius Academiæ, veterum auctoritates, monimenta, immunitates Regum & Pontificum munera coacervantur. Tota Academia huic Scholæ tantum tribuit, vt in ipsa comitia honoraria fierent, publicæque preces funderentur.* ann. MDLXXXIV.

Jacobus Ambosius regius Medicus, in oratione prima contra Claromontenses: *Catechismorum*, inquit, *& hymnorum explanationem, sacras de articulis fidei & methodo confitendi conciones, & cetera Christianæ disciplinæ exercitia, & si quid aliud præ se ferunt laudabile, nonne a* NOSTRÆ REGIÆ NAVARRÆ VETERIBUS INSTITUTIS *sunt mutuati?* ann. MDXCIV.

Cum Henricus IV. Lutetia potitus est, non alius præter Navarram selectus est locus, in quo viri Academici sacramento se Regi obligarent: quod vti perficerent, convocata sunt ibi comitia, quibus Regis nomine interfuerunt *Reginal-*

ginaldus Belnensis, Biturigum Archiepiscopus, magnus Franciæ Eleemosynarius, Parisiorum Gubernator, Seguierius Proprætor: quibus spectantibus Iacobus Ambosius Academiæ Rector, Facultatum Decani, Archididascalus Navarræ, Senior Collegii Sorbonici, Facultatis Theologicæ Syndicus, & complures alii Theologi sacramento se Regi obligarunt. ann. MDXCIV. X. Calendis Maiis. Hæc Petrus Victor Caietanus parte III. Chronologiæ novem annorum. Justitiæ ac rationis ordo suadebat, vt regia in Domo, quæ juri debebantur regio, persolverentur, & inde agniti & asserti in omnes ab iis qui aderant, ad eos qui non aderant, dominii fama perveniret.

Jacobus Breullius monasterii sancti Germani Pratensis Monachus, in epistola, qua Isidorum Hispalensem a se editum anno MDCI. dedicat Carolo Borbonio Cardinali: *Carolus,* inquit, *Borbonius natus anno Domini* MDXXXIII. *ubi excrevit, liberalibusque studiis aptus visus est, ad regale Navarræ Collegium Lutetianæ civitatis, consodalem Carolum Lotharingium, post Archiepiscopum Remensem & Cardinalem, habiturus mittitur, in cujus favorem lapsis aliquot annis rudioris minervæ, ad ædes ejusdem Archipræsulis Lutetiæ sitas migrant, fitque eis lectio de Iurisprudentia & Theologia.*

Stephanus Paschasius cum in libro III. Disquisitionum Francicarum cap. XXI. & XXXIII. illustriores singularum Parisiensis Academiæ Facultatum Magistros enumerat, & de Theologis sermonem instituit, non alios præter *Gersonem & Clamengium* laudat: perinde ac si sufficerent hi duo, vt quanta fuerit olim Theologicæ Facultatis celebritas & commendatio, demonstraretur.

Andreas Favinus Parisiensis Causidicus, in libro VII. de Navarræ Historia: *Ioanna,* inquit, *Navarræ Regina Parisiis ædificare curavit regium Navarræ Collegium per Christianum orbem totum celebre, quod fœcundum semper fuerit virorum in Theologia, Philosophia, & liberalium Artium professione doctissimorum seminarium.*

In bienni celebritate illa, quæ recepto nomine Paranymphorum dicitur, & quæ alicui ineuntis anni septimanæ a Parisiensi destinatur Cancellario, dies omnium nobilissi-

mus, nimirum Dominicus, vocandis ad Magisterium Navarræ Theologis reservatur, sive quia Collegium ex regia fundatione sua id exegerit, sive quia vetus & diuturna consuetudo illud jus regiæ Scholæ asseruerit. Quidquid in causa, qui ex omnibus curiis & vrbis palatio invitantur ad celebritatem illam, Dominico die facilius ad Ædes regias conveniunt & numerosius. Porro autem quin istud supra reliquas Theologicæ Facultatis Sodalitates dignitatis aliquid importet, dubitari non potest.

In priori parte hujus sæculi acceptam a majoribus doctrinæ & virtutis famam non conservarunt modo, sed etiam extenderunt Gaufridus Boussardus Parisiensis Cancellarius, & Academica legatione in Pisano Concilio perfunctus; Jacobus Almainus auctoritatis Conciliorum defensor; Joannes Major sæcularium in Academia Theologorum primus, editor Commentariorum in libros IV. Magistri Sententiarum; Judocus Clicthoveus antiquæ religionis contra Lutheranas novitates assertor; Joannes Benedictus climatorum in vetus & novum Testamentum Scholiorum concinnator; & Joannes Gagnæus Parisiensis Cancellarius, & primus Francisci I. Eleemosynarius, Testamenti novi interpres. In posteriori parte sæculi Franciscus Picartus vir apotheosi dignus; Simon Vigoreus Narbonensis Archiepiscopus; Claudius Espencæus a Galliæ Regibus ad Synodos omnes de religione habitas missus; Claudius Sanctesius & Renatus Benedictus, variis adversus novos dogmatistas scriptionibus insignes.

Navarra hoc sæculo regii sanguinis Principibus suppeditat præceptores: Ludovico Borbonio Joannem Bolvacum & Joannem Calvimontium; Henrico II. Joannem Hennuierium; Francisco II. Petrum Danesium; Maximiliano Aurelianensi, Alexandro Ingolismensi & Herculi Andegavensi Ducibus, & Francisci II. fratribus, Guillelmum Ruzæum; Carolo Borbonio Joannem Tuchartum.

Suppeditat quoque Regibus Confessarios: Henrico II. Joannem Hennuierium, Crispinum Brixanteum, Guillelmum Ruzæum; Francisco II. Petrum Danesium; Carolo IX. Guillelmum Ruzæum. Sæpius accidit, vt qui Delphi-

norum præceptores fuerant, iisdem postea Confessarii forent, sic vt qui bene dicendi, ita & bene vivendi regulam supremos Principes edocerent.

Navarra hoc eodem sæculo Parisiensi Ecclesiæ & Universitati suppeditat Cancellarios illustres quatuor, Ludovicum Pinellam, qui fuit postea Meldensis Episcopus; Gaufridum Boussardum, qui pro Parisiensi Academia legatione functus est in Pisano Concilio; Joannem Dorignium, qui inter supplicum libellorum Magistros enituit; Joannem Gagnæum, Francisci I. Ecclesiasten & Eleemosynarium primum.

Navarra denique ab anno MD. vsque ad annum MDLXXIV. Sorbonæ Collegio suppeditat Priores quatuor, Petrum Lermam, Natalem Galiotum, Josephum Bazotum, & Claudium Becquetum. Primus ad Theologiæ Magisterium anno MDIII. secundus anno MDXVII. tertius anno MDLIX. quartus anno MDLXXIV. designatus est. Tunc Sorbona carebat Baccalaureis, qui Prioris munus sustinerent, aut sustinere possent.

Ad hæc, Sorbonæ collegis, cum anno MDXLI. e duobus Magistris, qui juxta Senatusconsultum docerent Theologiam, deesset vnus, Navarra Franciscum Picartum commodat. Id subsidii genus præstitit antiqua illa & laudabilis necessitudo, quæ inter vtrumque Collegium intercedebat, hodieque intercedit.

Navarra Societati JESU suppeditat tres excellentissimos viros, Jacobum Prevotium, Joannem Gonterium, & Franciscum Gandillonium. Primus paullo postquam primum Ordinis sui gradum adeptus est anno MDLXXXIV. ad Societatem illam transivit, & ibi cum eminentissima simplicitate vixit, vt alias eruditionum parens & summa fide dignus Jacobus Sirmondus mihi asseruit. Secundus Henrico IV. Rege concionator in paucis nominatissimus fuit. Tertius Philosophiam & Theologiam variis in locis docuit: Lutetiæ in Claromontano Collegio Theologiam facilitate mira & scientia pari docentem vidimus.

Navarra Oratorii Congregationi suppeditat Paulum Metzellum, qui primus vel e primis vnus, editis in ea

libris doctrina & pietate refertis eminuit.

His omnibus supereminet literaria Borboniorum & Lotharingiorum Principum, & cum primis Henrici III. & Henrici IV. educatio, quæ regiæ Domus Elogiis colophonem imponit.

Superest tantum vt obseruemus, Navarram seu regium Navarræ Collegium, nec in primo, nec in secundo, nec in tertio sæculo pro Theologiæ Facultate, sed pro seipso vt Parisiensis Academiæ & Theologicæ Facultatis parte acceptum esse. Atque hinc efficitur, vt Collegium aliud nullum in relatorum per tria sæcula Elogiorum societatem veniat, aut venire possit. De Sorbona seu de Collegio Sorbonæ non ita se res habet. Nam in posteriori sæculo Sorbona seu Sorbonæ Collegium Francisco I. Rege cœpit pro tota Facultate Theologiæ vsurpari, vt supra in cap. VII. visum est. Id non aliunde accidit, quam a loco, Sorbonæ nempe Collegio, vbi relictis Maturinensium claustris & Capitulo Theologiæ Facultas congregari cœpta est, & varias in novorum dogmatistarum libros censuras edere. Notati a Parisiensibus Theologis dogmatistæ, vt censoriæ notionis ictum apud imperitam plebeculam declinarent, ad facetias concurrerunt, & censoribus a loco verba per deridiculum dare se posse falso crediderunt. Obstitere quidam initio, vt Espencæus & Sanctesius; sed postea vsus invaluit, vt nomen Sorbonæ seu Collegii Sorbonici pro significanda Theologiæ Facultate tota sumeretur.

In eandem sententiam, sed via minus recta venit Parisiensis ille Theologus, qui anno MDCVI. Joannis Gersonis opera Lutetiæ prælo mandari curavit. Gersonis imagini subjecit dysthichum istud,.

Quid Sorbona potest, monstras, doctissime Gerso,
Gerso sacrosancti luxque decusque chori.

In versu priori Sorbonam pro Navarra, & Sorbonam pro Facultate Theologiæ accepit. In posteriori, quæ sunt Gersonis propria, eidem Sorbonæ, id est, Theologicæ Facultati adscribit. Quidquid autem id est, discimus primo ex literis quas Arnaldus Ferrerius ad Carolum IX. Venetiis scribit anno MDLXIII. VIII. Idus Decembris. Verba sunt:

Et dautant, Sire, que par icelle conclusion le Pape est appellé Evesque de l'Eglise universelle, nous y estant, eussions aussi empesché cette qualité & denomination, & plusieurs autres points qui se trouvent en icelle conclusion, par lesquels on infere necessairement, que le Pape est pardessus le Concile, contre l'opinion de l'Eglise de France & de la Sorbonne de Paris, id est, vt satis apparet, *de la Faculté de Theologie en l'Université de Paris.*

Renatus Benedictus in admonitione ad Lectorem Parisiensium circa dogmata Christianæ religionis controversa articulorum quos edidit Parisiis anno MDLXI. *Quare non possum non mirari quosdam etiam bonos & Catholicos viros, qui non dubitant Sorbonam, id est, Theologiæ Parisiensis Facultatem doctissimam & integerrimam (sic enim cum pluribus citra justam reprehensionem nos loqui jam posse putavimus) accusare vel negligentiæ, vel etiam non satis magnæ eruditionis, quæ, &c.*

Deinde in epistola, qua idem auctor voluit anno MDLXXVI. tomum I. de vitis Sanctorum in nomine Gregorii XIII. & Cardinalium apparere: *Ie n'ai jamais eu autre volonté qu'à obeïr entierement en toutes choses & par tout à l'Eglise Catholique, Apostolique & Romaine, comme de garder sincerement les Statuts de ma mere la Faculté de Theologie, dite vulgairement la Sorbonne.* Quidquid id est, confirmatur ex literis, quas Carolus Cardinalis Lotharingus Tridento Romam ad Britonem Secretarium perscripsit anno MDLXIII. mense Januario: *Reste à cette heure le dernier des titres que l'on veut mettre pour nostre saint Pere, pris du Concile de Florence; & ne puis nier que je suis François, nourri en l'Université de Paris, où l'on tient l'autorité du Concile pardessus le Pape; & sont censurez comme heretiques ceux qui tiennent le contraire.* Quibus ex verbis colliguntur duo. Et primum quidem, si temporis spectetur conditio, Cardinalem Parisiensis Academiæ nomine significare idem, quod Ferrerius & Benedictus Parisiensis Sorbonæ nomine significant; & Ferrerium ac Benedictum Parisiensis Sorbonæ nomine significare idem, quod Cardinalis Parisiensis Academiæ nomine significat. Deinde Cardinalem, cum ait, in Parisiensi Academia edu-

catum se fuisse, quo in Academiæ Collegio educatus fuerit, non indicare. Sed id Espencæus & Breullius oculati testes duo indicant; in regali nimirum Navarræ Collegio.

Hæc habui regiæ Navarræ Elogia, quæ corpus in vnum compingerem. Brevis est liber, si moles operis spectetur; sed bene longus, si testium personæ pleræque regiæ considerentur, excellentium testimoniorum magnitudo expendatur. Tertullianus & Tertulliani discipulus Cyprianus mihi præluxere; ille cum librum de testimonio animæ, hic cum testimoniorum ex sacris literis excerptorum libros tres concinnavit.



